



**Commentaria Ioannis Cochlaei de actis et scriptis Martini  
Lutheri Saxonis : chronographice ex ordine ab anno Domini  
M.D. XVII. usque ad annum M.D. XLVI. inclusiue, fideliter  
conscripta. Adiunctis duobus indicibus, & Edicto  
Vuormaciensi.**

<https://hdl.handle.net/1874/430016>

# COMMENTARIA

IOANNIS COCHLAEI, DE ACTIS  
ET SCRIPTIS MARTINI LVTHERI SAXONIS,  
Chronographice, Ex ordine ab Anno Domini M. D. XVII.  
usq; ad Annum M. D. XLVI. Inclusive,  
fideliter conscripta.

Adiunctis Duobus Indicibus, & Edicto Vuormaciensi.

MVLTIPLEX PRAEPARATA EST  
HIC LECTORI VTILITAS, PER RERVM GESTARVM  
*ex fide & ueritate narrationem: ut cognoscat, quanta Lutheri fuerit  
uis ingenij, quantaq; laborum tolerantia, quantus animi in affectibus  
impetus, quanta styli seuitia: Et qualia fuerint de eius doctri-  
na, Papæ, Imperatoris, Regum, Conciliorum, Epi-  
scoporum, Vniuersitatum, Erasmi, &  
id genus Doctissimorum quo-  
rumlibet iudicia.*

Pars altera, quæ est de Dogmatibus & Sermonibus Lutheri,  
non potuit ad has Nundinas excudi.

Apud S. Victorem prope Moguntiam, ex officina  
Francisci Behem Typographi.

M. D. XLIX. *MAGINTIG*



# GENEROSSISSIMO

AC ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC  
DOMINO, DOMINO HERCVLI ESTENSI, DVCI

Ferrariæ &c. Domino suo Clementissimo, Ioannes Cochläus  
Germanus, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ

Vratislaviensis.

S. P. D.



GENEROSSISIME AC ILLUSTRIS-  
SISIME Princeps, Domine Clementissime, Quum  
ego ante annos XXXII. FERRA-  
RIÆ, in ampla & pulcherrima urbe tua, eaq̃  
natura & arte situq̃ munitissima, & fertilitate soli,  
& diflictorumq̃ amplitudine & ornatu, atq̃ platearum latitudine &  
mundicia, hortorumq̃ amœnitate ac præterfluentis Padi, Clarissimi  
Italiæ fluminis, commoditatibus foelicissima: in studio sacrarum lite-  
rarum, à Magistris Almæ facultatis Theologicæ, sub consueto  
examenis rigore, Doctoratus insignia consecutus fuerim, Dum Mar-  
tini Lutheri nomen, non solum Italiæ, sed Germaniæ quoq̃ prorsus ad-  
huc incognitum esset: Paulo post uerò, repente nouæ doctrinæ fama &  
contradicendi audacia diuulgari coepit, et sub prætextu corrigendorū  
abusuum, præsertim Romanæ Curia, Indulgentiarum, & uariarum  
conquirendæ pecuniæ adinventionum, sibi fauorem Laicorum & diser-  
torum hominum: Odium uerò Cleri & Monachorum, conciliauit. Cum  
igitur studij mei insignia debeam, & accepta referam Clarissimæ  
Vniuersitatis Ferrariensis Almæ facultati Theologicæ, non puto me  
honestius aut iustius hunc laborem meum, ulli nuncupare Principi aut  
Patrono posse, quàm Clarissimo Nomini tuæ Illustrissimæ Celsitu-  
dinis. Quod ut clementer in bonam partem accipias, humiliter oro ac  
supplico. Scripsi & pia intentione et bona fide hanc historiam, in qua  
referuntur uerba propria multorum ac magnorum uirorum. Ex quibus  
uaria de Lutheri doctrina, eiusq̃ audacibus coeptis, scriptisq̃ &  
Actis, referuntur iudicia. De quibus lectori sententiam & censuram  
relinquo. Mihi curæ fuit sub ueritatis compendio ista referre, ut &  
præsens sæculum intelligat, quàm longe à scopo Euangelicæ doctrinæ,  
& ab obedientiæ debito, atq̃ ab unitate Ecclesiæ, contra legem Chari-  
tatis, & contra certissima Christi & Pauli eius Apostoli monita,  
a \* ij egerint

egerint scripserintque & predicauerint, Lutherus & complices eius, qui nefarijs conatibus & machinationibus suis, sine omni emendationis fructu, totum conturbauerunt mundum dissidijs, & dubitationibus scandalosissimis in fide & religione Christiana. Christus abiturus ex hoc mundo ad Patrem, dicebat discipulis suis. Pacem relinquo uobis: pacem meam do uobis. Lutherus contra minacissime dixit Summo Pontifici & uniuerso Clero. Nec uiuus, neque mortuus, pacem uobis relinquam. Quod, proh dolor, nimis uere factis ipsis comprobauit hactenus per XXX. annos & ultra: Quandoquidem non solum Clero, sed Laicis quoque & toti Ro. Imperio, pacem abstulit, & periculosissimas Religionis & Reipub. discordias post se reliquit. Faxit Deus Opt. Max. ut pacem suam nobis reddat tandem, ut iterum uere dici & scribi possit: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Boni consulat, precor, Clementia tua Illustrissime Princeps, quod ausim sub Illust. Celsitudinis tuae nominis splendore ac patrocinio, hoc quaecumque ueritatis testimonium in lucem proferre: ut & ij, qui supersunt, ex his scriptis aut gratulentur, & Deo gratias agant, quod alieni ab hisce nouitatibus et dissidijs, per gratiam Dei à Catholica & Apostolica fide non defecerunt: Aut intelligant, atque humiliter recognoscant alij, qui temere, relicta Ecclesiae pace & unitate, atque sanctorum Patrum et maiorum nostrorum fide, nouis sectis hactenus adhæserunt: quanta in pericula præcipitauerint animas suas, dum legerint ex hoc libro, quam incerta sint sectarum fundamenta, super quibus non solum ab Ecclesia, sed etiam à seipsis dissident, & se inuicem condemnant: Et pia posteritas discat hinc, huiusmodi nouis dissidijs in tempore ac statim resistere, & uulpeculas capere, dum parua sunt, antequam inualescant, & seditioibus auctæ, sine magna clade aut calamitate capi non possint: Iuxta illud Ouidij.

Principijs obsta, sero medicina paratur.

Bene ualeat Amplissima & Illustrissima Celsitudo tua, Domine Clementissime, Duxque Clarissime, in Domino IESU Salvatore nostro.

## FRAGMENTVM EX LITERIS

Theologorum Vniuersitatis Ferrariensis, super promotione D. Ioannis Cochlaei.

Virt



Iri diuinarum lectionum studijs dediti, & in lege Domini eruditi, sub religionis habitu præsertim contemplantes, summo fauore, ac dignitate ali, celebrariue debent, eoq; benignius decet honestis suis desiderijs, ac probatissimis animi uotis obsequi, quo eorum fructibus maius commodum Ecclesia diuina consequi potest. Cum igitur Dominus Ioannes Cochlaus, Nurenbergensis, Germanus, Magister in Theologia, sic in eadem facultate hæcenus studens, diuina prouidentia profecerit, quod per ipsum laudabilibus Bibliæ & Sententiarum completis lectionibus, cæterisque actibus, ad ordinem Magisterij requisitis, se idoneum præbuit, ad recipiendum in eadem facultate Magisterij gradum, honorem, ac insignia Doctoralia. Quapropter Venerabilis ac eximius Decretorum Doctor, ac Cuius Ferrariensis, Dominus Georgius Priscianus, in spiritualibus et temporalibus Vicarius Substitutus, Reuerendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Hippoliti Estensis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Cardinalis Sanctæ Lucie in Silice, Episcopi Ferrariensis, necnon Florentissimi Studij Almæ urbis Ferrariensis optime meriti Cancellarij dignissimi, ad quem hæc & similia expediri pertinet: Attendens facundiam & huiusmodi facultatis scientiæ profunditatem, morum grauitatem, aliâq; multiplicia dona uirtutum, quibus eiusdem Domini Ioannis dignitatem Altissimus illustrauit, ipso ornatissimo Domino, Domino Ioanne, in priuato examine iuxta morem, supradicta facultate hodie personaliter constituto, & per Reuerendissimos Dominos Doctores, & Magistros excellentissimos Almæ Vniuersitatis sacræ Theologiæ, Cuius Ferrariensis, ardue et rigorose examinato, et ab ipsis omnibus Doctoribus unanimiter & concorditer approbato: Auctoritate præfati Domini, Domini Cardinalis, Episcopi Ferrariensis, Cancellarij prænominati, sibi in hac parte concessa, eundem Dominum Ioannem (ut dictum est) ardue examinatum, & laudabiliter approbatum, fecit, pronunciauit, & declarauit, uerū & legitimum sacræ Theologiæ Doctorem, Magistrū, ac sufficientem, habilem, et idoneum ad habendum, tractandum, & exercendum, officium & honorem Doctoratus in eadem facultate.

Mandās præfatus Dominus Vicarius, et dictus nouiter Magistratus rogans, de prædictis omnibus & singulis me Notariū iterū publicū cōficere Instrumentū, Pontificalis Sigilli, Domini Card. Ferrariensis, appensione munitū. Actū Ferrariæ in Episcopali palatio, Anno natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, 1517. Indictione Quinta, die Vigesimo octauo Martij, præsentibus testibus uocatis et rogatis &c.

# REVERENDI IN CHRISTO PATRIS,

F. AMBROSII CATHARINI LOLITI, EPISCOPI

Minorensis, ad Lectorem hortatio.



**L**lam Apostolicæ tubæ pronunciationem: Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant, cum præteritorum temporum historia, tum ea, quæ hæc nostra tempestate sub oculis nostris uidimus, & ueridicæ & pijs animis periuicendam esse, testantur. Nam ab ea die, quæ cœperunt praua hæreticorum dogmata in Ecclesijs pululare, insurrexerunt uiri, qui sese opposcentes, ueluti murum inexpugnabilem, insultantibus portis Inferi, & certamen huiusmodi fortiter obeunt, præclarâ uictoriâ, & amplissima de hostibus spoliis, magna cum laude retulerunt. Quia enim ante oculos Dei probati erant, oportuit etiam per illorum præclara opera manifestari, & laborum præmijs affici, ut & exemplum alijs præberent, & per ora multorum ingentes & immortales gratiæ omnipotenti & clementissimo Patri agerentur: qui multa nostra & magna mala, sua pietate maioribus bonis, quæ inde nouit sapientissime elicere, cōpensat. Inter eos uerò, qui nō uulgare in Ecclesia Dei cōsequuti sunt laudem, Dominū lo. Coc. nō postremū sibi uendicasse locum, ut parcissime de ipso loquar, amice Lector, non meū solummodo, sed omnium piorū, et qui maxime ueritati cōgaudent, iudiciū est. Quis enim illū (modo spiritale oculum habeat) in suis libris contemplans, non agnoscat in primis uirū candidi pectoris, spectatæ fidei, sanæ atq; peregrinæ doctrinæ? Vidi enim ego illum nō de facie, ut cupiebā, & eius uoces interioris hominis audiui, dū nōnulla legrem ab eo exarata uolumina, quæ prorsus inoffensū licet percurrere. Hæc certè mihi uisum essita etiā testari possūm, & libèter testarer, nisi suamet ipsa opera sibi multo lucidius attestarētur. Delector tū & ipse præbere meū quælecunq; testimoniū: quanquā non me lateat, eundē D. Cochlatū posse dicere:

*Ioan. 5.* Ego maius habeo testimoniū Catharino. Opera quæ ipse feci, illa testimoniū perhibēt de me: Et ideo ad hæc ipsa remitto lectore, ut aliquando dicat mihi, iam nō propter tuā loquelā credo, sed uidi, et scio. Multa profecto sunt, quæ scripsit pie, succulenter, & hæc quidē tēpestate maxime opportune ac necessario, quæ præter singularem doctrinā, habent quoq; historiā nostrorū temporum, unde & prudentiā liceat adīpisci. Verū, quæ ob nomen Christianū (ut audiui) pertulit, multo etiā laudabiliora sunt, ut ex parte possit cū Apostolo gloriari et dicere: In uigilijs multis, in itineribus sepe, in periculis latronū, periculis ex genere, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus: in labore et erūna annos ferme 30. cū inimicis crucis Christi decertās animo et corpore, pro electis Dei, ut et ipsi salutem consequantur. Hæc lucubens scripsi nō quidē rogatus. Non enim ex eorū numero ille est, qui egeat cōmendatijs literis, ac testimonijs emēdicatis: sed ego ipse rogādo potius obtinui, ut in fronte suorum operum possem præfari aliquid ad lectorem. Videor enim mihi, dū adeo de re Christiana bene meritū collaudo, nōnullā mihi de substantia gloriæ huius partē capere absq; illius detrimenti: quanquā nec uerè eius gloria est, cum nec qui plantat sit aliquid, nec qui rigat: sed qui dedit incrementum, Deus optimus & clementissimus Pater, ipsi ergo laus, honor, & gloria sempiterna. Vale pie lector, & de multis alienis laboribus mere paratum tibi fructum ad uitam, :

AD

AD LECTOREM.

**N**ON PIGEAT TE, AMICE LECTOR, hunc percurrere Indicem, qui breui compendio multarum tibi rerum memorabilium narrationem ad memoriam reuocabit, de magna diuersorum ingeniorum uarietate & iudicio, super Actis & scriptis Martini Lutheri, aliorumq; Authorum, qui nostris scripsere temporibus. Vbi singulae Paginae in tres partes sunt distinctae: quarum A primam. B mediam. C ultimam indicabit.

<b>A</b>	
Absurda opinio Luth. contra Deum de lib. arb.	72. A
Acta Vuormaciensia ab ipsomet Luth. edita	32. B
Accusatio Luth. calumniosa, contra Capitulum Moguntinum	164. B
Actio criminalis à Lantgrauio Hassiae, contra D. Ottonem Pak, conficti foederis authorem, Accusatoribus concessa	186. B.
Accusatio Sanctorum contra Episcopum Coloniensem	306. C
Adulatio Luth. ad plebem, cui tribuit iudicare Concilia	93. C
Adulatores Regis Angliae, nocentissimo Regem seduxerunt	288. C
Albertus, Archiepiscopus et Card. Moguntinus, Indulgentiarum Commissarius, Tetzelium praeulit Luthero	3. C
Alexander, Nuncius Apostolicus, accusator Lutheri Vuormaciae	30. B
Alia noua haeresis, in plerisque oppidis Sueuia exorta	312. B
Ambrosius Catharinus contra Luth. calumnias	23. B
Anabaptistarum error inualescens	174. C
Anabaptistarum historia de Monasterio urbe Vuestualiae	269. B
Anno 1529. grauis fuit fames, & uini uilitas, in Germania	203. C
Antilogiarum & septicipitis Lutheri occasio	161. B
Apparatus Vuittenbergensum ad disputationem Lypsicam	14. B
Apologia Cochlei pro Scotia Episcopis, contra Alesum Scotum	259. B
Apologia D. Eckij, contra Bucerum	303. C
Apologia Alberti Righij, contra eundem Bucerum	304. C

Argyrophilacis conficti libellus de pecunijs conquirendis	148. C
Arrogantia Laicorum & mulierum per nouum Test. Lutheri	55. A
Arnoldi Besaliensis pia carmina pro Missa.	123. B
Articuli sediciosorum Francofordiae, quales fuerunt	116. B
Articuli Octo absurdissimi contra ipsum Christum	173. C
Articuli nouae Visitationis Fribergensis	290. B
Articuli absurdissimi, quos Concilio proponi petijt Luth.	293. C
Articuli conciliati in libro	302. B
Articuli XXXII. Theologorum Louaniensum.	311. A
Affertio 41. articulorum per Luth. Latine & Germanice	29. A
Astutia Lutheranorum subrependi in alienas Cathedras	58. A
Asylum generale Apostatarum Vuittenberge apud Luth.	129. A

**B**

<b>B</b> ellum contra Tres Episcopos, per confictum foedus exuscitatum	195. C
Bellum in Helurtijs Quinq; Cantonum, contra Tigurinos	228. C
Bibliopolarum et Typographorum studia circa libros Luth.	58. C
Blanditiae dolose Lutheri ad Card. S. Sixti. Legatum	9. C
Blasphemiae Luth. in sanctos Dei	87. B
Blasphemiae Luth. in sacrum Canonem misse	121. B
Bohemorum schisma grauiter à Luthero Lypsiae damnatum	16. A
Bohemorum schisma damnatum à Luth. super epistolam ad Galatas	81. B
a    *    iij    Bohemorum	



INDEX.

- Bohemorum miseria, circa ordinationes sacerdotum* 82. B
- Bohemis ingrata fuerunt Lutheri scripta* 83. A
- Eugenhagius Pomeranus seductor Ciuitatum Stagnalium* 238. A
- Bulla & Reformatio Luth. ad exterminandum omnes Episcopatus* 53. B
- C
- C**acata propheta Lutheri contra Papam 317. C
- Cæsaris profectio ex Italia, splendidissimis honoribus ubiq; per Comitatum Tyrolis, et per Bauariam excepta* 205. B
- Cæsaris aduentus & ingressus Augustæ honoratissimus* 16. C
- Cæsaris prouidentia Augustæ contra tumultus* 207. B
- Cæsaris expeditio contra Algerum* 303. A
- Cæsar Ducem Cleuensensem subiugauit* 306. A
- Cæsar Regi Franciæ bellum intulit* 309. A
- Calumniæ Luth. in Cochleum Vuormaciæ confictæ* 39. C
- Calumniæ Luth. in Cæsarem, de uiolata sibi fide publica* 51. C
- Calumnia Lut. in Ioannem Fabrum, Episcopum Viennensem, de Matrimonio* 75. B
- Calumniæ Lutheri, contra Virginitatem et uotum celibatus* 75. A
- Calumnia Lutheri in Catholicos, de Adoratione Eucharistiæ* 80. C
- Calumniæ Lutheri in Adrianum VI. & in S. Thomam* 87. C
- Calumnia pessima Lutheri contra Erasnum, qui eam diluit* 146. C
- Calumniæ Lut. in Capitulum Mogunt. de interfecto prædicatore* 163. B
- Calumniæ Luth. in Ducem Sax. Georgium, de conficto fœdere* 194. C
- Calumnia in Cæsarem grauissima, de persecutione Euangelij* 223. B
- Calumniæ Lutheri per tres causas contra Cæsarem* 224. A
- Calumnia Luth. in omnes Papistas Dietæ Augustensis* 225. C
- Calumnia Lutheri contra S. Hieronymum de Homouso* 236. C
- Calumnia Luth. in Ducem Georgium, de conficto quodam Iuramento* 248. B
- Calumniæ et conuitia Luth. in omnes Monachos* 254. C
- Calumnia scelerata Cordati, contra Episcopum Roffensem* 279. A
- Canonizatio S. Bennonis à Luthero impugnata* 86. B
- Capitulum concordie inter Electorem Saxonie & Ducem Georgium de Luth.* 245. C
- Carolus à Miltitz, Nuncius Apostolicus ad Eriadericum Electorem Sax.* 12. C
- Carolus V. Imperator Francofordiæ electus* 20. A
- Caroli Quinti Imperatoris sententia in Lutherum Vuormaciæ propria manu scripta* 34. C
- Caroli V. Imp. gloriosus aduentus ex Hispaniis in Italiam* 203. A
- Cardinalis Campegius Legatus Clementis VII. ad Germa.* 88. B
- Cardinalis Augustensis, Cardinalitia dignitate sublimatus, Conuentum Vuormaciensem insigniorem reddidit* 309. C
- Carolstadij acta & scripta contra Lutherum Orlamundæ* 105. C
- Carolstadius ad instantiam Lutheri proscriptus à Ducibus Sax.* 106. B
- Carolstadij & uxoris eius miseria in agricultura ibidem.* C
- Carmina Polonorum in Lutherum* 120. A
- Carmina Sapidi Pedotribæ impia & insipida in Missam* 122. C
- Carnalis uita Lutheranorum* 162. C
- Catechismus Lutheri generalis, et Catechismus pro pueris* 204. A
- Causæ combustionis contra Ius Canonicum à Luth. scriptæ* 23. A
- Clades Vngariæ ex uictoria Turcarum Rege percempto* 151. B
- Clichtouei contra Luth. libri* 77. B
- Christophorus, Episcopus Augusten. Nurebergæ obdormiuit* 305. B
- Chronica Sebastiani Franci, pessimus liber* 260. B
- Colloquium Duorum Iurisperitorum cum Luth. Vuormaciæ* 40. B
- Colloquium Augustæ inter septem & septem habitum* 209. C
- Colloquium illud concordiam non peperit* 210. B
- Colloquium Vuormaciense diu protractum, & subito finitum* 297. C
- Colloquium nouum Ratisponense super libro quodam* 301. A
- Colloquium secundum Ratisponense, per literas prorogatum* 313. A
- Commerciū occultum Lut. cum demone* 2. A
- Comitia Nurenbergæ habita, Cæsare absente* 85. A
- Concilium ad Ciuitatem Tridentinam indictum, est ad tempus suspensum* 305. C
- Concordiæ*

INDEX.

Concordia formula inter Heluetios post praelia		Decretum Lutheranarum Civitatum Spira, de scriptis Luth.	94.C
231.C		Decretum Ratisponense Catholicum, contra Lutherum	98.B
Concordia inter Duces Sax.	254.C	Decretum Heluetiorum post disputationem Badenensem	152.C
Confessio Lutheranorum, Augusta Cesari & Statibus exhibita	207.C	Dehortationes multorum ad Bernenses, ne permitterent disputationem	188.C
Confessio illa in quibusdam aperte mendax	208.A	Delectus Principum, ad agendum cum Luthero Vuornacie	37.B
Confessionis illius Confutatio per Theologos ibidem C		Delectus Principum, ad agendum cum Lutheranis Augustae	209.B
Confessio Zuingliana Quatuor Civitatum	216.A	Delectus huius prolixae disceptationes, inter Cath. & Luth.	210.A
Confusi Lutherani de Satisfactione per verba Lutheri	214.B	Diaboli argumentis nihil credendum esse	265.A
Coniuratio Nobilium quorundam, & bellum contra Treuerenses.	90.C	Diaboli argumentum primum contra Missam uanissimum ib. C	
Consilium de Reformatione, Paulo III. in secreto datum	294.A	Dieta particularis Ratisponae a Catholicis habitata	97.C
Consilium illud calumniosè interpretatum à Luth. ibidem. C		Dieta Imperialis Spirae habitata, Anno 1529. fol. 197.C	
Contemptus sanctorum Patrum & Conciliorum	29.B	Dieta Imperialis Augustae celebrata, Anno 1530 fol.	204.C
Contemptus Theologorum per nouum Test. Luth.	56.A	Dieta Imperialis Ratisponae celebrata, Anno 1532 fol.	232.C
Contributiones à Statibus Imperij, contra Anabaptistas Monasterij	272.C	Dieta Imperialis per Regè FERD. Hagenois habitata	297.A
Conuentus Imperialis, religionis causa Ratisponae habitus	301.A	Disceptatio in Conuentu Principum, de saluo conductu Luth.	31.A
Conuentus Imperialis de ratione belli, aduersus Turcas gerendi, Nurebergae celebratus	305.B	Discedium inter Lutherum et Carolstadium	104.A
Conuentus Imp. in quo de bello defensiuo contra Turcas tractatum fuit.	308.A	Discipuli Lutheri inuouendi, et publicae tranquillitati contrarij	169.C
Conuentus Imp. Vuornaciae indictus	309.B	Discordia Coloniae inter Clerum et Episc.	306.A
Coniugia Luth. in Regem, Generosus placere non possunt	69.C	Disidium inter Luth. & Antinomus Vuittenberge	292.B
Coniugia Luth. Duci Georgio cum Cesare & Rege communia	71.C	Disputatio Lypfica inter Eckium & Lut.	13.B
Coniugia in Caesarem & Principes Imperij	94.B	Disputatio Eckij cum Carolstadio de li. arb.	14.C
Criminationes Luth. contra Legatum Cardinal. Caetanum	10.B	Disputatio Badensis contra Zuinglium in Heluetia	151.C
Criminationes Lut. et Philippi Melan. in Parisienses	46. #	Disputationes tam scandalosae de rebus fidei prohiberi debent	177.C
Cruelitas Luth. in seductos & occisos rusticos	115.B	Disputatio Bernensis à Zuinglianis instituta	188.B
Cruenta & uictoriosa praelia Quinq; contra Zuinglianos	230.A	Disputatio Bernensis à D. Eckio doctè reprobatata	190.C
		Disputatio Marpurgensis inter Lutherum & Zuinglium	199.B
D		Disputatio Lutheri cum Diabolo contra Missas	262.C
Annatio 4. articulorum Lutheri per Leonem X.	25.C	Disputata Vuittenbergae 30. propositiones contra Concilia	289.A
Defensio iudicij Cleri Colonienfis	312.C	Diuortium Regis Angliae impium & iniquum	288.B
Decretum Dietae Imperialis Nurebergae, sine effectu	90.A		

I N D E X.

Duces Saxonie Catholici, Ernestus et Albertus, fratres) 254. A  
 Ducis Saxonie Georgij, & filij eius Friderici, obitus 296. B  
 Ducis Saxonie Georgij egregium dictum 304. C  
 Duo libelli impij et seditiosi, Spiræ in Dieta discussi 148. B  
 Duo libelli Luth. seditiosi, contra Recessum Dietæ Augustensis 217. C  
 Duo terribili hostes Ecclesie, Zuinglius et Oecolampadius 232. A  
 Duæ Conciones Lutheri de obitu Electoris Sax. 239. B  
 Duo Conuentus Imperiales: Vnus Spiræ: Alter Nurenbergæ, celebratus 303. B  
 Duplicita uerba Luth. in actis suis Augustensibus 11. C

E

**E**ckius insignis & imperterritus disputator 13. B  
 D. Eckius febre correptus 301. C  
 D. Eckij reprehensio Responsi Principum Lutheranorum 304. A  
 Edictum Regis Poloniae contra Polonos, Vuitenbergæ studentes 282. C  
 Elector Saxonie quomodo mortuus fuerit Auguste 240. B  
 Emseri Epistola de disputatione Lypfica, à Lutherò improbata 18. B  
 Emserus conuicit Lutherum de scelerato quodam dicto 19. A  
 Emseri noui Testamenti translatio contra Lutherum 54. C  
 Emseri Epithalamium in nuptiis Lutheri 119. B  
 Emseri liber contra Lut. pro defensione Canonis sacri 122. B  
 Encomium Luth. de se ipso, per uerba Ioannis Hus 220. C  
 Epistola Lutheri ad Carolum V. Imp. recens electum 20. B  
 Epistola Luth. ad Principes ex itinere Vuormaciam missa 41. C  
 Epistola Regis Angliæ ad Duces Saxonie 68. C  
 Epistola Ducis Saxonie ad Regem Angliæ de Luthero 70. C  
 Epistola iniuriosa Lutheri ad Ducem Saxonie Georgium 72. C  
 Epistola Imperatoris ex Hispania ad Principes contra ipsorum decretum 95. C

Epistole Lutheri ad Liouoniam, ad Brabantiam, Hollandiam, Sabaudiensemq; Ducem, nequiter missæ 124. B  
 Epistola Luth. ad Cardinalem Moguntinum de uxore ducenda 129. C  
 Epistola Lutheri ad Regem Angliæ deprecatoria 135. B  
 Epistola Ducis Saxo. Georgij ad Hassie Landgrauium Philippum, de cõficto Principum fœdere 183. C  
 Epistola Luth. ad Vuineilaum Lincum, de cõficto fœdere 187. C  
 Epistole illius copia, è Nurenberga Dresdam missa 194. A  
 Epistole Duæ Phil. Melanctonis Spiræ in Dieta scripte 198. B  
 Epistola Lutheri ad Lypfenses, contra Ducem Georgium 243. B  
 Epistola Senatus Lypfensis, ad Ducem Geor. de Luth. 244. C  
 Epistola Electoris Sax. ad Lutherum de Duce Geor. 246. C  
 Epistole Duæ calumniosissimæ in Ersamum Rotterdamum 267. C  
 Epistola Luth. contra Missam, pro Sacramento & cœna Domini 274. B  
 Epistola Ioan. Cochlei ad Vuicelium scripta, à Lutheranis edita 276. C  
 Epistola cuiusdam Poloni in Cochleum propter Phil. Melan. 283. C  
 Epistola antiqua Nicolai I. ad Michaellem Imp. 288. A  
 Epistola Card. Sadoleti, ad Ioannem Sturmium de conuictijs 295. B  
 Epithalamium Lutheri à Conrado Kollin prolixè confutatum 75. B  
 Erasmi Diatriba de libero arb. contra Lutherum edita 140. C  
 Erasmus uicit Lutherum innumeris ueterum præiudicijs 141. B  
 Erasmi purgatio à calumnijs Lutheri de fide sua 268. B  
 Erasmi iudicium, quales sint libri Lutheri ibidem. C  
 Error Lutheri de Baptismo paruulorum 171. C  
 Error Campani de Trinitate ex dictis Lutheri 235. C  
 Error Serueti de Trinitate, & de carne Christi ibidem  
 Error phantasticus Lutheranorum de nouissimo Die 261. C  
 Error Lutheri de Homoufio. 278. C

Euangelium

I N D E X.

Euangelium pacis, à Lut factum est Buccina bel-  
lorum 53.C  
Euangelium Luth. pessimos quosq; recipit ac to-  
lerat 159.C  
Executio Edicti Cæs. in Austria 99.B  
Expulsio Catholicorum pastorum per Luthe-  
ros 57.B  
Exprobrat Luthero nuptias cum Moniali Rex  
Angliæ 137.C

F

**F** Actio Lutherana omnium pestilentissima  
70.A  
Factionis Turcicæ & Bohemicæ exempla  
Ibid.C  
Fallaces Luth. blandicie in epistola Teuth. ad  
Ducem Sax. Georg. 125.C  
False gloriationes Lutheri, quod à seditiosis pro-  
texerit Papiſtas 222.C  
Fauor Poëtarum & Rhetorum erga Lutherum  
contra Theologos 7.C  
Fautores Lut. in Aulis Principum 21.A  
Ferdinandi Archiducis, & locum tenentis Cæs.  
Mai. constitutio 125.B  
Feroctia Lutheri de sola fide, contra totum mun-  
dum 220.B  
Ficta Lutheri humilitas, & querela ad Carolum  
Imp. 20.C  
Ficta Lutheri captiuitas post eius dimissionem è  
Vuormacia 42.B  
Finalis confessio fidei Lutheri 192.C  
Fœdus nouum ab Ottone Pak confectum falso &  
seditiose 183.A  
Franciscus à Sicking bellicosus, à Lutheranis se-  
ductus 90.C  
Fridericus, Dux Saxonie Elector, scholæ Vuit-  
tenbergensis Erector 4.B  
Frobenus ab Hutten, uir nobilis & diues 92.C  
Fructus pessimi Euangelij Lutherici, quos refert  
Dux Georgius in epistola ad ipsum Luth.  
128.C & in prefatione no. Test. 162.B  
Fuga Duorum Decanorū Francfordiæ in plebis  
seditioe 115.B  
Fuga Tyranni Turcarum, propter aduentum  
Cæsaris 237.B  
Fugitiua Lutheranorum abitio 314.B

G

**G** Georgij Ducis Saxonie pro seruando Edi-  
cto Cæsaris mandatum 98.C  
Georgij huius apparatus belli contra se-  
ditiosos rusticos 109.C  
Georgius Vuicelius ex Lutherismo ad Ecclesiam  
reuersus 234.B  
Georgij Vuicelij scripta in Lutherum, & falso  
dictum iustum Ionam 255.B

Germaniæ grande piaculum propter Missæ con-  
temptum 123.C  
Germanorum leuitatem circa nouas sectas incre-  
pat Luth. 169.C  
Gloriatio Lutheri de sua maledicentia 228.B  
Grauamina Centum à Lutheranis odiose pro-  
posita 85.C  
Gynsa oppidum Vngariæ, à Turcis frustra op-  
pugnatum 237.B

H

**H** Allensis Concionator, in sylua incerto  
authore interfectus 163.B  
Hartmannus à Croneberg, Arce &  
oppido spoliatus 91.B  
Henrici VII. Regis Angliæ liber in Luthe-  
rum 47.B  
Henrici huius Epistola ad Duces Saxonie con-  
tra Luth. 54.B  
Henrici Sudphani Apostatæ Martyrium apud  
Tiethmarfos 103.C  
Historia Ioannis Hus, Constantiæ combusti,  
Teuthonice adita 199.C  
Historia Ionæ de exitu & funere Lutheri  
315.C  
Homines 70. è Lypſia emigrare iusti propter  
Lutherismum 250.B  
Hominum illorum seditiosa consolatio per scri-  
pta Lutheri 251.B  
Horrendi errores nouæ sectæ 310.C  
Hyperaspistes liber Erasmi, pro lib. arb. contra  
Lutherum 144.C

I

**I** Actantia Luth. de pace, quam petierit ab  
eo Militius 19.C  
Iactantia Luth. contra Eckium, & Aluel-  
dium 25.A  
Iactantia Lutheri cōtra Regem Angliæ 50.C  
Iactantia Luth. de suo Euangelio, Germanis à  
se tradito. 61.A  
Iactantia Luth. à Rosſeo Anglo ingeniose con-  
futata 66.B  
Iactantia Luth. de se ipso, de uerbo Dei, & de  
scientia linguarum 102.A  
Iactantia Luth. de datis damnis Papæ, & toti  
Clero 111.C  
Iactantia Luth. de suis quasi optimis scriptis,  
de potestate seculari 249.B  
Ignominiosa comparatio Principum ad porcos  
219.C  
Inconstantia Luth. circa Inuocationem sancto-  
rum 241.C  
Inchoatio Cōuentus Imp. Ratisponensis 319.B  
Infelices & perniciosi labores Lutheri 318.C  
Inhibitio

I N D E X.

- Inhibitio Dietæ Spirensis per Cæs. seuerissima* 96. B  
*Iniuriosa uerba Luth. contra Ecclesiam omnium*  
*sanctorum Vuittenberge* 78. B  
*Insana quorundam hominum naturalis pudoris*  
*abiectio* 174. B  
*Insolentia Luth. post obitum Maximiliani Cæs.*  
 12. A  
*Insolentia Lutheranorum in Dieta Spirensi*  
 147. C  
*Intentio & spes dira Luth. contra omnem Cle-*  
*rum* 111. C  
*Interpretatio improba Iusti Ione, contra episto-*  
*lam Cochlei ad Vuicellum* 377. B  
*Interitus Lutheri* 314. C  
*Inuestiua Lutheri in Principes seculares*  
 62. C  
*Inuidia Lutheri in Carolstadium* 105. C  
*Ioannes Hus multo minus impius fuit, quam Lu-*  
*therus* 291. B  
*Ioannes Staupitius Nobilis, Monachus astutus*  
 4. A  
*Ioannes Cochleus Vuormaciæ cum Luth. collo-*  
*cutus* 39. A  
*Ioannis Cochlei exilium Coloniae, & libri ibi*  
*editi* 117. C  
*Io. Coc. Coloniae contra Pomerani epistolam ad*  
*Anglos respondit* 139. C  
*Io. Coc. de Christo Lutheri, ubinam inueniri*  
*queat* 157. B  
*Ioannis Coc. libellus de Christo Pro & contra*  
*ex scripturis ad Principes, ut eo exemplo*  
*prohibeant sectis, passim abuti scripturis in*  
*reprobo sensu* 175. B  
*Io. Coc. ad Bernenses contra Disputationem, ne*  
*fieret* 189. B  
*Ioannis Cochlei reprobatio Reformationis Ber-*  
*nensis* 191. A  
*Ioan. Cochlei liber, dictus Lutherus Septiceps*  
 196. C  
*Io. Coc. Dialogus de bello contra Turcas, ubi*  
*Biceps est Lut.* 201. B  
*Io. Coc. probat ex proprijs uerbis Lutheri, quod*  
*sint seditiosi* 221. B  
*Io. Coc. prouocatio contra quoslibet Lutheranos*  
*ad agendum iure* 222. A  
*Io. Coc. Apologia pro Duce Geor. ad Electorem*  
*Sax. missa* 247. C  
*Io. Coc. responsio, contra mendacia Lutheri pro*  
*Duce Georgio* 251. C  
*Io. Coc. librum suum cum proprie manus epi-*  
*stola misit ad Ele. Sax.* 252. C  
*Io. Coc. liber de Missa et transsubstantiatione cõ-*  
*tra Chronica Franci* 261. A  
*Io. Coc. liber de Missa & consecratione sacero-*  
*dotum contra Luth.* 263. C  
*Io. Coc. libellus de XXI. articulis Anabaptia-*  
*starum* 273. B  
*Io. Coc. libellus ad Iustum Ionam, cõtra Episto-*  
*lam Luth. de Missa* 274. C  
*Io. Coc. liber ad Regem Scotiae, contra Alesium*  
*& Melanch.* 281. A  
*Io. Coc. libelli contra Phil. Melan. propter Po-*  
*lonos editi* 282. C  
*Ioan. Coc. libellus de Authoritate Conciliorum*  
 289. B  
*Ioan. Coc. libellus contra Catechismum Moibani*  
 291. A  
*Io. Coc. Scopæ contra Araneas Morysini Angli*  
 292. C  
*Io. Coc. libellus contra Io. Sturmium de consilio*  
*Card.* 294. C  
*Io. Coc. relatio compendiosa ad Regem Hage-*  
*noie scripta* 297. B  
*Io. Coc. libelli Moguntiae, finito Vuormaciæ col-*  
*loquio, editi* 298. A  
*Io. Coc. præfatio ad Archiepiscopum Colonia-*  
*sem* 306. B  
*Io. Coc. liber de Authoritate Ecclesie contra*  
*Bullingerum* 307. B  
*Io. Coc. liber de Purgatorio igne, contra Osi-*  
*drum ibidem C.*  
*Ioannis Cochlei opuscula* 308. C & 309. A  
*Io. Coc. Epistola ad Principes & Status partis*  
*Catholicæ* 310. B  
*Io. Cochlei libelli* 312. C  
*Io. Cochlei uarij libelli* 319. B  
*Ioachim, Marechio Brandeburg. exercitus Chri-*  
*stiani Capitaneus constitutus fuit* 303. B  
*Ironia Lutheri scurrilis, contra Catholicos de*  
*Missa* 219. A  
*Iter Luth. ad Vuormaciam per saluum cõductum*  
*Cæs.* 31. C  
*Italorum prouerbium* 319. A  
*Iudiciũ Erasmi Roterodami de scriptis Lutheri*  
 158. B  
*Iuris Canonici publica per Lutherum com-*  
 *bustio* 22. C
- K
- K** *Autij Zuingliani barbarici articuli Vuor-*  
*maciæ* 170. C  
*Kautij Duo præcipue impij articuli*  
 171. B  
*Kautij error contra Baptismum paruulorum*  
 173. B  
*Kautij nomen abominabile* *ibid. C*  
*Laicorum*

I N D E X.

L

- L** Aicorum studia circa nouum Test. Luth. 55.B  
 Latibulum Luth. in ficta eius captiuitate 43.B  
 Legati Card. Campegiij constitutio contra abusus Cleri 98.C  
 Leges Lutheri de communi fisco seu cista 84.C  
 Leuitas Lutheri in offerenda doctrine sue Palenodia 139.B  
 Liber primus Lutheri, Resolutio 95. propositio- num 6.C  
 Liber Lutheri ad Nobilitatem Germaniæ con- tra Papam 21.C  
 Liber Luth. de Captiuitate Babylonica 26.A  
 Libri Luth. iussu Cæsaris combusti 27.C  
 Libri Lutheri pleriq; in speciem pietatis editi 29.C  
 Liber Luth. ad Franciscum à Sicking de confes- sione 43.B  
 Liber eiusdem contra Iacobum Latomum, in quo calumniatur S. Tho. Ibid. C  
 Liber eiusdem De abroganda Missa priuata ib. 44.B  
 Liber Luth. de uotis Monasticis Ibid. C  
 Liber Lutheri Teuthonicus contra Bullam cœ- nœ Domini 49.C  
 Liber Luth. Teuth. contra falso dictum statum Ecclesiasticum 52.B  
 Libelli Duo Teuth. ualde scandalosi à Luthero editi 61.B  
 Libri Ioannis Fischeri, Episcopi Roffensis in Anglia 64.C  
 Libri Duo Luth. ad Bohemos, Pighardos, & Hussitas 79.C  
 Libri contrarij eiusdem contra eosdem 80.B  
 Liber Luth. ad Iudeos de Iesu 83.B  
 Libellus Teut. cuiusdam Laici contra seditiosa scripta Lutheri 226.C  
 Liber Luth. Teuth. conuictiosissimus contra eum Laicum 227.B  
 Libri Iudæizantis condemnatio Ratisponæ facta 233.C  
 Libri septem Serueti contra Trinitatem 233.C  
 Liber Teuth. Pomerani, dictus aduersus fures Calicis 237.C  
 Liber iste egregie confutatus à Theologo Mi- chæle Veho. 238.C  
 Liber Luth. in Ducem Georgium malignissi- mus contra omnes Monachos 253.B  
 Libellus Conradi Cordati in Cochleum, & eius confutatio 278.A  
 Liber Pauli Abbatis Veteris Cellæ in Misnia, de uisionibus Lutheri 280.B  
 Librorum Luthericorum prohibitio in regno Angliæ 299.B  
 Librorum Luthericorum & Zuinglianorum prohibitio in Brabantia 300.A  
 Luder idem, qui postea Luther, & Lutherus 1.B  
 Lutheri studia in diuersis scholis Ibid.  
 Luth. propter litem inter Monachos suos Ro- mam profectus 2.B  
 Lutheri Doctoratus per alienam pecuniâ fraude præceptâ Ibid.  
 Lutheri doctrina contraria de securitate salutis 5.A  
 Lutheri ficta humilitas erga Papam Leonē X. 6.C  
 Lutherus Romam citatus, uenit Augustam ad Card. S. Sixti 8.A  
 Lutheri Appellatio Augustæ à Legato ad Pa- pam 9.B  
 Lutherus ad Legatum reprehendit seipsum, sed ficte & in dolo 12.B  
 Luth. inuitus et iratus acceptauit Iudices dispu- taturus 15.B  
 Lutheri clamor ad uim & arma contra Roma- nam Curiam 23.C  
 Lutheri conuictia & calumnie in Louanienses & Colonenses Theologos 24.B  
 Luth. è Vuormacia in saluo conductu dimissus 41.C  
 Lut. domum reuersus, reprehendit facta suorum ex inuidia 49.A  
 Lutheri censura in libros noui Test. 60.A  
 Lutherus qualis bestia sit, ab Episcopo Roffensi describitur 65.A  
 Lutherus similis cæco, dimicanti cum uidente Ibid. C  
 Luth. calumnijs concitat in Principes populum 69.C  
 Luth. contra Mercatores, & contra Principes, ut socios furum 100.A  
 Lutheri scripta contra Carolstadium 107.B  
 Lutherus nō minus mendax de seditionibus fuit, quam Muncerus 112.B  
 Lutherus de seruo arbitrio contra Erasmus Ro- terod. 142.C  
 Lutheri astutiæ laudes, cauilli & calumnie in Erasmus 143.B  
 Lutheri prouocatio & iactantia, de sua doctrina contra omnes 155.B  
 Lutherus absurde in plerisq; locis torquet & peruertit scripturas 175.C  
 Lutherus radix amaritudinis multarum sectarū 176.B

I N D E X.

Lutheri liber in Anabaptistas, contrarius prioribus eius scriptis	178.C	Mine Luth. contra Ecclesiasticos	226.B
Lutherus de fide paruulorū uarie sentit et errat	179.B	Minothaurus Ioannis Cochlei in Lutherum	76 B (77.A)
Lutheri liber secundus contra Zuinglium & Oecolampadium	192.B	Missandi formula imperiose à Luth. prescripta	
Lutheri liber conuictiosus in Ducem Georgium de priuatis epistolis	195.C	Missæ Vuittenbergæ conficta de nuptiis Carol Stadij	104.B
Lutheri liber Teuth. de bello contra Turcas cauillosus	200.B	Monachus Lut. Erfordie et Vuittèbergæ	1.C
Lutheranorum contumacia Augusta, ne irent in processione	206.A	Moniales Nouem una nocte raptæ, & perdusæ à Vuittenbergam	78.C
Lutheri libri cauillosi & calumniiosi Augustam missi	213.A	Monialis Nona, Katherina de Bore, facta uxor Luth.	79.C
Lutheri acerbitas contra Ecclesiasticos de satisfactione	ibid. C	Monialis florentina profuga, à Luth. excusata	100.C
Lutheri superbia de sua translatione contra Catholicos	215.C	Monasterium Ciuitas Episcopalis, urbs munitissima Vuestualie	270.B
Lutheri Cantilena contra Papistas, qui bellum timent	227.C	Morsus Lut. clamosi sunt, sed non ualidi	67.B
Lutheranorum statuum conuentus Suinfordie seorsum habitus	233.B	Morysinus Anglus calumniator contra Rossensem. & Tho. Morum	292.C
Lutheri contra Vuicelium persecutio	234.B	Multiplicatio librorum Pro & Contra per sectas	177.B
Luth. proditor & Animicida sui Patroni Electoris Sax.	240.C	Munceri tonitrua & sesquipedalia uerba ad sectarios	108.C
Lutherani per Amalcch prefigurati sunt, tanquam gens Bruta	252.C	Munceri falsa iactantia de multitudine rusticorum	109.B
Lutheri liber Teuth. contra Missam & sacerdotum consecrationem	262.A	Murmura Lutheranorum Vuormacie contra Cæs.	36.B
Lutherani, negâtes Transsubstantiationē, Zuingliani sunt	279.C	Murneri Corollaria contra sacrilegia Zuinglianos	154.B
Lutheri criminationes cōtra Principes, tanquam rebelles imp.	285.C	Mutatus à Luth. textus Noui Test. in multis locis	60.C
Lutheranorum et Zuinglianorū concordia Vuittenbergæ attentata	287.B	Mutationes temerariæ totius Religionis per Luth.	160.A
Lutheranorum uarie intricaciones & ambages	302.A	Mysteria de Sacramētis, nō sunt omnia in scripturis expressa	280.A
M		N	
<b>M</b> Agnes ferrum, non stannum attrahit	318.B	<b>N</b> icolai I. Papæ Decreta ex Gratiani decretis excerpta	288.A
Mendacium Luth. insigne, & à Murnero coronatum	64.B	Nomen Lutheri execrabile futurum omnibus	160.C
Merdæ & stercora in ore & calamo Lutheri	67.C	Nomina Principum posita in conficto sceleris	184.C
Michael Vetus insignis Theologus, contra Pomeranum	238.B	Nomen Lutheri execrabilius nomine Diaboli et iude	264.C
Milites Lutherani Romæ in omnia sacra grassati	167.B	Nomina Collocutorum, qui super libro, à nonnullis conscripto, Ratisponæ disceptarunt	301.B
Mine Lutheri contra seculares Principes	63.C	Nomina quorundam Episcoporum Colonien- sium	306.B
Mine Luth. contra Principes à signis & prodigijs	112.C	Nomina trium filiorū Martini Lutheri	318.C
Mine Lutheri in Tertio suo de rusticis libello	114.A	Nouum Testamentū Lutheri in linguam Anglicam translatum	132.B
		Nouus Bohemæ & Vngariæ Rex FERDINANDVS	151.C
			NONUM

INDEX.

- Nouum Testamentum Emseri, cum praefatione Ducis Sax. Georgij 161. B
- Nouorum Theologorum morbus et inconstantia 236. B
- Nouum morem celebrandi Concilium, petunt Lutherani 257. C
- Nugae Lutheri de Confessione Electoris Sax. Augustae 241. B
- Nugae Luth. de Rutea corona in stemmate Ducum Sax. 253. C
- Numerus Principum & Statuum, qui Augustae subscripserunt 218. A
- Nuptiae Lutheri Anno 1535, in comuni lectu Germaniae 118. A
- Nuptias uarijs rationibus prolixè suasit Luth. frustra Card. Mog. 130. B
- O
- Obsidio ciuitatis Viennensis in Austria terribilissima per Turcas 202. A
- Obitus Eckij & Pighij 305. C
- Obscenissimus liber Lutheri contra Papam et Card. 308. C
- Oecolampadij errores & mendacia 153. C
- Opera poenitentiae Niniuitarum 304. C
- Opuscula Ruperti Tuitiensis, Lutheranis interuersa & erepta 132. C
- Opuscula illa Coloniae retenta et excusa 133. B
- Opuscula complura Geor. Vuicelij contra Lut. 235. A
- Orationes Tres ad Principes Imperij Nurembergae habitae 89. B
- Oratio Andreae Critij Poloni, ad Regem suum contra Luth. 119. B
- Oratores Duo à Papa & Imp. missi ad Principes Catholicos & Lutheranos, pro celebrando Concilio 256. B
- Otto Pak Casliae turpiter confusus, conuictus & proscriptus est 187. A
- P
- Apae admonitio ad Caesarem scripta OS. B
- Papa manet, heretici ut aqua dilabuntur 318. A
- Parisiensium Theologorum de doctrina Luth. iudicium 45. C
- Pasio Episcopi Roffensis, & Tho. Mori in Anglia 284. C
- Pathmos Lutheri superbe cōficta, in qua latuit 45. A
- Phil. Melan. egregie confutatus à Tho. Radino 121. A
- Phil. huius iniuriae contra Scotos 281. C
- Pœna in hereticos Hallenses modica fuit 286. A
- Præda maxima Romæ Germanis militibus parum profuit 167. C
- Praefatio Ioannis Cochleii in Sex libros Innocentij III. de Missa 263. B
- Primus recubitus in coenis Lutheri 316. C
- Principes saeculares dicuntur à Luth. Carnifices Dei 63. A
- Processio in festo Corporis Christi splendide peracta 206. B
- Prohibitio librorum Luth. fecit libros preciosius uendi 59. B
- Prognosticon Iuliani Episcopi Toletani, de futuro saeculo. 287. C
- Propositiones contrariae, de Indulgentijs inter Lut. & Tetzelium. 5. C
- Propositiones LXXV. Luth. contra Louanenses 311. B
- Protestatio Lutheri coram Card. S. Sixti Augustae 8. C
- Protestatio Theologica in disputatione Lypfica 14. C
- Propugnatio & propagatio strenua Lutheranorum Euangelij 57. C
- Prouocatio Luth. ad disputandum Vuittenbergae 11. B
- Pugnare contra Turcas, prohibuit Lutherus 150. C
- Purgatorium à Luthero Lypfie confessum 16. B
- Q
- Qualis mors Lutheri 315. B
- Quales Lutheri ad Deum preces 316. A
- Qualia Apophthegmata Lutheri 316. C
- Quale Christi in animam Lutheri iudicium 317. B
- Questiones Ioan. Cochleii ad Iustum Ionam de Missa. 275. C
- Questio ex factis, An liceat uni duas habere uxores simul 293. A
- Quatuor Euangelia noua sectarum 176. C
- Querhameri, ciuis Hallensis, tabulae contradictionum Lut. 286.
- Querela Lutheri contra Indulgentias ad Card. Mog. 4. C
- Querela Luth. ad Spalatinum de disputatione Lypfica 17. A
- Querela & accusatio Luth. contra Eckium ad Leonem X. 15. A
- Querela Luth. contra Suermoros, aureos amicos suos 156. C
- Querela eiusdem contra Aulas Principum 157. A
- b \* ij Querela



I N D E X.

- Querela* Lut. de Diaboli astutijs in nouis festis  
169. A
- Querela* Duck Georgij ad Electorem Sax. de  
Luth. 245. B
- Querela* iniqua Lutheranorum contra Octo  
articulos de Concilio 257. B
- Querela* Erasmi Roter. super morte Roffensis,  
& Tho. Mori 285. B
- Querela* Concionatorum Luth. contra Lega-  
tum 302. C
- Quinq;* Cantonum Catholicorum in Heluetijs,  
*Quinq;* praelia prospera & uictoriosa de  
Zuinglianis 229. C
- Quinq;* Cantonum Catholicorum laudis pra-  
conia 231. C
- R
- R**ecessus Dietae Augustensis à Lutheranis  
recusatus 216. C
- Reformatio Luth. Teuthonice ad Nobil-  
tatem Germaniae 22. B
- Religiosa gens *Quinq;* Cantonum in Heluetijs  
231. A
- Religionis mutatio in Anglia propter Regis  
diuortium 284. B
- Religionis Catholicae in Anglia restituitio  
298. C
- Responsiones Luth. Vuormaciae coram Caesare  
in publico datae 33. B
- Responsum eiusdem ad delectum Principum  
ibidem de uerbo Dei 38. B
- Responsum graue et reprehensorium Ducis Geor-  
gij. ad literas Luth. 127. C
- Responsum graue, pium, & eruditum Regis An-  
gliae. ad literas Luth. 136. B
- Responsum proteruum Lut. ad Consulem Lyp-  
sensum 245. B
- Responsum Protestantium de libro 302. A
- Reuocatio Tauberi, ciuis Vienenensis, & relapsi  
supplicium 99. C
- Rex Angliae oblatam à Luth. Palinodiam recu-  
sat 138. B
- Rex ille à Luth. laudari non uult, nec eum pro  
inimico habere ibid.
- Rex Vngariae Ludouicus bello a Turcis uictus  
interijt 150. C
- Rex Anabaptistarum Monasterij, Ioannes à Ley-  
dis 270. C
- Ridiculus libellus nomine Parisiensium confictus  
46. C
- Ridicula comparatio Lutheri, qua Principes  
lendibus confert 156. B
- Ridicula figmenta Lutheri contra Concilia  
289. C
- Roma à militibus Caesaris capta ac direpta  
166. A
- Rusticorum caedes in Franckenbusen, oppido  
Turingiae 110. C
- S
- S**criptura sacra, sola, in Concilijs non potest  
esse iudex 258. B
- Scurrilitas Luth. in libro contra Ducem  
Sax. Geor. 247. A
- Secretum Anglicorum Apostatarum uino reue-  
latum 134. B
- Secretum illud per Hermannum Rincum, et Io.  
Cochleum praepeditum ibid.
- Secta Lutheri foedissima 68. B
- Sectarum confusio, & querela Luth. contra  
Zuinglianos 168. C
- Seditiosa uerba Luth. ad Imp. & Reges contra  
Papam 27. B
- Seditiosus liber Luth. contra Duo Mandata  
Imperialia 93. B
- Seditiosae plebis Fracfordiae articuli 47. 115. B
- Seditiones populares Moguntiae & Coloniae  
116. C
- Seditiones à Luth. affectatae 160. B
- Seditiosae criminationes Luth. contra Principes  
seculares 250. A
- Sermo Lut. de Destructione Hierusale 149. C
- Seuera contra nouam sectam, in inferiore Ger-  
mania exortam, executio 311. A
- Stulta Iona Historia 319. A
- T
- T**emplum S. Petri Romae indulgentijs  
Leonis X. complendum 3. A
- Thomas Muncerus turbulentissimus ru-  
sicorum concitator 108. B
- Thomas Cranmerus Orator Anglicus Ratispo-  
nae 233. B
- Tigwinorum contra Lutherum Responso  
312. A
- Tragica historia de uiro & uxore sua Basileae  
181. C
- Translatio noui Testamenti per Luth. in Ger-  
manicum 54. C
- Tres libri Buceri ad Conuentum Ratisponensem  
310. A
- Tumulus bellicus inter Heluetios propter dis-  
cordiam in fide 198. C
- Turbatio Germaniae maxima, ubiq; seditionibus  
concussa 114. B
- V
- V**anitas minarum Lutheri 264. A
- Varij de Lutheri obitu libelli 315. A
- Venatio

I N D E X.

Venatio Luth. contra Capricornum Emseri	18.C	Vuicelij 44. Capitula de Euangelio Lutheri	265.C
Verba Vuicelij in Iudocum Koch, qui se dicit		Vuicelij multa opuscula contra Luth.	266.B
Iustum Ionam	235.B	Vuicelius de raritate & contemptu orandi apud	
Verba Card. Contareni ad Io. Cochleum, de		Luth.	ibid.C
concordia	295.C	Vuicelij reprehensiones contra Luth. de triu-	
Verba Caesaris in Mandato ad Principes &		nio & Eleemosyna	267.A
Status	314.C	Vuicelius reprehendit Laicos Monasteria oc-	
Vexatio Concionatorum Catholicorum per		cupantium Ibid.	
no. Test. Luth.	56.C	Z	
Virginitas à Paulo praefertur Matrimonio,		Zinglius tergiversator & contumax	
quod negat Luth.	74.B	contra dispn. Badensem	152.B
Visitatio Saxonica à Luth. & à Philipp. eius		Zuinglij Antilogie per Io. Fabrum	
descripta	190.B	collectae	153.B
Vlricus Huttenus prosa & carmine ingeniosus		Zuinglij accusatio per 40. conclusiones Tho.	
ac uehemens	21.B	Murneri	ibid.C
Vltima Lutheri oratio	317.A	Zuinglianorum Confutatio per Rossensem &	
Vota libere dimitti posse docet Luth.	101.B	Chlichtoueuum	170.B
Vuicelius cur Lutheranos uocat Thraces &		Zuinglij tristic exitus in primo Tigurinorum	
scordiscos	255.C	praelio.	229.C

CORRECTORIVM.

Pagina 4. linea 35. calamo. pag. 5. lin. 4. potui. pag. 11. lin. 2. subtractus. pag. 41. linea 34. 26. pag. 43. lin. 17. alius eos. pag. 44. linea 20. quamlibet. pag. 46. lin. 11. natam. pag. 129. lin. 23. Lu- there. pag. 134. lin. 40. Dunelmensem. pag. 137. lin. 35. compressisti. pag. 139. lin. 31. si modo. pag. 145. lin. 14. Longolius. pag. 146. lin. 18. quomodo. pag. 149. lin. 20. non uacat haec uox. pa. 152. lin. 37. pueruli. pag. 153. lin. 21. recitauit. pag. 159. lin. 3. e pumice. pa. 164. lin. 10. sitientibus. pag. 181. lin. 14. grauitur. pag. 182. lin. 10. marito. pag. 190. lin. 26. fraternitates. pag. 191. lin. 31. à uotis. pag. 195. lin. 36. Principibus. pag. 203. lin. 6. Millenos. pag. 209. lin. 25. Comitibus. pag. 216. lin. 30. incita- tio. pag. 230. lin. 2. subscriba. pag. 234. lin. 20. indicij. pag. 235. lin. 14. Campensem. pag. 244. lin. 27. odij. pag. 261. lin. 17. conuictorum. pag. 268. lin. 22. quietam. pag. 280. lin. 2. indica. & lin. 3. in- dicaueritis. pag. 287. lin. 12. ferit. pag. 295. lin. 26. liberalius.

b \* iij

D. BRUNI EPISTOLA  
 AD VNIVERSOS PIOS ET CA-  
 THOLICOS, SACRARVM HISTORIARVM STUDIOSES,  
 Conradus Brunus Iureconsultus.

Quanta ex  
 Historijs  
 utilitas.



**N**TER EA, QUIBVS AD

comparandam nobis Historiarum cognitionem inuitamur, præcipuum est, quod ex Historia, tanquam uitæ magistra, certas actionum humanarum formas et exempla, tum uaria consilia, depromimus: Quibus instructi, & quæ honesta & utilia sunt sequi, & quæ turpia & noxia, deuitare possumus. Nam si scitum est, quod in Comoedia Senex ad Adolescentem ait, Periculum ex alijs facere tibi, quod ex usu fiet: Et si istuc est sapere (ut in Adelphis inquit Seruus) non quod ante pedes modo est uidere, sed etiam illa, quæ futura sunt prospicere: hanc certe sapientiam omnium maxime ex Historijs nobis comparabimus.

Speculum  
 rerum agē-  
 darum.

Historia siquidem exempla nobis exhibet & uelut ob oculos ponit, honestorum & prauorum consiliorum, tum quæ ex prauis mala, & quæ ex honestis consilijs bona fuerint consequuta, demonstrat: In quæ nos tanquam in speculum inspicientes, ex alijs nobis exemplum sumimus, & longe ante prospicimus, quæ consilia nobis amplectenda sint, quæ fugienda: & quomodo quæ honesta sunt & utilia, consequi: contra, quæ turpia & noxia, aliorum moniti exemplis, uitare possimus.

Iulius Capito-  
 linus in tribus  
 Gordianis,  
 De futuris  
 conijcere.

Immo sunt, qui in Historijs ea tantum ponenda esse putent, quæ aut fugienda sint aut sequenda. Sed & eam commo- ditatem affert Historia, quod de uarijs retroactorum temporum casibus, Historiarum scientia præditi, certius de præsentibus iudicare: immo, quæ euentura sunt, conijcere & prædicere possunt. Qua re tum id quoque assequuntur, ut non solum imminentium periculorum tempestates ipsi declinare, & alijs etiam, quo ab his ipsis sibi caueant, præmonere possint: sed etiam quasi Mantici quidam omnibus admirationi sint, & pro Vatibus habeantur. Et ne id mirum quidem, siquidem qui bene coniectat, eum optimum

Cicero lib. 2.  
 de diuinatione.  
 Plutarchus in  
 libello de res-  
 ponsis Pythiæ

Vatem prouerbio quoque ueteres appellarunt, ut Plutarchus & Cicero scribunt: nimirum admonentes, futurorum predictionem, non è sortibus augurijs & constellationibus petendam esse, sed à prudentia. Siquidem qui prudens est, is ex præteritorum præsentiumque coniecturis facile, quid euenturum sit, prospicere potest. Propter quod & Aristoteles recte prudentiam atque sapientiam hominum, celerem diuinationem appellauit. At Prudentiam omnium maxime nobis ex Historiarum cognitione comparabimus.

Arist. lib. Mo-  
 raliu Eude-  
 miorum li. 7.

mus.

mus. Etenim Historia nos docet, præterita præsentibus connectere, & ex his coniecturas sumere, & quid futurum sit prospicere. Ipsa enim, uelut ab alta specula, omnes hominum actiones, rationes, consilia, & euentus, longe retro actorum temporum contemplanda nobis demonstrat, & ex his quæ gesta sunt, quid ex quolibet rerum gerendarum consilio euenire possit, conijcere docet. Ex qua re & illud consequitur, ut qui ætate sunt non admodum prouecti, seniores etiam quantumlibet rerum usu expertos, tamen Historiarum ueterum ignaros (quorum ideo maior authoritas est, quia plura nosse & uidisse creduntur, ut Fabius ex Homero refert) prudentia, quam ex Historiarum lectione adepti sunt, uel æquent, uel sæpe etiam superent: et quam illi prudentiam uix longa ætate, eam hij breui temporis spacio, sed assiduo Historiarum studio consequantur. Et (ut idem Fabius ait) quantum ad rerum cognitionem pertinet, ut etiam præteritis sæculis uixisse uideantur.

Historia  
parit prudentiam.

lib. 12, c. 4.  
orat. insti.

Et si autem ad omnes communiter ordines, ætates, ad omnis conditionis et fortunæ homines, summos & infimos, priuatos et Magistratus publicos gerentes, quas modo enumerauimus, pertineant Historiarum utilitates: tamen maximus est, idemque optimus, fructus, quem rerum publicarum Principes, & qui publicis in Republicis muneribus funguntur, ex Historiarum cognitione capiunt: ad omnes siquidem pertinet, quicquid ab his uel bene agitur uel male. Bene quidem & prudenter, si consilijs uis fuerint bonis: male & perperam, si malis. Ipsi siquidem uel summo omnium bono prudentes sunt, uel summo omnium malo stulti & insipientes. At uero ex Historijs, tanquam officiorum omnium & prudentiæ instructissimo mundo, delectum facient, eorum quæ dixi consiliorum tam bonorum quam malorum: ut illa amplectantur, hæc uero repudient atque auerferentur. Historia siquidem multiuaga uariisque, ac uberrima omnium generis exemplorum copia, innumeras ac diuersarum causarum & euentuum, consiliorumque formas, in quibuscumque negocijs, tam sacris quam prophanis: tam publicis quam priuatis: tam pacis quam belli, suppeditat. Veluti, si de sedanda plebis aduersus Magistratus seditione deliberandum sit, prudens Irenarcha, id est, qui ad tollendas discordias, & pacandos in Republica discordantium animos, præficitur, multis ex Historijs sibi propositis consilijs id sibi deliget, quod bonum & foelicem: contra uero repudiabit, quod malum & infaustum, euentum habuisse animaduertent. In qua re & illud diligenter cauebit, ut quæ prudentiores probauerint, ipse quoque probet: quæ negligenda declinandaque esse putauerint.

Præcipuus  
fructus Historiarum  
in Magistratibus.

Mundo, id est,  
ornatum arca  
aut repositorio.

Exemplorum copia  
ex Historijs.

Id est pacificator  
seu princeps pacis.

rint, ipse quoque negligat et declinet. Quale fere de Romanis exemplis iudicium fert Cicero. Ex exemplis (inquiens) Romanorum ea esse sequenda, quae populus Romanus probat, non quae condemnat.

Malum cō  
siliū de  
admittēdis  
Tribunis  
plebis.  
L. Florus lib.  
3. c. 12.

Sic consilium Senatus Romani, quo ad sedandam plebis seditionem, in monte sacro desidentis, plebi Magistratum suum permisit, omnibus modis repudiabit prudens Irenarcha: Quia scilicet ex Historijs didicit, infœlicissimum huiusmodi consilij fuisse euentum. Quippe Tribunitia potestas, subsequētib; temporibus omnium seditionum causam excitauit: quae spem quidem plebis tuendae, cuius in auxilium cōparata fuerat, re autem dominationē sibi acquirens studium populi, tum aduersus Senatum, tum aduersus Tribunos ipsos uarijs modis agitauit. Nam praeterquam, quod Tribuni ipsi per se rerum nouandarum studiosi fuerunt, & miri seditionum concitandarū artifices: ipse etiam populus ea intumescens potestate, Tribunos, quoties libuit, in Senatum insurgere compulsi, ut iam à multitudīne regi magis, quam regere ipsi uiderentur, ut

Tit. Lilius li.  
3. ab urb. cond.

inquit Lilius. Quae res innumerarum prope seditionum causa fuit, ac proinde orta plebis aduersus Senatum seditione, neglecto eo, quod tam infœliciter Romanis successit, consilio, quiduis potius sustinebit Magistratus, quam ut neglecta auctoritatis suae maiestatis, de Imperio suo quicquam remittat, aut in plebem transferri patiatur: quin potius tale adhibebit remedium, quo non in praesentia tantum seditio comprimatur, sed ne mox Respub. in grauiorem morbum recidat, omnis simul causa grauioris mali praecidatur.

Malum cō  
siliū de  
haeresi extir  
panda.

Trip. lib. 3.  
cap. 4.

Sic ad extirpandas alicubi subortas haereses, reconciliandamque in religione discordantium pacem: Magistratus, tam Ecclesiastici quam saeculares, ea sibi ex Historijs consilia decerpent, quibus extinctae olim haereses, non quibus auctae atque corroboratae fuerunt. Ac proinde neque liberum permittent unicuique, quod libeat credere. Quo consilio Iouianus Imperator, etiamsi Catholicus Princeps, & Valens haereticus, usi sunt. Ille quidem, ut hoc modo blandimentis & suasionē uerborum, discordantium contentiones abscinderet: Hic uero, ut pace utcumque inter colentes facta, Arrianorum ipse interim haeresim confirmaret.

Trip. li. 9. c. 2.

Sic nec haereticis Ecclesias dabunt, nec sacra peragere permittent: Quod Gratianum & Valentinianum lege quoque sanxisse, tradunt Historiae.

Consilia de  
Colloquijs  
cum haereticis  
fugiēda

Sed nec colloquia inter Catholicos & haereticos instituent, quod Principes quosdam Catholicos Augustini temporibus fecisse, ipse in Breuiculo suo, & saepe alias in Epistolis, testatur. Haec (inquam)

(inquam) ueterum consilia nostri Magistratus, siue Ecclesiastici siue sæculares, in extirpandis hæresibus, & componenda inter discordantes pace, minime amplectentur. Nam etsi pia & Catholica Veterum Principum fuerit intentio, nempe, ut his consilijs perturbatum hæresibus & schismatibus Ecclesiæ statum, ad concordiam & tranquillitatem reducerent: tamen, quia huiusmodi consiliorum infœlicem fuisse euentum Historiarum exemplis docentur, minime imitanda erunt, sed omnibus modis, quæ tam male successerunt, reprobanda. Contra uero deligenda erunt, quæ fœliciter successerunt et euentum habuerunt. Cuiusmodi sunt, Vt Catholici Magistratus sub orientibus hæresibus in tempore occurrant: Vt Ecclesiarum Prælati à Ro. Pontifice, de admonendis conuertendisq; hereticis, & qui ab his ipsis decepti fuerint: tum interponendis fundendisq; pro ipsis ad Deum precibus: tum damnandis & Anathemate feriendis his, qui pertinaciter in errore perseuerauerint, admoneantur: Vt Ecclesiarum Episcopi & Prælati, quæ ad hunc modum à Ro. Pontifice mandata fuerint, quæq; iuxta paternas regulas ad eorum officium pertinent, in conuertendis hereticis, damnandisq; & anathematizandis hæresibus, earumq; authoribus, fautoribus, & defensoribus, fideliter exequantur. Vt Imperator cæteriq; Catholici Principes, à Romano Pontifice, cæterisq; Episcopis & Prælati, admoneantur, ut ipsi quoq; sanctam Dei Ecclesiam, aduersus hereticorum insultum defendant, & quæ aduersus ipsos & eorum errores, Ecclesiastico iudicio decreta fuerint, executioni mandent, ac iniuriam Deo & Ecclesiæ eius per ipsos illatam, ipso etiã gladio uindice persequantur. Deniq; ut Imperator, & Catholici Principes, ad hunc modum à Prælati Ecclesiasticis admoniti, tum latis à se quoq; legibus, tum publicis edictis propositis, hæc omnia re ipsa exequantur.

Consilium  
efficax con-  
tra exortas  
hæreses.

Executio  
contra hæ-  
reticos.

Hæc (inquam) & similia consilia, quibus ad uindicandas extirpandasq; hæreses, ueteres Ecclesiæ Principes & Magistratus, tam Ecclesiastici quam sæculares, usi sunt: nostri quoq; Principes & Magistratus, quoties usu uenit, quisq; pro iniuncto sibi officio amplecti debent. Quia hæc ipsa fœlicem olim habuisse euentum, ex Historijs, tam sacris quam prophanis, edocentur.

Sed nec illa contemnenda Historiarum utilitas est, quod & Exempla boni per eas ipsas uirtutum suarum laudem adipiscuntur, & mali uitorum reprehensionem patiuntur: & hoc quoq; modo bonis, quæ sequentur bonorum, & quæ fugiant malorum, exempla proponuntur. Quippe Augustum, Flauium Vespasianum, Titum, Cocceium Neruam, Diuum Traianum, D. Adrianum, Pium & Marcum

Exempla  
Principum  
bonorum.

Exempla  
malorum.

Marcum Antoninos, Seuerum Afrum, Alexandrum Seuerum, Claudium, Aurelianum, Valerianum: tametsi Idolatras, tamen omnes salutare Reipub. Principes. Constantinum item Magnum, Marcianum, Theodosios, Valentinianos, Arcadium Honorium, Iustinianum, & reliquos eorum successores, pios & Catholicos Principes. Et contra, Claudium, Neronem, Caligulam, Domitianum, Maximinos, Antoninum Caracallum, Heliogabulum, Maximinos, Gallienos, Diocletianum, Idolatras, Constantium item, Valentem, Iulianum, Anastasium, & si qui sunt his similes alios, titulo quidem Christiani nominis insignitos: re autem ipsa Ecclesie Catholice crudelissimos persecutores. Quis (inquam) omnes hos tam bonos quam malos Principes, immo inter hos etiam monstra quædam & portenta nosset: nisi eorum ipsorum dicta & facta, Suetonius, Cornelius Tacitus, Dion Calsius, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Trebatius Pollio, Flavius, Vopiscus, Orosius, Eutropius, alijque Historici, in literas retulissent: ac omnibus, quotquot post fuerunt, & deinceps futuri sunt, Principibus imitandi fugiendique exempla reliquissent?

Historici  
de gestis  
Principum

Possem iam innumera prope consiliorum, tam bonorum quam malorum, exempla inferioribus Magistratibus, omnibusque adeo qui publicis in Reipub. muneribus funguntur, uel imitanda uel declinanda, ex Historijs proferre: Sed que unusquisque sibi, quatenus ex usu esse putabit, paucis his a nobis commonefactus, uel deliget bona, uel mala repudiabit.

Ex Cic. lib. 1.  
actionum in  
Verrem.

Fabius Quintilianus cognitionem Historiarum Oratori necessariam esse affirmat, quod abundare debet exemplorum, tum ueterum tum nouorum, copia. Veterum quidem ea fortasse ratione, quia antiquitas ipsa plurimum solet & authoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum, ut inquit Cicero. Sed utrarumque, quia tam ueteres quam nouæ, plurimum tam ad probandum, quam ad docendum ualent: maxime in his rebus, quæ ad disciplinam publicam moresque, & ad rerum publicarum administrationem pertinent. In exemplis enim non modo res ipsas gestas, sed ipsarum etiam actionum consilia, unde exempla nata sunt, spectamus. Ego uero hunc exemplorum usum non Oratori tantum, sed omnibus etiam, qui de Reipub. siue constituenda, siue prudenter gubernanda, tum de singulorum etiam Reipub. administrationum muneribus recte administrandis, certa præcepta tradunt, utilissimum esse puto: ac de me certe illud affirmare ausim, me non alia re magis in his, quæ a me hæcenus scripta sunt, utcunque absoluis, quam exemplorum copia esse adiutum. His enim ipsis, non solum

Quomodo  
promissio  
ue utendū  
est exem-  
plis.

solum quæ demonstranda à me suscepta sunt, probasse mihi uideor: sed etiam quæ demonstrata sunt, in certam consiliorum, præceptorum, officiorumque formam redegisse. Id autem quam foeliciter præstiterim, eorum esto iudicium & censura, qui Legationes meas (in quibus plus minus Quadringentis exemplis, ex uarijs Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, tam sacris quam prophætanis Historijs depromptis, & singulis ad suum apposite, utputo, collatis locis usus sum) aliasque lucubrationes meas, præsertim hæc, quæ nuper de Hæreticis æditæ sunt, legerunt.

Libri D.  
Bruni De  
Legationibus.

Iam uero ex omnibus Historijs omnium maxime eas deligendas esse censeo, quas esse uerissimas iudicabimus. Etsi enim prima lex Historiæ sit, ut nihil falsi dicat, nihil ueri dicere non audeat, & ut nulla sit in ea gratiæ suspitio: tamen eam legem non eque in omnibus Historijs ab omnibus obseruatam esse scimus, Vt Flavius Vopiscus, ipse quoque non continendus Historicus, non uereatur dicere, neminem scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non aliquid esse mentitum. Nam & in T. Liuiio quædam esse, quædam in Salustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo: quorum fides manifestis testimonijs labefactari possit. Maxime uero Græcorum Historijs non integram ubique fidem habendam esse, ueteres Latini existimauerunt. Quemadmodum in Satyra dicitur.

Lex Historiæ præcipua est, scribere uera.

Mendaces Græcorum Historiæ.

Iuue. 10.

*Et quicquid Græcia mendax Audet in Historia.*

Quin tanta etiam eos in scribendis Historijs fingendi libertate usos fuisse creditum est, ut recte dixerit Fabius, Græcis Historicis præterque Poëticiæ similem esse licentiam. Sed & in cæteris rebus uniuersæ Græcorum genti parum fidei tribuit antiquitas: Verum tamen (inquit Cicero) hoc dico de toto genere Græcorum, tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam: non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique, si qua alia sibi sumunt, non repugno: testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit. Porro inter omnes Historias iure ac merito primum sibi locum uendicat, quæ in ueteri & nouo Testamento continetur, quia scilicet uerissima est: Quippe sancto Spiritu inspiratore & duce, & scripta, & tot sæculis, non sine miraculo, ab omni falsitatis nota integra & incorrupta conseruata. Post hanc, maiorem mihi fidem habere uidentur, siue sacre siue prophane, quæ ab his scriptæ sunt, qui quæ narrant uel præsentibus ipsi spectarunt: aut ex eorum, qui præsentibus fuerunt, uel ore uel scriptis acceperunt. Quales fere sunt inter ueteres Ecclesiasticas, quam de persecutione Vandalorum scripsit Victor. Epistolæ item Historiales

Cicero in oratione pro L. Flacco.

Basilij



Basilij magni, Augustini & Hieronymi, & quædam Origenis,  
 Tertuliani, & Irenæi scripta. Et inter prophanas quædam Suetoni,  
 quædã Cornelij Taciti, quædã Vellei Paterculi, & aliorum: In  
 quibus ea narrantur, quæ authores ipsi, partim præsentibus uiderunt  
 et audiuerunt, partim gesserunt, partim ex eorum relatione uel scri-  
 ptis, qui & ipsi rerum, quæ narrantur, actionibus atq; tractatibus  
 interfuerunt, acceperunt. In his siquidem & similibus Historijs, res  
 certa & bona fide, & sine uerborum uel fucos uel delectu, narrari  
 & exponi uidemus. Tito Liuius illud in Historia laudi datur,  
 quod in Concionibus, supra quam narrari possit, eloquens fue-  
 rit: sed quæ laus in Oratorem magis, quam Historicum conuenit.  
 Oratoris siquidem est eloquentiæ studere: Historici uero, nullo  
 uerborum quæsito & affectato ornatu, ueritati. Orator dicendo  
 suis etiam uerbis causæ, quam orandam suscepit, inseruire po-  
 test. Historicus rem, ut gesta est, & uerbis ad rem proprie pertinenti-  
 bus narrare: quæ uero dicta scriptæ sunt, quantum fieri potest,  
 isdem etiam uerbis referre debet. Hanc legem diligentissime quicq;  
 Historici probati obseruarunt, ueritatis magis in scribendis Histo-  
 rijs, quam eloquentiæ studiosi: qui non ueriti sunt aliorum quan-  
 tumlibet etiam barbara scripta, sed res tamen, ut dictæ & gestæ  
 fuerint, exprimentia, suis Historijs inserere. Sic Trebellius Pollio,  
 cum Versus quidam Græci boni, in Latinam linguam translati  
 essent non bene: nihilominus tamen Historiæ suæ etiam non bene  
 translatos inseruit, hac subiuncta causa. Hos ego (inquit) Versus, à  
 quodam Græmatico translatos, ita posui, ut fidem seruarem: non  
 quo melius non potuerint transferri, sed ut fidelitas Historica ser-  
 uaretur, quam ego præ cæteris custodiendam putauit: qui id quod  
 ad eloquentiam pertinet, nihil curo. Et Flavius Vopiscus, idem ipse  
 non paruæ inter Historicos authoritatis & fidei, eius quam dixi  
 Historicorū legis memor, omnes, quarum copiam habere potuit,  
 epistolas ad materiam subiectam pertinentes, Historiæ suæ inse-  
 rens, inter cætera ait. Extat epistola, quam ego, ut soleo fidei causa,  
 immo ut alios annalium scriptorum fecisse uideo, inserendam pu-  
 tauit &c. Atq; in hoc sane genere mihi plurimum excellere uide-  
 tur Reuerendus, & idem in omni honestarum artium atq; discipli-  
 narum genere haud uulgariter doctus, maxime uero Historiarum  
 omnium, tam sacrarum quam prophanarum, ueterum & recentio-  
 rū, egregie peritus, D. Io. Cochlæus: qui hisce nostris temporibus  
 duas Ecclesiasticas Historias, alteram de Hussiticis, alteram de  
 Lutheranis rebus scripsit, eius quam dixi Historicorum legis obser-  
 uantissimus, Nam præterquam, quod homo Germanus est, & ut  
 toti

Differentia  
 inter Ora-  
 torem &  
 Historicū.

Historici  
 ueritatis  
 magis, quā  
 eloquentiæ  
 studiosi.  
 Trebellius

Vopiscus.

Ioan. Cochlæus.

toti iam orbi notum est, integerrimę & sanctissimę tum fidei tum uitę, quę res ei merito eiusq; scriptis summam fidem conciliare debet: in priori illa Hulsitica nihil aliud narrat, quàm quod certis Dux His-  
torię eius  
bonę fidel. sima fide uel publicorum monumentorum, uel aliarum eius temporis authenticarum, & fide dignarum scripturarum, comprobetur. Quę uero in posteriore de Lutheranis rebus scripsit, eo maiorę fidem habebunt: quia nihil eorum, quę à Luthero & eius complisibus uel acta uel dicta sunt, hunc nostrum authorem latere potuit: quippe Luthero non solum contemporaneum, sed multo etiam tempore uicinum (Nam, secundum Iureperitorũ regulam, Vicinus uicini acta scire pręsumitur) Noster siquidē author Dresdę, Lutherus Vuittenbergę ad Albim fluuium, altero ab altero paucis admodum miliaribus oppido distante, egerunt. Sed & eo in describendis quę in tota hac causa acta sunt, diligentior fuit hic noster Historicus: ac tanto etiam maior illi fides habenda. Quia totā causam istā Ecclesię Catholicę esse sciuit, quę est omnis ueritatis firmamentum, quam & aduersus truculentissimum hunc Ecclesię hostem Lutherum, aliq; ab eo nata teterrima monstra, defendendam propugnandamq; suscepit, & ob id cum hęcdem perpetuo, iam inde ab initio natę tam funestę factionis, certamine conflixit, & multa etiam, uelut fortissimus pugil, uerbi Dei gladio potenter euicit atq; prostrauit.

Postremo, utilitatem harum Historiarum, cum ex multis alijs, Utilitas harum  
Historiarum. tum ex eo maxime metimur: quia in his propositis duorum Hęresiarum exemplis, Ioanne Hus & Martino Luthero, uelut in speculo contemplamur, quę sit natura, & quę causę hęresum; qui *hęresis hęc  
hęcetia est  
satis turpissim  
in suo antea* hęreticorum mores, quę ex his blasphemię, sacrilegia, calumnię, & iniustę persecuutiones, crudelitates & immanitates, quas uarijs modis in Catholicos exercent, & innumera alia id genus mala & incommoda enascantur: Et quod omnium periculosissimum est, quàm breui tempore in quantos auctus excrescant hęresum zizanię, si suborientes non statim supprimantur, atq; radicibus euellantur. Multa ex  
hęresibus  
mala nascuntur. Horum (inquam) omnium exempla in his duabus Historijs nobis proponuntur, quibus ad ueterũ collatis Historias, haud obscure cognoscemus, primum quam nunquam non sibi similes sint hęretici, id est, quam omnes, qui unquam fuerunt, & qui futuri sunt, impij, & in Deum & Sanctos eius blasphemii sint: Dei & hominum contemptores, sacrilegi, crudeles, mendaces, fraudulenti, foedisragi, pacis & tranquillitatis publicę perturbatores, rerum deniq; publicarũ corruptores & euersores. Deinde quę in sedandis extirpandisq; hęresibus consilia olim uel foelicem uel

minus prosperū successum habuerint, eā similibus emergentibus  
hæresum & schismatū causis & negocijs, similem semper euentum  
fortiri. Magna certe hæc & nunquam negligenda, quæ in his Hi-  
storijis nostris ad rerum publicarū administratores redit, utilitas.  
Etenim his exemplis admoniti discunt, ut quæ maioribus nostris  
foeliciter successerint, consilia amplectantur; quæ infœliciter, multa  
animi prouisione fugiendo relinquunt.

**Conclusio** Hæc habui, Pij & Catholici, & Historiarū Ecclesiasticarū stu-  
**ad lectores** diosi Lectores, quibus uobis duas has D. Cochlæi nostri, uiri secu-  
lorum memoria digni, Historias commendarem. Quas ubi dilige-  
nter legeritis, & eum, quem uobis ex earum ipsarum lectione  
fructum promisi, perceperitis; tum & uestris commodis  
recte inseruitum, & Authoris & meis quoq; uo-  
tis satisfactum esse, ex animo gaudebo,  
Valere, Landshutæ in Bauaris.

PRÆFATIO

1598

*[Faint handwritten notes in the left margin]*

# PRÆFATIO IN

ACTA HISTORIAMQVE

LUTHERI.



PERAE PRECIUM VIDE-

Quanta ex  
Luth. schis-  
mate perdi-  
tio.

tur, literis ad posteros commemorare utcunq; præsens hoc Ecclesiæ dissidium, quod Martinus Lutherus suis cum complicibus, tum scribendo tum prædicando, longe lateq; in orbe Christiano excitavit, maxime vero in Germania. Tale est enim ac tantum, tamq; diuturnum hoc malum, ut vel maximo grauissimoq; bello æquiparari, immo longe grauius perniciosiusq; existimari queat. Nullum profecto bellum orbi Christiano aut plura aut maiora intulit mala, quam dissidium istud. Ut enim animarum, quæ sensibus nostris non apparent, pericula interitusq; omittamus licet ea damna omnium sint maxima, & nullis lachrymis satis deplenda: quandoquidem animæ, natura sua immortales, et per Baptismi gratiam ad æternam uitam consecratæ, per infœlix hoc dissidium, extra Ecclesiæ gremium et unitatem pereuntes, in æternam mortem perpetuis addicuntur supplicijs. Tantas omnium rerum, omniumq; ordinum turbationes, in Christianitate dedit schisma istud, quantas sane hæresis nulla dedit unquam. Nulla quidem hæresis aut latius aut uolentius per orbem uagata atq; grassata est, quàm Arriana: Quæ potentissimos Principes, Imperatores Romanos, Constantium, Iulianumq; & Valentem, atq; etiam fortissimarum gentium Vandalorum, Ostrogothorum, & Visigothorū, Reges bellicosos, Gensericum, Trasimundum, Hunericum, Alaricum, Theodericum, Totilam etc. habuit defensores ac propugnatores. Verum tamen secta illa longe pauciores habuit in doctrina sua reprobos, & à fide Catholica dissonos articulos, quàm habet hæc secta Lutheri. Quæ usq; adeo dissonat ab Ecclesiæ Catholicæ fide & doctrina, ut non solum turbet sanam sanctorum patrum doctrinam, piosq; ritus & antiquas Cæremonas: Verum etiam cuncta Ecclesiæ Sacramenta, aut in peius mutet, aut penitus aboleat.

Arriana hæ-  
resis.

Secta Lut.  
peior quàm  
Arrij.

Præcipua Arrianorum contentio contra Catholicos erat de Filio Dei, quod non esset Homousius, hoc est, consubstantialis Patri: Lutherus non solum de Homousio, tanquam de prophana uoce, contra Ecclesiam contendit: uerum etiam de septem Sacramentis, de summo Pontificatu,

c. 2. ij. tificatu,

Tumultus  
rusticorum

tificatu, de Missa, de Purgatorio igne, de Cæremonijs, de Exequijs mortuorum, de quo autem non nouas aut male renouatas exuscitat lites? Et ultra doctrinæ dissonantiam, superaddit plurima in omnem statum Ecclesiasticum conuitia: eaq; ut amarulenta, ita & plerunq; calumniosa, adeoq; seditiosa, ut per ea concitauerit Laicos quàm plurimos in publicos tumultus: eosq; tam sæuos & cruentos, ut anno Domini M. D. XXV. intra tres menses in una Germania occisa fuerint supra Centum Milia hominum. Quorum sane & corpora gladio Principum, & animas æternis supplicijs, adiudicauit ipsemet Lutherus: licet illi supra modum Lutherani essent, & de Lutheri Euangelio sese iactitarent. Quanta uero fuerint per eos seditio- num tumultus

Damna tē-  
plis et Mo-  
nasterijs da-  
ta.

damna data in sacris templis ac Monasterijs, nemo satis uel explicare uel aestimare queat. Lutherus enim nouas euulgauerat Indulgentias pro cunctis hominibus, qui in hoc exponerent, atq; in periculum offerrent & corpora, & honorem, substantiamq; suam, ut Episcopatus, Collegiaq; & Monasteria funditus deleterentur: Per quod sane factum mererentur, & esse et uocari ueri Christiani, ac dilecti filij Dei. Miseri igitur Agricola, pro sua simplicitate uerbis eius credentes, putabant se optimum Deo præstare obsequium, si uel maxime ac barbarissime seirent in quoslibet Ecclesiasticos, præcipue uero in Monachos ac Moniales.

Furor &  
impietas ru-  
sticorum.

Vnde factum est, ut in eiusmodi tum Ecclesiarum tum Monaste- riorum direptionibus ac deuastationibus, nulla ab insanis Lutheranis habita sit superis, aut Reliquijs sanctorum, ne ipsi quidem Christo in Sacramento Eucharistiæ ueneratio: nulla locis, uasib; ac uestibus con- secratis religio: nulla sacerdotibus Dei sacrisq; uirginibus reuerentia.

Cōtra Prin-  
cipes conui-  
tia Luth.

Quanto quisq; immanius furebat, tãto magis uidebatur Euangelicus, Deoq; maius dicebatur præstare obsequium. Neq; tamen satis fuit Luthero, tanto in Ecclesiasticos odio atq; furore accendisse per conui- tia calumniasq; Laicos: In sæculares quoq; Principes stylum suum, ue- lut gladium ancipitem, nouaculamq; bis acutam, strinxit. Non solum

Edictum editū  
Anno 1521.

propter Edictum Vuormaciense, in quo eius doctrina, uelut seditiosa & hæretica, immo uelut generalis omnium hæresum sentina, à Cæsare nostro, communi Principum Statuumq; sacri Romani Imperij consen- su, reiecta cōdemnatq; fuit: Verum etiam propter dissipatam quorun- dam Nobilium Lutheranorum conurationem, de qua ingens fuerat Luthero spes, ac rei pro uoto suo gerendæ fiducia. Multis igitur crimi- nationibus improperijsq; & calumnijs, per uaria scripta sua incessit atq;

atq; traduxit Principes, ut per ea redderet illos popularibus turbis contemptibiles: crebro minitans eis illud Psalmistæ. Effudit contemptum super Principes. Cunctis ab una parte graue immineret Germaniæ periculum à Turcis, ab alia parte non leuius periculum à tumultuante & in seditionem concitata iam plebe, rusticorumq; multitudine: Lutherus, ut adaugeter utrunq; periculum, multa pro Turcis, multa pro rusticis, contra Principes nostros in populos Germaniæ disseminauit. Palam enim dissuadebat Germanis, ulla contra Turcas Principibus nostris opem ferre: Quandoquidem Turca decies melior esset illis, quos contemptum & porcos & bestias uocabat, ipsumq; Cæsarem miserum dicebat saccum uermium. Et rusticorum articulos adeo iustos & æquos esse affirmabat, ut omnem Principibus fauorem gratiamq; eriperent, tam coram Deo, quam coram hominibus: Certissimum itaq; esse, quod Deus uelit profligare atq; disperdere Principes. Verum ubi longe aliter cecidit fors, quam ipse sperabat, profligatis infelicibus rusticis, nequissime applaudens Principibus, dirissima quæq; in rusticos effutiuit.

Psal. 106.  
Textus noster  
ait. Effusa est  
cōtentio super  
Principes.  
Luth. scripsit  
pro  
Turcis &  
pro Rusticis.

Naclus deinde quorundam Principum fauorem ac beneuolentiam, sectam suam nouis Ligis & confederationibus longe fecit ualidior, Catholicisq; magis formidabilem: posteaquam schisma istud non solum contra Ecclesiasticos, sed etiam contra sæculares inuolut. Nulla profecto gens, nulla Natio, nullus hostis, nullum bellum, nullum schisma, nulla hæresis, nulla de cælo ira aut plaga Dei: uel plura uel maiora unquam Germaniæ mala intulit, quam intulit multis iam annis, & quotidie adhuc inferre non cessat, ista Lutheri factio: Quæ ab Indulgentijs quidem Papæ exordium sumpsit, dum quereretur ille, earum prætextu ingentem pecuniam à Germania exportari. Verum centuplo, aut potius millecuplo maiorem pecuniam in Germania disperdidit & consumpsit ipsa interim factio.

Mala Germaniæ ex factione Luth.

Nam ut omnia illa damna, quæ animabus corporibusq; hominum, & rebus Ecclesiarum ac Monasteriorum, tum sacris tum prophanis, inestimabiliter illata sunt, obliuioni tradantur: Certe in arcibus Nobilium rustico furore atq; tumultu direptis ac dirutis, multo plus damni datum est, quam in pecunijs ulla dederunt Romani Pontificis Indulgentiæ. Quandoquidem in una Franconia, seu Francia Orientali, haud ita magna Germaniæ parte, deuastatas esse ferunt CCXCII. arces: Quas sedato tumultu, superstites rustici suo labore atq; sumptu

Arces diruta.

Maximi  
sumptus in  
Diebus Im-  
perialibus.

Dominis suis reparare coacti sunt. Quis ergo aestimet plene ac iuste, quantum damni per eiusmodi tumultus plebium atq; agricolarum, datum sit in alijs Germaniæ prouincijs, in Sueuia, in Alsatia, in Turingia, in tractu adiacentibusq; prouincijs Rheni: in Heluetijs, in terra Salezburghensi, &c? Quid essent ad tanta damna Triobolares ac spontaneæ redemptiones Indulgentiarum? Deinde si computentur in unam summam (quod tamen nemo facere potest) omnes Cæsaris nostri CAROLI V. & fratris eius Regis FERDINANDI, aliorumq; Principum ac Statuum Imperij sumptus, quos propter hanc sectam supprimendam aut eliminandam, fecerunt illi Vuormaciæ, Nurenbergæ, Spiræ, Augustæ, Ratisbonæ, in publicis diuiturmsq; ac populosis Conuentibus, & Comitijs Imperialibus: constabit profecto, eam pecuniam ibi propter hanc factionem consumptam, longe maiorem fuisse, quàm fuerunt omnes Indulgentiarum pecuniæ, quæ intra CCC. annos è Germania Romam exportatæ fuerunt.

Pecuniæ  
pro libris  
contentio-  
sis et noxijs

Quis præterea computet, aut in certam summam redigat omnes illas pecunias, quæ inutiliter, immo noxiè ac perniciosè, dilapidatæ sunt toto hoc hæresum tempore, pro contentiosis libris, tum Lutheri complicumq; eius, tum aliorum complurimorum, partim Catholicorum, partim Zuinglianorum, & Anabaptistarum, qui maxima ex parte Teuthonice scripserunt omnes, quotquot Germanicæ linguæ periti fuerunt? Quantum insuper expensum est in sacrorum Bibliorum, tum ueteris tum noui Testamenti, uarias in Teuthonicum Translationes, tum Lutheri complicumq; eius, tum Catholicorum, qui suis interpretationibus annotationes quoq; uelut antidota quædam, in Lutheranas deprauationes, superaddere sategerunt. Sed & in grandia Sermonum popularium (quos Homelias uocant) uolumina, tum Lutheri, tum aduersariorum eius, non solum Teuthonicè, uerum etiã Latine excussa, multisq; milibus exemplarium per Typographos euulgata, non modicum pecuniæ à Germanis erogatum, damnosisq; mercibus expilatum est.

Quanta  
damna in  
moribus.

Sed esto, leuis sit omnis pecuniarum iactura: maximam profecto perniciem in uita & conuersatione humano generi attulit doctrina Luthericæ factionis, qua inter populos Christianos solutum est unicum pacis & charitatis, corrupta morum disciplina, sublata religio, extinctus timor & cultus Dei, exhibilata obedientia: introducta peccandi licentia ac malitiosa libertas, deprauata & in omne uitium prona reddita iuuentus, carnali concupiscentiæ omne amotum repagulum:  
ablatum

PRÆFATIO.

ablatus à sexu muliebri antiquus pudor, à populo erga Deum Diuosq;  
deuotio, à quolibet statu hominum bonorum operum pristina sedulitas.

Non tam deuotè ac diligenter persoluunt nunc horas Canonicas,  
Missasq; celebrant sacerdotes, quàm fecerunt antea. Non tam strictè  
ac strenuè obseruant modos suas regulas Monachi ac Moniales, quam  
obseruauerunt prius. Non tam largas habent amplius manus ad ornan-  
dum & augendum cultum Dei Principes & Optimates, quam habue-  
runt antea & ipsi & maiores eorum. Non est ea amplius in populo,  
uel frequentia in Ecclesijs ad audienda sacra, uel reuerentia erga conse-  
cratos ministros Dei, uel benignitas erga pauperes, præsertim schola-  
res fratresq; mendicantes: uel honestas, morumq; & uerborum grauitas  
in publico, multo minus in priuato, quæ fuit antea. Tam impudica  
uero & effrenis reddita est utriusq; sexus iuuentus, atq; etiam adoles-  
centia & pueritia, tum per conuitia calumniasq; Lutheri, in omnes fere  
status & subditorum rectores, tam sæculares quam Ecclesiasticos:  
tum per falsam & impudicam interpretationem huius diuinæ bene-  
dictionis. Crescite & multiplicamini: ut ludibrio iam & probro habeatur  
uel studium uel uotum castitatis, & suspecta sit omnis uirginitas  
& continentia. Sunt itaq; qui affirmant, Lutherum à spiritu im-  
mundo sub Incubi specie prognatum esse. Cuius rei afferunt testem, reli-  
giosam quandam anam, Lypsiæ habitantem, quæ matrem Lutheri,  
olim Islebij in publico balneo famulantem, nouerit, ac de adolescente,  
quem Incubum fuisse putat, audierit, à quo illa impregnata fuerit,  
antequam cognita esset à uiro suo, Ioanne Luderò. Nos isti affirmatio-  
nem, quamuis in literas relata sit, fidem nostram non obstringimus: Sed le-  
giori ipsius potius uerba suggerimus, quæ Germanicè de seipso scripsit  
hoc sensu. Oportet me aduersariorū meorū misereri, meãq; natiuitatem  
cõmemorare. Est nobilis (inquit) ac famigeratus Comitatus in Episco-  
patu Halberstatensi, et Principatu Saxoniæ situs, qui uocatur Mans-  
felt, & norunt patrem meum, & me personaliter omnes fere Gratiost  
Domini mei, Comites, Guntherus, Ernestus, Hoierus, Gebbardus,  
& Albertus. Natus sum Islebij, educatus in Mansfelt: literis erudi-  
tus Magdeburgi & Isennachi. Erfordie Magister ac Augustinia-  
nus factus, & nunc Doctor Vintenbergæ, & Bohemiæ in tota uita  
mea nunquam propinquior fui, quam Dresdæ constitutus. Hæc ille de  
se ipso. Nos autem non multum interesse putamus, undecunq; secundum  
carnem procreatus sit, siue Luder, siue Luter, siue Lutherus, cuius  
mala nēs, malus animus, Diabolicæ suggestiom subiectus, tot malorū

Quanta ne-  
gligentia  
bonorum  
operum.

Impudici-  
tia iuuen-  
tutis.

Lutheri pa-  
rentes. 1441/6  
1501/483

Luth. in decla-  
rat. sermo. de  
Eucharistia.



Verba Cæsaris in Edicto de Lutheris.

Vires sectæ Luth.

rum uel occasio uel causa existit. Certe Cæsar ipse in Edicto Vuormaciensi pessima quæq; de eo suspicatur, neq; ueretur de eo ista scribere uerba, post longum scelerum eius enumeratorum Catalogum. Et scribit (inquit) nihil ferme aliud, nisi quod ad seditionem, schisma, bellum, cædes, rapinas, incendia, atq; ad defectionem uniuersalem Christianæ fidei, tendit atq; subseruit. Et ut innumeræ eius nequitæ breuitatis gratia omittantur, Vnicus iste, non homo: sed malus inimicus, sub specie hominis, in habitu monachali, plurimorum hæreticorum iam olim damnatas hæreses, longoq; tempore absconditas & sepultas, in unam sentinam collegit, atq; aliquas ipse de nouo excogitauit. Hæc Imperator noster Vormaciæ: Qui mox deinde bello Mediolanensi implicitus fuit. Et dum procul à Germania abesset, secta Lutheri per homines factiosos, rerumq; nouarum cupidos, non solum longe lateq; per omnes fere prouincias Germaniæ disseminata, uerum etiam ad exterarum Nationum propagata: maxime uero ad regiones Aquilonares, Daniæ, Suetiæ, Prussiæ, Liuoniæ, magnisq; potentium Principum Ciuitatumq; confœderationibus roborata, ita excreuit, ut nemo fuerit, uel ad contemnenda Potentissimi Cæsaris nostri mandata, superior atq; ferocior Luthero: uel ad laceßendum conuitijs et iniurijs quoslibet Principes, promior atq; minaciore.

ACTA

# ACTA ET SCRIPTA

MARTINI LVTHERI, AB ANNO DO-

MINI M. D. XVII. VSQVE AD ANNUM XLVI. PER

*Ioannem Cochleum Chronice ad poste-  
ros denarrata.*

*Anno Domini M. D. XVII.*



Artinus Lutherus, natus Islebij Anno Domini 1483. in Saxonia, sub Comitibus à Mansfeldia, parentes habuit plebeios, ex familia Luderorū, Parentem Ioannem, matrem Margaritam: Nomen Martini sortitus in Baptismo, antiquo & patrio more, quod X. die Nouembris: quæ festū Diui Martini præcesserat, natus esset noctu.

Quamuis uero multis annis anti- Cognomē  
Lutheri.

qua consuetudine dictus fuerit cognomine Luder: quo & ipse in literis suis, etiam ad præcellentem Theologum D. Ioan. Eckium usus est: maluit tamen postea dici Luther, quam Luder: ex eo forsitan, quod Luder apud Germanos parum honestum uideretur esse uocabulum. Transcursa igitur domi post infantiam ætate puerili, cum esset cura parentum primis literarum elementis utcunq; in schola oppidi illius imbutus, missus est inde Magdeburgum, ubi uno permansit anno. Inde Isenacum, Turingiæ oppidum, concedens, ubi gratiorem nactus præceptorem, Quatuor mansit annis. Erfordiam postea profectus, claram & amplam Turingiæ urbem, ubi Celebris erat Academia, in Philosophiæ studio Magisterij gradum, anno ætatis suæ Vicesimo adeptus est, & quidem inter primos, ut ingenio studioq; multos coæqualium antecellebat.

Studia Lu-  
the, in scho-  
lis.

Iuris deinde studium aggressus, cum esset in campo, fulminis ictu territus & prostratus, ut uulgo dicitur, aut interitu sodalis sui contristatus, huius mundi contemptu ingressus est repente, multis admirantibus, Monasterium fratrum S. Augustini, qui uulgo Heremitæ dicuntur, factaq; ibi legitima, post annum probationis, Ordinis illius professione, strenue in studijs et exercitijs spiritualibus militauit ibi Deo annis Quatuor. Tametsi uisus est fratribus, non nihil singularitatis habere, siue ex occulto aliquo cū Dæmone

Monacha-  
tus Luth.

A commercio,

Commerciū Luth.  
occultum  
cū Demonia.

commercio, siue ex morbo Comitiali: tum propter alia quædam  
indicia: tum præcipue, quod semel in Choro, cum in Missa legere-  
tur Euangelium, de eieccto à surdo & muto Dæmonio, repente  
concederet, uociferans, Non sum, Non sum. Multorum itaq; est  
opinio, eum occulta usum esse familiaritate Dæmonij cuiuspiam,  
Quandoquidem & ipsemet talia de se aliquando scripserit, quæ  
Lectori suspicionem de huiusmodi cōmercio nefariæq; societate  
ingerere possint. Ait enim in quodam ad populum habito sermo-  
ne, se bene cognoscere Diabolum, & ab eo se uicissim bene cogni-  
tum esse, secq; plus quàm unum frustum salis cum eo comedisse. Et  
proprium deinceps ædidit Germanicè librum, de Angulari ( ut  
uocat) Missa, ubi Diaboli contra Missam disputationem, secum  
habitam noctu, commemorat. Sunt & alia non pauca hac de re  
argumenta, quod etiam corporaliter uisus quibusdam fuerit cum  
eo conuersari. Anno autem Domini 1508. translatus est ex Erfor-  
dia Vuittenbergam in alium eiusdem instituti Conuentum, ubi  
publice prælegit Dialecticæ Physicæq; Aristotelis: Nam recens  
erecta ibi erat, ab Electore Saxonie Duce Friderico, Academia seu  
publica studiorum Vniuersitas. Vbi autem post Triennium orta  
esset inter fratres Ordinis sui discordia, eò quod septem Conuen-  
tus à Vicario per Germaniam Generali in quibusdam dissenti-  
rent, Ille à Conuentibus illis delectus in litis Procuratorem, Ro-  
mam profectus est, eò quod esset acer ingenio, & ad contradi-  
cendum audax ac uehemens. Ea autem lite inter partes trans-  
actionibus, nescio quibus, composita & finita, ille Vuittenbergam  
reuersus, in Theologia factus est consueta celebritate Doctor, siue  
iussu & procuratione Ducis Saxonie Friderici, Electoris Principis,  
siue sumptibus cuiusdā matronæ, Vicarij fraude pecunijs interuer-  
sis. Quandoquidem illa certam pecunie summā, pro alterius fratris  
ad Doctoratū promouendi subsidio, deputauerat Nurenbergæ.  
Vnde factum est, ut frater ille, fraude intellecta, & pecunia illa sibi  
prærepta, præ dolore & indignatione aufugerit occulte: at nemo  
adhuc hodie sciat, quonam peruenerit. Lutherus autē Doctoratus  
titulo decoratus, & Ordinariæ in Theologia lectioni præfectus,  
cum esset acerrimus disputator, & uanæ gloriæ cupidus, non solum  
Vuittenbergæ inter Doctos præfulgere uoluit: Sed & Heidelber-  
gam profectus, ingenij & eruditionis famam disputando quæsi-  
uit, dum noua themata proponeret. Accidit deinde, Anno Do-  
mini M.D.XVII. ut Leo Papa X. nouas diulgaret per orbem  
Indulgentias, occasione nouæ structuræ Templi S. Petri Romæ,  
quam antecessor eius Iulius Papa II. sumptuosissima inceperat  
magnificentia

Discordia  
inter fra-  
tres Aug.

Pecunia  
pro aula  
Doctorali  
fraude in-  
teruersa.

Acer in di-  
sputando  
Lutherus.

magnificentia, morte autem præuentus, tantæ magnificentiæ opus perficere non potuit. Extruxerat quidem templum illud (ut multa alia) religioso apparatu, & opere satis sumptuoso & magnifico Constantinus, Imperator potentissimus (quem nos Magnum, Antiqui Maximum, dixerunt) diuersa ingentium columinarum (quales ætate nostra non sunt) serie suffultum atq; conspicuum: Quod temporis (ut fit) diuturnitate labefactū, cum in plerisque partibus suis dehiscere ac ruinam minitari uideretur, Iulius Papa II. Iulius PP. II. uir magnanimus, illud non tam reparare in uetustate collapsis partibus, & facta tecta reficere (quod utinam maluisset) studuit, sed in maximā potius stupendamq; molem à nouo erigere cœpit: Vt est uidere adhuc hodie in iactis ab eo fundamentis, & excelsis absidibus testudinibusq; & columnis, altissimarum turriū instar, sublimatis & in aëra eductis. Ea nimirū consyderatione, ut quemadmodum Ecclesia Romana potestate ac dignitate cunctis per orbem Ecclesijs, propter uerbum Christi & Principatum Petri, supereminet atq; præfulget: Ita & Templum Petri, magnitudine structuræ & operis magnificentia, cæteris omnibus anteferretur, magisque conspicuum foret. At Leo Papa X. uir liberalis, atq; ad Leo PP. X. erogandas (ne dicam profundendas) quàm ad corrogandas ac quaritandas pecunias multo pronior: cum esset tantæ structuræ sumptibus impar, & suis opibus tantarum impensarum opus ad complementum perducere non posset, ut pio subsidio multorum adiutrices manus acquireret, diuulgauit Indulgentias: sicut & ante eum sæpius factum fuerat. Erat autem eo tempore inter Germaniæ Prælatos Ecclesiasticos, eminentissimus & dignitatis apice & Natalium splendore, Reuerendissimus Pater & Illustrissimus Princeps A L B E R T V S, Archiepiscopus Moguntinus & Albertus Archiepiscopus. Marchio Brandenburgensis. Magdeburgensis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis: Primas Germaniæ, & sacri Romani Imperij Princeps Elector: Marchio Brandenburgensis &c. Hunc igitur speciali commissione præfecit Leo Papa X. Indulgentiarū per Germaniam publicandarum negotio. Is autem, etsi multorum consilio & sententiā assumpturus fuerat ad id negotij, Fratres Ordinis S. Augustini Augustiniani Indulgentiarum prædicatores. Heremitarum: qui & antea per strenuam ea in re operam, non solum prædicando ad populos: sed etiam scribendo & euulgando libros (quales sunt, uerbi gratia, Cœli fodina & eius supplementū) Sedi Apostolicæ nauauerant: Nisi Ioannes Tetzellius, Frater Ordinis Prædicatorum, magis idoneus quibusdam uisus fuisset, eo quod recens esset tunc sermonum eius de Indulgentijs memoria, quibus amplam per Indulgentias pecuniā acquisuerat Fratribus

A ij Sanctæ

Sanctę Marię, Militaris Ordinis Teuthonicorum Dominorum in Liuania, qui à Moscouitis & alijs uicinis hostibus premebantur. Id uero quàm ægerrime tulerunt fratres Augustiniani, in primis Ioannes Staupitius, uir genere nobilis, facundia & eruditione clarus, Generalis eorum per Germaniam Vicarius: & Martinus Lutherus, Theologię Doctor, Ordinarius Vuittenbergensis, uelut præcipui Duo gregis sui Arietes, fama & autoritate celebres, & præ alijs conspicui. Erat Staupitius, non solum genere nobilis, & ea ratione Saxonię Ducibus (quibus eius cognatio subdita erat) cæteris charior & familiaritate notior: sed etiam ingenio uersatilis, et corporis forma atq; statura conspicuus, Quin etiam in rebus agendis astutus & practicus, qui fauore & gratia multum ualebat apud Illustrissimũ Principem Electorem, Saxonię Ducem, Fridericum. Qui præ multis pollebat Principibus alijs, autoritate, opibus, potentia, liberalitate, ac magnificentia. Quippe recens instituerat magnis sumptibus Academiã Vuittenbergensem, ad cuius incrementum larga fundauit stipendia, & amplis salarijs accersebat undiq; Doctos & ingeniosos homines, quos fama notos habebat. Erexit item nouum Canoniorum Collegium, in quo Ionam Præpositum, Carolstadium Archidiaconum fecit: Ipsum uero templum, uocauit Ecclesiam Omnium sanctorum. In quod sane per multas undiquaq; cõgregauit sanctorum ossa, uenerabilesq; omnis generis reliquias, auro, argento, & gemmis preciosissime exornatas, quas & magnifico apparatu statis diebus publice populis ostendi curauit: ita ut summo Pontifici per quam religiosam & piã uisã fuerit eius liberalitas & magnificentia, Qui & facile concedebat petenti quæcunq; priuilegia, prærogatiuas & immunitates, tum pro noua Vniuersitate scholæ, tum pro nouo Canoniorum Collegio. Huic igitur Principi familiarius insinuauit se Staupitius, instillans eius pectori frequentes Indulgentiarum abusus, & Quæstorum atq; Commisariorum scandala, quod illi per auaritiã ueniarum & gratiarum prætextu, expilarent Germaniam, & quærerent quę sua sunt, non quę Iesu Christi. Lutherus uero ardentioris naturæ, magisq; iniuriarum impatiens, arrepto calomo, mox ad supradictum Germaniæ Primatem Albertum scripsit indignabundus epistolam. In qua sane, mox post captatam præfatione beneuolentiam, in hæc prorupit uerba.

Io. Staupitius.

Dux Saxonię Fridericus Elector.

Staupitius ex inuidia Indulgentijs detrahit. Querela Lutheri contra Indulgentias.

Circumferuntur (inquit) Indulgentiæ Papales, sub tuo præclarissimo titulo, ad Fabricam S. Petri. In quibus non adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audiui, sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas uulgo undiq; iactant: uidelicet,

uidelicet, quod credunt infœlices animæ, si literas Indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua. Item, Quod animæ de Purgatorio statim euolent, ubi contributionem in cistam coniecerint. Et post pauca. Idcirco tacere hæc amplius non potuit. Non enim fit homo per ullum munus Episcopi securus de salute, cū nec per gratiam Dei infusam fiat securus. Sed semper in timore & tremore iubet nos operari salutem nostram Apostolus. Et iustus (inquit Petrus) uix saluabitur. Denic̄ tam arcta est uia quæ ducit ad uitam, ut Dominus per prophetas Amos & Zachariam, saluandos appellet Torres, raptos de incendio. Et ubiç̄ Dominus difficultatem salutis denunciat. Cur ergo per illas falsas ueniarum fabulas & promissiones, prædicatores earum faciunt populum securum & sine timore? Cum Indulgentiæ prorsus nihil boni conferant animabus ad salutē aut sanctitatē, sed tantūmodo pœnā externā, olim Canonice imponi solitā, auferāt. Hæc & id genus plura ibi Lutherus, Ex Vuittenberga, in Vigilia Omnium sanctorū, Anno Domini M. D. XVII. Quæ idcirco referimus, ut intelligat Lector, Epistola eam epistolam non tam ex animi sententia, quam ex liuido inuidiæ affectu à Luthero scriptam esse: Cum nulla aliorum doctrina, tam securum de salute, & ad bona opera pigrū negligentemq̄ reddiderit populum, quam fecit noua doctrina Lutheri. Qui publice scripsit in Babylonico suo præludio, Tam diuitem esse hominem Christianum, ut etiam si uelit, non possit perdere salutem, nisi nolit credere: Nec ulla peccata eum damnare queant, eò quod per fidem in promissionem, quæ baptizato facta sit, mox absorbeantur ac deleantur omnia peccata, modo credat aut cogitet se baptizatum esse. Ille tamen non contentus priuatam misisse epistolam, in publicum quoq̄ emulgauit 95. (quaquam in prima scheda posuerit 97) propositiones, quibus communem & receptam de Indulgentiis opinionem Ecclesiæq̄ sententiam impugnabat. Tetzellius autem, qui Francofordiæ ad Oderam flupium (ubi Illustrissimus Princeps Elector, IOACHIM, Marchio Brandenburgensis, nouam quoq̄ circa idem tempus erexerat studiorum Vniuersitatem) degerebat, ubi illas uidit propositiones, Cum esset Indulgentiarū Prædicator famigeratus, & Commissarius Apostolicus, atq̄ etiam hereticæ prauitatis Inquisitor, ingenio ferox, & corpore robustus, indigne ferens Lutheri proteruam audaciam, ut par pari referret, Centum & Sex ædidit propositiones, quibus contrariam explicabat sententiam. Verbi gratia. Lutherus sic orsus est. Dominus & Magister noster Iesus Christus, dicendo. Pœnitentiam agite &c, omnem uitam fidelium pœnitentiā esse uoluit. Quod uerbum

At longe aliter de securitate salutis docuit Luth. in Capt. Baby. an lijsq; scriptis suis.

Epistola ex liuore scripta.

Animositas Tetzellij.

Propositiones de Indulgentiis.

de Sacramentali pœnitentia Confessionis & Satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio celebratur, nō potest intelligi. Non tamen solam intendit interiorē: immo interior nulla est, nisi foris operetur uarias carnis mortificationes &c. Cōtra hāc uero eius sententiā ita exorsus est Tetzellius. Dominus noster Iesus Christus, Sacramenta nouę legis, ad quæ uoluit cunctos obligari, post suā passionē & ascensionē, uoluit etiā cunctos docere ante suā passionem, per aptissimam suam prædicationem. Quisquis ergo dicit, Christum, dum prædicauit, Pœnitentiam agite, sic docuisse pœnitentiam, interiorem & exteriorem carnis mortificationem, ut non etiam docere uel cointelligere uoluerit pœnitentię Sacramentum, eiusq; partes Confessionem & Satisfactionem, tanquā obligatorias, errat: Immo nihil nunc iuuat, si interior pœna etiam operetur exteriorem mortificationem, nisi adsit factio uel uoto Confessio & Satisfactio &c. Hac itaq; diuersę & contrarię sententię propositionum æditiōe, uisa est iam publice contestata inter hos duos Antagonistas esse lis turbulentę contentiōnis, quę mox anno sequenti in apertum efflagrauit incendium: Quo pax & unitas Ecclesię, maximo cum scandalo infirmorum, & animarum detrimento, turbata ac dissoluta fuit. Confidebat ingenio & eruditioni suę Lutherus, atq; etiam potentię & gratię sui Protectoris Ducis Friderici Electoris, & uafri Staupitij sui consilijs ac practicis: Cui cedere indignum putabat Tetzellius, qui celebris erat fama Prædicationum, suffultus & sedis Apostolicę commisiōe atq; autoritate, atq; etiam Inquisitionis officio.

Lis de Indulgentijs inter Luth. & Tetzellium.

*Acta & Scripta Lutheri Anno M.D. XVIII.*



Lutherus igitur, suorum fretus consilio, Latinum ædidi librum, cui hunc præfixit titulum. Resolutiones disputationū de Indulgentiarū uirtute &c. In quo quidem libro, 95. Conclusiones iuxta nouam opinionem suam declarabat, non sane, ut Papam aut aduersarios suos sibi reconciliaret, aut placabiles redderet, quos acerrime eo ipso in libro plerumq; impugnabat: sed ut Lectorem in partem raperet suam, miram simulans erga Romanum Pontificem humilitatem, subiectionemq; ac reuerentiam. Vnde uenabatur callide Lectoris & in se commiserationem, et in aduersarios odium. Fingebat enim se admodum reluctansem & inuitum rapi ac protrahi in publicum, improbitate illorum. Dicebat ergo in præfatione ad Leonem X. Inuitus uenio in publicum, præfertim ego indoctus, stupidus ingenio, uacuuus

Ficta humilitas Luth.

tuus eruditione. Sed cogit necessitas, me anserem strepere inter olores. Itaque quo & ipsos aduersarios mitigem, & desideria multorum expleam, emitto ecce meas nugas. Et infra. Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ B. offero, cum omnibus quæ sum & habeo: Viuifica, occide: uoca, reuoca: approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam uocem Christi in te præsentis & loquentis agnoscam: Si mortem merui, mori non recusabo.

Hac itaque calliditate, dum quereretur, se iniuste premi ab aduersarijs, & in publicum cogi: breui maximū sibi conciliauit fauorem, non modo apud simplicem populum: qui facile credit & ad omnem nouitatem aures libenter arrigit patulas ac prurientes: uerum etiam apud plerosque graues & eruditos uiros, qui uerbis eius genuina simplicitate credentes, putabant Monachum nihil aliud quærere, quam ueritatis patrociniū contra Quæstores Indulgentiarum, qui magis pecuniarum quam animarum zelatores uiderentur: sicut criminabatur eos Lutherus. Atque ut omnē hæreseos suspicionem à se reiiceret in aduersarios, adiunxit libro, post querulas ad Staupitium & ad Leonem Papam epistolas, solennem quandam protestationem, in qua deferebat non solum sacris literis, uerum etiam sacris Canonibus decretalibusque Pontificijs & Ecclesiasticis patribus, sed & superiorum suorum iudiciū in omnibus uolebat habere saluum.

Hinc illius miserta Poëtarum Rethorumque docta cohors, & in aduersarios eius odio accensa, impigre pro eo & lingua & calamo decertabat, causamque eius Laicis commendabilem reddebat, ac uarijs cauilis & inuectiuis prælatos Ecclesiæ Theologosque perstringebat: inculans eos auaritiæ, superbiæ, inuidiæ, barbariæ & ignorantæ: Qui innocentem Lutherū non ob aliud persequerentur, quam ob doctrinam, quod uideretur & esset doctior eis, & liberior ad dicendam ueritatem, contra imposturas & præstigijs hypocritarum. Cunctique ualere non solum ingenio & acrimonia, uerum etiam elegantia sermonis, siue loquendum siue scribendum esset, facile traxerunt Laicorum animos in fauorē commiserationemque Lutheri, tanquam is propter ueritatem et iustitiam uexaretur ab Ecclesiasticis, inuidis, auarīs, & indoctis: qui in ocio luxuque uiuentes, superstitionū adinventionibus à simplici plebe pecuniam emulgerent. Tetzellio itaque, qui antea quoque per Indulgentiarum frequentes prædicationes pecuniarum collector fuerat, per huiusmodi querimonias criminationesque tum Lutheri, tum Poëtarum & Rethorum, indies magis ac magis decrescbat autoritas apud populum, minuebatur plebis ad Indulgentias deuotio, inuisi reddebantur Quæstores &

Fauor calide questus.

Protestatio Lutheri.

Poëtarum fauores Lutheri.



Lutherus  
Romam  
citatus.  
Luth. in ap-  
pellatione sua.

Commissarij, rarecebant manus largientium: Luthero autem contra augebatur authoritas, fauor, fides, existimatio, fama: quod tam liber acerq; uideretur ueritatis assertor, contra fraudes Quaestorum & fumos Bullarum, quas non gratis darent, sed pecunijs uenderent Indulgentiarū Commissarij. Interea Romæ ab Aduersarijs procurabatur Citatio, qua per fiscalem Papæ uocabatur in ius Lutherus, designatis ad eam causam iudicibus, Hieronymo de Genutijs, Episcopo Asculano, Auditore Camere, & Syluestro Prierate, Theologo, Magistro sacri Palatij. Lutherus uero conquestus de insidijs, quod nusquam tuto consisteret, & de iudicibus sibi suspectis, suamq; præterea obtendens paupertatem corporisq; imbecillitatem, per Ducem Saxoniae Fridericum, Principem Electorem sollicitauit, ut causa ad partes cōmitteretur. Commissa igitur fuit Thomæ de Vio Caietano, Cardinali S. Sixti, qui eo tempore erat in Germania Sedis Apostolicæ de latere Legatus.

Luth. in actis  
Augustensib.  
Cardinalis  
Augustæ  
tria præce-  
pit Luthero.

Quamuis uero & hic iudex Luthero uehementer displiceret, quod Thomista esset & Ordinis Prædicatorum: ne tamen omnino contumax & rebellis uideretur, comparuit coram illo Augustæ. Venit igitur Augustā Mense Octobri, sumptis quidē secum literis cōmendaticijs protectoris sui, Ducis Saxonie Friderici Electoris, attamen sine Cæsaris Maximiliani fide publica, seu saluo conductu. Benigne itaq; in Cardinalis Legati conspectum Colloquiumq; admissus ac paterne admonitus, tria iussus est, ex mandato Papæ, præstare. Primum, ut ad cor rediret, erratusq; suos reuocaret. Secundum, ut promitteret in futurum ab eisdem abstinere. Tertium, ut ab omnibus contineret se, quibus Ecclesia perturbari possit. Ipse uero, cū nullos uellet erratus agnoscere, post multos auditos redditosq; sermones inter colloquendum, petijt tandem deliberandi tempus. Altero igitur die reuersus, cum adessent Quatuor uiri ex ordine Procerum & Consiliariorum Cæsaris, ut omnem hæreseos suspicionem è mentibus illorum tolleret, coram Legato personaliter protestationem suam in hæc uerba scriptam ex scheda, quam in manibus tenebat, legit ac recitauit. Ego frater Martinus Luther Augustinianus, protestor, me colere et sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra uel aliter dictum fuit uel fuerit, pro non dicto haberi & habere uolo. Legatus uero uir doctissimus, probe sciens, illum non solum in suis resolutionibus, uerumetiam in proximo Colloquio multa protulisse de Indulgentijs & de potestate Papæ, aliter quàm sentit Rom. Ecclesia, instetit rursus, ut illa tria præstaret, quæ ex mandato Papæ pridie

Protestatio  
Luth. coram  
Legato.

pridie audiuerat. Ille uero ulterius protestabatur, se nō esse sibi con-  
 sciū, aliquid dixisse, quod sit cōtra sacrā scripturā, cōtra Ecclesia-  
 sticos patres, cōtra Decretales Pontificū, aut cōtra rectā rationem.  
 Attamen quia homo sit qui errare possit, uelit se submittere iudicio  
 & determinationi legitime sanctę Ecclesię, & omnibus melius senti-  
 entib. Nominatim uero, Doctoribus insigniū Vniuersitatū Im-  
 perialium, Basiliensis, Friburgensis & Louaniensis, Aut si nec id  
 satis sit, etiam Parisiensis, quam dicebat studiorum parentem, &  
 ab antiquo semper Christianissimam, ac in Theologia florentissi-  
 mam: Quamuis paulo post longe aliter de ea & senserit & scripse-  
 rit. Legato autē in priori sententia sua persistente, petijt scripti-  
 lem (ut ipse loquitur) admitti responsionem: Qua admissa, multa  
 corrasit argumenta contra Extrauagantem Clementis VI, de In-  
 dulgentijs, contra autoritatem Decretalium Ro. Pontificum, con-  
 tra merita sanctorum, contra Indulgentiarum Thesaurum, &  
 contra bonorum operum merita: de sola fide fastuose contendens.  
 Ex quibus Legatus facile intelligebat, illū dare solūmodo uerba,  
 mentemq; habere ad errores & opiniones suas obstinatam. Idcir-  
 co dixit ei, nisi reuocet, censuris ex Papę mandato sit illigandus.  
 Audierat uero Lutherus, Legatum habere mandatum capiendi  
 ac incarcerandi & ipsum, & Vicarium suum Staupitium. Hinc an-  
 xietate plenus: quia uetabatur in conspectum redire illius, nisi reuo-  
 caret, cępit occulte per amicos sollicitare Cæsarianos pro impe-  
 trando saluo conductu. Quo impetrato, fretus consilio sui Stau-  
 pitij, scripsit Appellationē, à Legato ad Papam melius informan-  
 dum prouocans, quam, ubi occulte abisset Augusta, iussit affigi  
 palam, ad concitandam maiorem in populo, contra Papam &  
 Legatum eius, inuidiam odiumq; Laicorum. Cum tamen & Dolosę  
 præsens ad faciem, & absens per literas, multas diceret Legato &  
 laudes & blanditias, quibus bonum uirum nequiter lactabat ac lu-  
 debat. Etenim abiturus Augusta, scripsit ad eum blandissime, &  
 gratias agens pro exhibita in se clementia: & appellandi necessi-  
 tatem expurgans, non solum quod amici ita iussissent: uerum etiam  
 quod sciret, Principi suo longe gratiorem fore Appellationem  
 quàm Reuocationem. Addebat præterea, non uideri sibi necessa-  
 riā Appellationē, cum omnia submiserit iudicio Ecclesię, nec aliud  
 quàm illius sententiam expectet. Domum uero reuersus, adhuc  
 multo blandius rescripsit, commemorans & extollens illius cle-  
 mentiam, humanitatem, et sapientiam, quod qui ui agere potuisset,  
 per Staupitium agere maluerit, qui talis ac tantus sit in oculis suis,  
 ut nullus sit in mūdo, cui lubentius auscultet & consentiat. Vbi &  
 culpam

Dissensio  
 inter Lega-  
 tum & Lu-  
 therum.

Dolosę  
 blanditię  
 Lutheri ad  
 Legatum.

culpam agnoscebat nimix tum uehementix tum irreuerentix suax in Papam, proinde petebat ueniam, tanquam pure & ex animo dolens ac pœnitens. Quod & per omnes conciones se populo annunciatum promittebat, operamq̄ daturum, ut posthac alius sit aliterq̄ loquatur quam antea. Vnum enixe petebat, ut possit audire uocem sponsæ, quam certum est audire uocem sponsi.

Crimina-  
tiones Lu-  
theri in Le-  
gatum.

Hæc & id genus multa honorifice scribebat ad ipsum Legatum. Ad alios uero longe aliter scripsit, non solum priuatim, sed & publice: uirum illum grauisime accusans Tyrannidis, superbix, infidelitatis, ignorantix &c. Sic enim scripsit in Actis. Video (inquit) libellos edi, & rumores uarios spargi de actis meis Augustensibus. Quanquam uere nihil ibi egerim, quam quod & tempus & sumptus perdidi. Nisi id satis abunde fuerit operis, quod nouam auidui linguam Latinam: scilicet, quod ueritatem docere, idem sit, quod Ecclesiam perturbare. Adulari uero, & Christum negare, id est, Ecclesiam pacificare, & exaltare. In appellatione sua secunda ait, illum nimio factionis suæ fratribus affectum, faciem iniquitatis assumpsisse, minasq̄ diras & crudelissimas intentasse, atq̄ ouem Christi, petentem humiliter doceri ueritatem, & reduci ab errore, contempsisse. Item, in præfatione ad Galatas, Cardinalis (inquit) Caietanus passim se pro Rom. Ecclesia uenditat in Germania, sub nomine illius Breuia Apostolica comminisci satis doctus. Deniq̄ in epistola sua secunda ad Leonem X. grauisime simul & calumniosissime illum accusans, ait. Notum esse arbitror tibi, quid mecum egerit Cardinalis S. Sixti, Legatus tuus, imprudens & infœlix, immo infidelis. In cuius manu, ob tui nominis reuerentiam, cum me & omnia mea posuissem, nō hoc egit, ut pacem statueret, quam uno uerbulo potuisset facile statuere: Cum ego tum promitterem silentium, & finem causæ meæ facturum, si aduersarijs idem mandaretur. At homo gloriæ, non contentus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare, licentiam aperire, & mihi palinodiam mandare: id quod in mandatis prorsus non habuit. Hic sane, ubi causa in optimo loco erat, illius importuna Tyrannide uenit in multo peiorem. Vnde quicquid post hæc secutum est, non Lutheri, sed Caietani tota culpa est, qui ut silerem & quiescerem, non est passus. Quod tum summis uiribus poscebam: Quid enim facere amplius debui? Ergo ut Legati quoq̄ uictor uideretur, & maiorem inde famam fidemq̄ & autoritatem sibi acquireret, scripsit in Actis suis, quod ille nullam syllabam ex sacris literis contra ipsum produxerit unquam, nec possit etiam, si quam maxime uellet. Contra uero, ubi scripturas attulisset Lutherus, Legatus de corde suo

Iactantia  
Luth. con-  
tra Legatū

fuo effinxerit glosas, iuxta longā Ro. Curiaē consuetudinē, Qua, relictis sacris literis, & acceptis traditionibus uerbisq; hominum, factum sit, ut Ecclesia Christi non mensura tritici pascatur, nec uerbo Christi: sed non raro temeritate & uoluntate alicuius indoctissimi adulatoris regatur, & eo profecerit nostrae infelicitatis magnitudo, ut ad reuocationem & abnegationē fidei Christianae & sacratissimae scripturae incipiant compellere. Eiusmodi querelis auxit Lutherus apud quāplurimos sibi quidem fauorem & existimationem, aduersarijs uero odium & contemptum. Ausus itaq; fuit, etiam Protectoris & Principis sui autoritate, Vuittembergam publico scripto citare quoslibet haereticae prauitatis Inquisitores, si qui uideantur sibi deuorare ferrū, petrasq; dirumpere, ut ueniant illuc cum ipso disputaturi, habituri non modo saluum conductum: sed etiam liberum hospitium sumptusq; à Principe. Hac & id genus multa iactitans, sibiq; scripturarum peritiam prā omnibus arrogans, plurimos in partē suam traxit: clamitans, non solum scholasticos Theologos, uerum etiam Papam ipsum eiusq; Decretales uim facere scripturis, easq; torquere, ac improprie & abusive intelligere. Exclamabat igitur aliquādo in tales, qui aliter q̄ ipse uellet, scripturas interpretantur, quod sint Centuplo peiores Turcis: Quoniam uerbum Dei, quod omnia sanctificat, scelerate in nihilum redigant. Simulabat quidem eo tempore blandioribus uerbis modestiam, humilitatemq; & obedientiā, ut partem suā & auctiorem & cōmendatiorem redderet: Cor tamen eius semper erat in mordacitatem superbiamq; & rebellionē erectum. Quod sane alicubi ipsemet palam fecit. Ait enim in Actis ad Lectorē. Posteriorē responsionē meam, etsi cum multa reuerentia dedi, ac uelut in arbitrium summi Pontificis reposui: Non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitē, aut animi sententiam sim unquam mutaturus, sed quia oportuit reuerentiam seruare ei, qui uice summi Pontificisungebatur. Dixerat autem in ea responsione, animam suam paratissimam cedere, mutare, reuocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit: Quomodo autem doceri queat, qui animi sententiam mutaturus nunquam fuerat: qui non solum Legatū, summæ alioqui eruditionis uirū, quem & Lutherus ipse insignibus dotibus, praesertim iudicij acrimonia donatum fateretur: sed & Pontificem Ro. Leonē X. reprahendebat, Qui Syluestrū Prieratem, sacri Palatij Magistrū, simul cum S. Thoma proteruissimē cōtēnebat: calumniās utrunq; quod nudis uerbis incedāt, sine scriptura, sine patribus, sine Canonibus, deniq; sine ullis rationibus. Merita igitur uerba dabat, cum reuocaturum se promitteret.

Contra Inquisitores.  
Luth. in defensione Sermo-  
nis de Indulgentijs.  
Luth. in Actis  
August.

Duplicia  
uerba Lutheri.  
Luth. in Actis  
August.

Luth. ad dialogū  
Syluestri

Anno

Anno M. D. XIX.

Insolentia  
Luth. post  
obitum  
Maximi-  
liani Imp.



Reprehen-  
dit seipsum  
Luth.

Carolus  
à Milititz.

Æterū currente iam anno Domini M. D. XIX. Posteaquam rebus humanis substractus est Maximilianus Cæsar: Princeps sane & armis & pietate insignis, cœpit Lutherus indies magis ac magis insolescere. In aduersarios cōuitijs ac criminationibus grauius inuehi. Summo Pōtifici maiori contemptu rebellare: adeo quidem ferociter, ut etiā in epistola secunda ad Leonem X. iactitet, quod Carolus Milititius, nuncius Apostolicus, post Caietanū multo & uario negotio cursans & recursans, nihilq; omittens, quod ad reparandum causæ statum, quem Caietanus temere & superbe turbauerat, pertineret, uix tandem etiam auxilio Illustrissimi Principis Friderici Electoris effecerit, ut semel & iterum familiariter cum ipso loqueretur. Mira profecto insolentia & superbia in Monacho nondum excucullato, Qui cum reus ageretur apud summum Pontificem, supremum in terris Iudicem suū, propter reproba & hæretica dogmata, atq; etiam propter turbatam Ecclesiæ pacem, læsamq; Sedis Apostolicæ auctoritatem omni iure sacrosanctam: adeo, ut ipsemet Caietano priuatim scripserit, in hæc uerba. Reuerendissime in Christo Pater, fateor, ut & alias fastus sum, me profecto nimis indiscretum, ut ipsi dicunt, uehementem & irreuerentē fuisse cōtra nomen Pontificis. Et quamuis admodum uehementer ad eiusmodi irreuerentiam lacessitus fuerim, intelligo tamen nunc, quod decuisset me, modestius, humilius, ac reuerentius istā materiam tractare, & non sic respondere stulto, ut fierem ei similis. Quod mihi omnino synceriter dolet, ueniamq; peto. Idem ipse tamen reus paulo post, nec absolutus nec procrastinatus, sed grauius accusatus, atq; etiam per contumaciam in urbe damnatus, tantæ fuit rebellionis & superbix, ut perduellionis aut hostis coniurati potius & Imperatoris, quàm rei aut Monachi, personam sibi uendicaret, non petens amplius ueniam ullius delicti: sed cucullam suam Infulæ summi Pontificis æquiparans: immò præferens, tumidissime iactaret, Nuncium Apostolicum: hominem nobilem, ex Inclyta Milititiorum familia in terra Misnensi procreatum, multo labore cursitasse, ac uix tandem etiam Electoris Principis ope effecisse, ut semel ac iterum in familiare admissus fuerit colloquium, propter turbatum à Caietano causæ statum. Quis uero Imperatorum, seu Græcorum seu Latinorum & Germanorū, usq; legitur tanto fastu

fastu à Colloquio repulisse Nuncios Apostolicos, quanto repulit (ut iactitat) Monachus iste cucullatus adhuc & reus, & qui nuper ante paucos dies, à Legato ad ipsum Dominum Apostolicum appellauerat? Iactitabat ulterius, in eo Colloquio se denuo cessisse nomini + Leonis X. quod fuerit paratus silere: acceptas etiam Iudicem uel Archiepiscopum Treuerensem, uel Episcopum Nurnbergensem, atque ita factum & impetratum fuisse. Verum dum hæc spe bona agerentur, alterum & maiorem hostem Pontificis irruisse Eckium cum disputatione Lipsica, quam instituerat contra D. Carolstadium, ac penitus hoc consilium pacis dissipasse. Tantus iam tum uidebatur sibi Lutherus, ut grandis muneris aut beneficij loco haberet, sibiq; acceptum referri uelit, tanquam donum aliquod amplissimum, si Pontifici & nuncijs eius pacem daret & sileret. Cum uero D. Ioan. Eckius, uir planè doctissimus, cum Andraea Carolstadio Lipsiæ ex pacto disputaturus, ad suas propositiones XII. illic disputandas, thema unum de prerogatiua & potestate Romanæ Ecclesiæ (cuius improbissimus osor & uiligator erat Lutherus) adiecisset, Lutherus sibi per hoc iniuriam fieri arbitratus (mox enim pro hoste habet unumquemq; qui ab ipso dissentit) sese illi disputationi ultro immiscebat nec rogatus nec prouocatus. Erant eo tempore summi amici, quanti postea facti sunt inimici, Lutherus & Carolstadius: hic Archidiaconus Vuitenbergensis: ille Ordinarius Theologiæ prælector: Vterq; sibi plurimum fidens, atq; cunctis in mundo eruditorem sese reputans, ex disputationibus famę gloriã quærebat: Eckio, Ordinario Theologiæ Professori Ingolstadiensi, qui Friburgi, Tubingę, Ingolstadtij, ac Viennæ, atq; etiam Bononiæ celebre Disputatoris nomen consequutus fuerat, laudẽ illam ambo inuidentes & præripere cupientes, Disputandi aut occasio sumpta fuit ex Obeliscis (hoc est, Annotationibus repræhensorijs) quibusdã, quos Eckius circa primas Lutheri de Indulgentijs propositiones apposuerat priuatim, ab amico quodã quid super ijs sentiret rogatus. Eam iniuriam uindicaturus Carolstadius, scripsit in Eckium. Ille uero imperterritus ferocienti ferociter occurrit. Præludebatur itaq; libellorũ uelitationibus, quærebatu cõcinnus pugnandi cãpus ac disputandi locus: tandem ex conuentione placuit utriq; parti Lipsia (urbs & mercatu & Vniuersitate insignis quidem, sed uirtute ac integritate sui Principis, nempe Illustris. Saxonix Ducis Georgij, adhuc multo insignior) ubi ad certum Diem, utriusq; consensu præfixum, disputaturi conuenirent. Quãuis id uehementer displiceret Episcopo Merseburgensi, ut loci Ordinario, atq; Theologis Lipsensibus,

Luth. ubi  
supra.

+ Pontificis.

D. Ioannes  
Eckius.Andraea  
Carolsta-  
dius.

Obelisci. qui

Lipsica Di  
spatio

B qui

qui maluissent talem disputationem prohiberi atq; omitti.

Lutheri dispu-  
tio & excu-  
satio.

1. Tim. 1.

Priusquam uero illuxisset dies ille, amica quædam contentio erat inter duo illa luminaria Vuittenbergæ, quam etiam libellis æditis contestabantur, in magnum sane Eckij contemptū: Dum Lutherus pro Carolstadio congregari cuperet humilitatis gratia, tanquam Eckius dignus non foret, cum quo congregaretur tantæ dignitatis & eminentiæ, uir Archidiaconus Vuittenbergensis, Carolstadius uero illum sibi deposceret ad uindicandum ab Obeliscis eius Lutherum. Scribebat præterea Lectori Lutherus, Eckium Sedis Apostolicæ cōsecratorē, scripture patrūq; uerbis uti, uelut Anaxagoræ elementis: ut iuxta Apostolum non intelligat neq; quid loquitur, neq; de quibus affirmat, Carolstadium uero, uictorem Eckiani erroris iam dudum, uenturum esse non fugitiuum militem, sed mortuum illum & à se prostratum Leonem, cum fiducia excepturū. Se uero in hac re non timere seu Papam seu nomen Papæ, multo minus pappos & puppas istas. Ad diem igitur præfixō, qui erat XXVII, Iunij, magno apparatu Lipsiam uenerunt Vuittenbergenses, non solum multos comites: sed & libros subsidiarios secum afferentes, quasi Lipsiæ non essent libri, si quibus opus foret. Eckius uero, cui non solum à latronibus & raptoribus, uerū etiam à Lutheranorum in se frendentium gladijs et insidijs metuendum erat, uno tantū famulo comitatus Lipsiam uenit, ignotus ad ignotos, multo prolixius iter emensus quam illi. Quippe distat à Lipsia Ingolstadium circiter Quinquaginta Miliaria Germanica: Vuittenberga uero tantūmodo septem. Excepti ergo sunt omnes & amice & honorifice, non solum à Senatu & Vniuersitate urbis, uerum etiam à Principe & Domino urbis, Saxonie Duce GEORGIO, Qui non modo Cōsiliarios suos, pro seruanda utriq; parti equitate, adhibuit, sed et in Arce sua, nequis tumultus oriretur, disputantib. locum concessit, atq; etiam personali presentia sua disputationem honorauit: eos pro sua & grauitate & prudentia benigne admonens, ut cauerent ab omni amarulenta uerborū & scandalo infirmorum, solam ueritatem præ oculis habituri.

Disputatio  
Eckij cum  
Carolsta-  
dio.

Primum igitur congressi sunt Eckius & Carolstadius, de libero Arbitrio hominis disputaturi: solenniter protestantes ambo, quod ab Ecclesia Catholica nusquam, ne ad latum quidem digitum, discedere uelint, nec cruditorū iudicio præire, nec Vniuersitatum autoritati præiudicare. At non inuenit ibi mortuum in Eckio Leonē Carolstadius, ut iactitauerat Lutherus, sed uirū ingenio & alacritate longe magis uiuidum, quam erat Carolstadius: memoriæ autem uiuacitate ac singulari bono, etiam Lutherum ipsum superabat,

superabat, eruditione præterea et intellectus acumine neutri eorum cedens. Cum quo sane Carolstadius diebus aliquot decertans, multo plus laboris quam laudis reportauit. Erat enim D. Eckio in omnibus longe inferior. Quod ægre ferens Lutherus, in festo Apostolorum Petri & Pauli, sermonem habuit ad populum in sacello Arcis. In quo sane, cum frequens haberet auditorium, palam & acriter perstrinxit, tum Papæ autoritatem, tum clauium potestatem, non absq; offendiculo multorum. Vnde factum est, ut paulo post D. Eckius eum sermonem Lutheri (qui per Typographos quoq; euulgatus est) repræhenderit publice, dum secunda die Iulij, in festo Visitationis Mariæ, concionaretur ad populum in Parochiali Ecclesia Diui Nicolai. Carolstadio autē ex disputatione iam fessio & exhausto, successit in certamen Lutherus, die Quarta Iulij usq; in diē XIII. Longa tamen Consiliarijs Principis Georgij cum Luthero dissertatio fuit, priusquam disputationem cum Eckio iniret. Diu enim reluctabatur, se certis submittere iudicibus: magis enim appetebat iudicium uulgi & confusæ multitudinis, quam Doctorum in Vniuersitatibus. Cum autem nullo prætextu honeste recusare posset, consensit tandem (sed inuitus & iratus) in Iudices Parisienses & Erphordienses facultatis Theologicæ. In hos sane, quod apud eos in literis educatus, plus notitiæ & fauoris haberet quam Eckius: apud illos uero, quod offensos nuper in causa <sup>† à Papa</sup> Capnionis, atq; in priuilegijs Cleri Gallicani, speraret approbaturus potius impugnatoris, q̄ propugnatoris Rom. Ecclesiæ partes: Maluisset tamen Poëtas Theologorū irrisores, & plebem Cleri osorem, quam quoslibet Theologos causæ suæ Iudices habere.

Videntes itaq; Consiliarij Ducis Georgij uultum eius iracundum, admonuerunt, ut nihil per iram, sed omnia modeste ageret, ne scandalo fieret auditoribus. Tum ille ira uictus, prorupit in apertam confessionē secreti sui pessimi, dicens. Non propter Deum hæc res ccepta est, neq; propter Deum finietur. Illi autem, ne ludibrio fieret orbi proclamata illa disputatio, hoc uerbū dissimulantes, mitigabant animum eius, ut iuxta promissum cum Eckio disputaret. Disputatum est itaq; ab illis & acriter & copiose, primum de potestate & primatu Ro. Pontificis. Deinde de Purgatorio, de Indulgētijs, de Pœnitētia & de Absolutione sacerdotis. Sed longe alia tunc erat Luthero & mens (nisi omnia simulauerit) & uox de rebus illis quam paulo post. Nam & ipse protestationem, quam alij duo præmiserant, approbabat & amplectebatur. Et de Rom. Ecclesia longe reuerentius loquebatur quam postea: adeo, ut non solum Latine, uerum etiam Teuthonice sententiam suā declarans,

B ij diceret,

Disputatio  
Eckij cum  
Luthero.  
Ex actis di  
sputationis  
Liplicæ.



diceret. Senon impugnare, nec Christiane à quoquam impugna-  
 ri posse, primatum & obedientiam Rom. Ecclesie. Nec derogare se  
 Pontifici, quicquid tribuitur ei. Cumq; inter disputandū ex uer-  
 bis suis suspectus haberetur, tanquam fautor & patronus Bohe-  
 morum schismaticorum, Quemadmodum D. Eckius palam ei ob-  
 iiciebat: Ipse mox interstrependo Teuthonice iratus dixit, hoc men-  
 titum esse. Deinde maturius respondendo, idipsū uelut grauem  
 cōtumeliā a se reſciens, sic dixit. Nunq; mihi placuit, nec in æter-  
 num placebit, quodcunq; schisma inique faciunt Bohemi: quod se  
 autoritate propria separant à nostra unitate, etiam si ius diuinum  
 pro eis staret, cum supremum ius diuinum sit charitas & unitas spi-  
 ritus. Petebat igitur ab Eckio, ne uelit impingere tantam contume-  
 liam, ut eum Bohemū faceret, quia sibi semper inuisi fuissent: ideo,  
 quia ab unitate dissentiant. Deniq; cum de Purgatorio quoq;  
 extranea & scandalosa diceret, quasi de eo nihil habeatur in scri-  
 pturis: Vnde suspectus fiebat de Græcorum & Pighardorum (qui  
 Purgatorium negant) hæresi, Ad remouendam à se suspicionem  
 illā, dixit publice. Ego, qui credo fortiter, immo ausum dicere, scio,  
 Purgatorium esse, facile persuadeor, in scripturis de eo fieri men-  
 tionem: Quemadmodū illud Matthæi inducit Gregorius in Dia-  
 logis. Non remittitur neq; in hoc sæculo, nec in futuro: Volens pec-  
 cata quedam remitti in Purgatorio, Admitto & illud Machab. 2.  
 Sancta est & salubris cogitatio, pro defunctis exorare &c. Las-  
 sato tandem Luthero, Eckius intrepidus & infatigabilis Carolsta-  
 dio rursus in arenam progredienti congressus est, die XIII. Iulij:  
 die 15. Iulij prouocatus ab illo eadem hora, qua cessauerat Lutherus. Ut homo  
 peregrinus, à suis tum libris, tum amicis notis longe positus in re-  
 gione longinqua, si non possit argumentis uinci, saltem labore tan-  
 dem & cauillorū fastidio delassatus, ex arena cederet, ac uicti spe-  
 ciem præberet. Rursum igitur impetitus est de libero Arbitrio ho-  
 minis. Cui paradoxū istud adiunxit aduersarius ille: Iustū in omni  
 opere bono peccare. Sed paucorū dierum fuit ea disputatio. Mox  
 enim cessatum est, die XV. Iulij, & tota causa Iudicibus commissa.  
 Domum itaq; redierunt Vuittenbergenses, egregie quidem ho-  
 noratī Lipsie cum aduenissent, sed longe minori cum gloria quam  
 sperauerant, Vuittenbergam redierunt. Non enim crediderant,  
 tantum esse Eckium, quantum experti sunt. Cum ergo parum fidu-  
 ciæ haberēt ex uiuæ uocis disputatione, ad libellos refugerūt, mox  
 ædentes uelut uicticem censurā suam, anteq; scirent, quid Iudices  
 ab utraq; parte electi iudicaturi essent: Quamuis Lipsiæ cautum  
 fuisset, ne quid illius disputationis æderetur, antequam sciretur,  
 quid

De Bohemis.

De Purgatorio.

Matth. 12.

2. Machab. 12.

Finita dis-  
 putatio  
 die 15. Iulij

quid uisum foret Iudicibus. De Erphordiensibus quidem nihil in publico constat, quidnam censuerint. De Parisiensibus uero dubitare nō licet, quin pro Eckij parte iudicauerint, qui paulo post, censuræ suæ, qua Lutheri 104. propositiones damnauerunt, publicæ ædiderunt testimonia. Lutherus uerò irarum & querelarum plenam ædidiit epistolam ad Spalatinum suum, qui Friderici Ducis Electoris & à sacris & à secretis erat, ac pro illo multa secreto egerat. In qua sane scripsit complurima, à ueritate longe aliena, sicut in respōsione sua Eckius demonstraui. Eius initium ita habet. Historiā famosæ huius disputationis, quam Lipsiæ habuimus, Optime Spalatine, cupis nosse. Ait eam disputationem fuisse perditionem temporis, non inquisitionem ueritatis: Et quantum in Eckio fuit, nullum ferè scopum fuisse tactum. Aut si tactus sit, nō nisi notissimis & uulgo proculcatis argumentis certatum fuisse. Deinde in Lipsenses inuecturus, ait. Non mihi, sed sibi imputabunt, si tangantur & ipsi, quos par gloriæ studium, & inueterata iamdiu inuidia coëgit, pro Eckio contra nos machinari non bonas machinas. Confitebatur tamen, optimæ illi Vniuersitati se nihil debere, quam omnem honorem & omne officium, duntaxat inuidiam quorundam displicuisse sibi. Quamuis uerò laudaret ibi Ducem Georgium, quod uere Principali clementia & munificentia nihil omiserit, quod ad foelicissimum illius disputationis fructum facere possit: omnia cauens & monens, ut modeste & ueritatis quærendæ studio ageretur, multa tamen in Cōsiliariorū eius suggillationē queribūdus adiunxit. Primo ruptū est, inquit, pactū, quo inter Eckium & nos conuenerat, ut libere disputaretur, & excepta per Notarios in publicum totius orbis iudicium egerentur. Illi autem statuerunt, ne excepta per Notarios æderentur, nisi Iudicibus nominatim & communiter electis oblata, accepissent sententiam, Quasi orbis & cuiusq; optimi uiri iudicium parum sit. Alteram machinam fuisse ait, Cum Carolstadius libros secum attulisset, illos statuisse pro Eckij uoluntate, libros domi relinquendos esse, ac solius memoriæ & linguæ uiribus ac libertate disputandum. Cum uero sibi obijceretur, quod conuentioni non pareat, nec foedus seruet, disputationem ædens ante decretum iudicum, ita respondit. Quasi uero ullum pactum nobis unquam seruauerint ipsi: Addens, se cōuenisse, ne disputatio euulgaretur, quæ manu Notariorū excepta fuit: Verum ne præterea scriberet, se non pepigisse. Ducem tamen Georgium rursus laudans ait, illum prudentissime ambos uerberantem dixisse, Siue hoc sit iure diuino siue humano, Rom. Pontifex est & manet summus Pontifex: Ita uere dixisse & non leuiter, inutilem

Georgius  
SpalatinusQuerelæ  
Lutheri de  
disputatio-  
ne Lipsica.

B iij illam

illam disputationem ipsorum, insigni hac modestia taxasse.

Accusat  
Lutherus  
D. Eckium.

Lutherus igitur, qui pro summo bono habebat multitudinis applausum, cum Lipsiæ populo minus plausibilem fuisse disputationem suam sentiret, omnem iram in Eckium: qui uelut uictor, aut certe Luthero par, Carolstadioq; maior, in ore omnium uersabatur: effudit, innumeris illum diuerberans conuictijs, per multos uariosq; libellos, & epistolas. Ausus cum etiam ad Leonem X. grauissime palam accusare: tanq; Eckij mēdacijs, simulationibus & technis, omnia ubiq; fuerint turbata & exulcerata. Hic est (inquit) ille hostis tuus, mi Leo, seu potius Curiaē tuæ, qui onus supra uires suscipiens, dum gloriam suam furiose captat, ignominiam Romanam in totum orbem reuelat. Huius unius exemplo discere possumus (inquit) non esse hostem adulatorem nocentiorē. Quid enim sua adulatione promouit, nisi malum, quod nullus Regum promouere potuisset: Foetet enim hodie nomen Romanæ Curiaē in orbe, & languet Papalis autoritas, famosa inscitia male audit: Quorum nullum audiremus, si Eckius Caroli Militij & meum de pace consiliū nō turbasset. Scripsit de disputatione illa epistolam quandam Hieronymus Emser: uir apprimè & disertus & eruditus: ad Pragensis Ecclesiae Administratorem, D. Ioan. Zackium, cum audisset, Bohemos uanè gloriari, quod partes eorum defendisset Lutherus. In qua sane epistola, quam modestissime ac æquissimè rei gestæ ueritatem prosequutus, citra omnem Lutheri iniuriam atque detractionem, asseruit, illum non defendisse partes Bohemorum, sed palam contra dixisse: Eckium uero fortissimum Theologū acriter defendisse propositiones suas. Lutherus autem, siue quod nactus interim fuerat ex Bohemia libros Ioannis Huls, cui impensius fauebat, siue ignominiam suam reputans, quod Eckius diceretur fortissimus Theologus, scripsit mox petulantissime Venationē quandā in Capricornū Emseri (Hoc enim insigne pro armis à maioribus suis habebat Emser) Tot sane conuictijs exuberantem, tot scōmatis mordacem, tot calumnijs acerbam, ut Emser magis obrutus quàm inuasus uideretur: Qui tamen paulo ante honorifice susceperat illum conuiuio Dresdæ. Hac sane cautela utebatur Lutherus, ut aduersarios suos mox fragosa conuictiorum ingeminatione ac strepitu abstertere, & omnibus ridendos præbere studeret. Sic enim ait ad Leonem X. In hoc ipsum tanto spiritum tumultuatus, ut eos, quos mihi longissime impares esse uidebam, magnitudine & impetu tā uerborū quàm animi cōpescerem. At stratagemate hoc suo fortem Capricornū illum, neq; in fugam, neq; in latebras cōēgit: Quin uenatorem istum robustum, Nym-

Epistola  
Emseri ad  
Administratorem,  
Pragensem.

Venatio  
Lut. in Capricornum  
Emseri.

Luth. in 2. epistola ad Leonem X.

bro tum Saxonicum, ita repulit ac percussit ille, tum multis alijs ei gra uiter obiectis, tum illo gra uissime, quod Lipsiæ inter Consilia- rios Ducis Georgij cõstitutus, audierat ex ore Lutheri, Rem istam non esse propter Deum ceptam, nec propter Deum finiendam. Quo sane ic tu, fama Lutheri apud bonos gra uiter sauciata fuit: præsertim, cum ad eum ic tum Lutherus tam diu taceret, nihil recla- mans, ne mussitans quidem, sed callide dissimulans rea conscien- tia, per menses XX. Quamuis in terea uarium ei esset, cum Emsero æditis libellis certamen. Nulli enim aduersariorum sæpius quam illi respondit. Tandem ubi sæpius propter uerbum illud ab amicis compellaretur, ut tam gra uem suspicionis notam à se reiiceret, scri- psit Teuthonice quendam libellum, quo mendacij arguere cona- batur Emserum, sed meris fucis & nugis, nullo argumento solido, inani exclamationum Rhetoricarum tinnitu. Mox itaq; conuicit nugas eius Emser certis testibus, ludificationemq; futilem ipsius Chirographo ad Tetzellium, alijsq; gra uiter obiectis repressit, & Monachum quamlibet uerbosum ibi prorsus obmutescere coëgit.

Peracta autem disputatione, Carolus Militius, ut pacis com- ponendæ laudem ex patria sua Romam apportaret, iterum tenta- uit ad silentium redigere Lutherum. Is enim de hoc ita gloriatus est ad Leonem X. Nihil (inquit) hac disputatione promouentibus nobis, nisi maiorem confusionem Romanæ causæ, iam tertio Ca- rolus Militius patres Ordinis Capitulo congregatos adit: consi- lium petit componendæ causæ, quæ iam disturbatissima & peri- culosissima esset. Mittuntur hinc ad me, cum uiribus in me (Deo propicio) non sit spes grassandi, aliquot celebriores ex illis, qui pe- tunt, ut saltem tuæ Beatitudinis personam honorem, & literis humi- litatis excusam innocentiæ & tuam et meam: Esse adhuc rem non in extremo desperationis loco, si Leo X. pro sua innata bonitate manum admoueret. Et post pauca. Leges pacis summo Pontifici rebellis Monachus præscribere ausus, subiunxit. Porro Palino- diam ut canam, Beatissime Pater, non est quod ullus præsumat, nisi malit adhuc maiore turbine causam inuoluere. Deinde leges interpretandi uerbi Dei non patior, cum oporteat uerbum Dei esse non alligatum, quod libertatem docet omnium aliorum. His duobus saluis, nihil est quod non facere & pati possim, ac libentissime ue- lim: Contentiones odi, neminem prouocabo, sed prouocari rur- sus nolo, prouocatus autem, Christo magistro, elinguis non ero.

Interea Principes Electores Francofordiæ ad Mænum con- gregati, defuncto Maximiliano Cæsare, in locum eius feliciter elegerunt nepotem ipsius, multorum regnorum ac prouinciarum

B iij Principem

Sceleratum  
dictum Lut.

Victus ab  
Emsero  
Lutherus.

laetantia  
Lutheri de  
Carolo à  
Miltitz se-  
cũ tractan-  
te de pace.

Electio Ca  
roli V.  
Imp.

Principem potentissimum, CAROLVM V. In Hispaniarum regnis tunc procul degentem. Ad quem sane, cum iuuenis admodum esset, circumueniendum, & in partes Lutheri trahendum, multæ quærebantur uario prætextu occasiones: adeo, ut Lutherani certissimum sibi persuaderent, Carolum totum fore Lutheranum. Iactabantur merita Ducis Saxonix, Friderici Electoris: Spargebantur criminationes in Ro. Pontificem eiusq; Legatum, quod cupientes eligi Regē Franciæ, & clam & palam detraxerint Carolo: Ædebantur conuicia libelliq; famosi in Papā, in quosdam Episcopos & Theologos. Tum Lutherus ipse, suorū consilio fretus, scripsit ad eundem Carolum epistolam simulata humilitate, odiosisq; in aduersarios querelis accurate depictā: Addens etiam oblationem seu protestationem, haud minus & fictam & calumniatricem: ut sibi gratiam: Papæ ac Theologis odium tum Cæsaris tum Aulicorum eius, atq; adeo totius populi conciliaret, æditis in lucem huiusmodi libellis. Ait igitur in epistola illa, post captatam blanditijs beneuolentiam. Æditi sunt à me nonnulli libelli, quibus multorum & magnorū mihi conflauit inuidiam & indignationem, ubi duplici debuī præsidio tutus esse. Primum, quod inuitus in publicum ueni, nec nisi aliorū uī & insidijs proditus, scripsi quicquid scripsi: nihil unquam maioribus uotis expetens, quam ut in angulo meo laterem. Deinde quod testor mea conscientia, ac optimorum uirorum iudicio, non nisi Euangelicam ueritatem studui euulgare, aduersus superstitiosas humanæ traditionis opiniones. Propter quam tertius iam finitur ferme annus, ex quo patior sine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid possunt mali excogitare. Frustra ueniam peto, frustra silentium offero, frustra pacis condiciones propono, frustra erudiri meliora postulo. Vnum est, quod in me paratur, tantum ut extinguar cum uniuerso Euangelio. Cum autem omnia frustra tentarim, uisum est tandem, exēplo S. Athanasij, Imperatoriā Maiestatem inuocare, si forte Dominus dignetur per eam suæ causæ adesse. Et in protestatione sua. Sed ne hoc quidem promoui (inquit) quod me sæpe numero & multiphariam obtulerim (ut filius supplex & obediens Sanctæ Ecclesiæ Catholice, qualis, Deo Opt. Max. adiutore, mori uolo) taciturnum, si per meos aduersarios liceat, omnium Vniuersitatū non suspectarum cognitionem & sententiam passurum, coram non suspectis Iudicijs, sacris & prophanis, sub fide publica, idonea & sufficienti, conductu libero, & libenter & humiliter compariturum, eorumq; cognitionem & sententiam accepturum. Multæ id genus querimonix spargebatur in uulgus, nō solum à Lutero ipso, sed etiam

Epistola  
Luth. ad  
Carolū  
V. Aug.

Ficta humi  
litas Luth.

à com-

à complicibus eius, maxime à Poëtis & Rhetoribus plerisque, qui Fautores  
Lutheri.  
Theologis & Monachis oppido infesti erant, non solum propter  
Lutherum: sed etiam propter Ioannem Capnionem & Erasmodum Ro-  
terodamum: viros sane eruditissimos, et de literis linguisque magni-  
fice meritos, quibus non nihil causæ & contentionis erat cum il-  
lis. Sed & Iureconfulti non pauci ac Aulici, qui opibus, autoritate  
& gratia pollebant, pro Luthero, contra Ecclesiasticos multa, non  
tam scriptis libris quam epistolis & sermone, tum clam ad aures  
Principum, tum palam ad populum agebant, ac gliscens Laicorum  
in Clericos odium, suis detractionibus callide adaugebant. Maxi-  
me uero incendebat animos, non modo Procerum & Nobilium,  
uerumetiam Ciuium & Rusticorum, Vlricus Huttenus, Vlricus  
Huttenus. Eques Ger-  
manus, uir & nobilis familiæ, & acerrimi ingenij. Qui & antea,  
prius quam Lutheri nomen orbi notum esset, multa pro libertate  
Germaniæ, contra pensionum quæstus & citationum uexationes,  
quibus Ro. Curia Germaniam grauare uidebatur, scripserat: non  
solùm carmine, uerumetiam soluta oratione uehemens & acer. Is tum  
ædiderat Triadem Rom. libellum quidem paruulum: sed mire festiuum Trias Ro.  
& inuentionis ingeniosæ argumento Laicis admodum plausibilem  
& acceptum. Quo sane effectit, ut nihil æque inuisum esset Ger-  
manis complurimis ac nomen Ro. Curia & Curisanorum.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XX.*



Am occasionem nactus Lutherus, cepit scribere Liber Lu-  
theri ad  
Nobilita-  
tem Ger-  
maniæ.  
Teuthonice Reformationem quandam, ad Ca-  
rolum Quintum iam tum Cæsarem electum, & ad  
Christianam Nobilitatem Germaniæ. In qua fa-  
ne, ut omnium mentes à Rom. Pontifice, & ab  
eius Curia ac Iurisdictione alienaret, quam dili-  
gentissime recensuit pompas & abusus Ro. Curie, odiosissime tra-  
ducens quicquid ibi reprehensibile uel esset uel saltem uideretur: Su-  
per addens præterea calumnias nec leues nec paucas in Ro. Pōtifi-  
ces. Multa insuper cōmemorabat, quæ illi cōtra Ro. Imperatores  
aliosque Principes egissent, quod sererēt ex bellis bella, & ubique dis-  
seminarēt inter Reges & Principes discordias, per quas ipsi suam au-  
gerēt potentiā: Regibus bellico apparatu sumptuque exhaustis, de-  
pauperatis, & ad extrema redactis. Atque ut Cæsarem adhuc iuue-  
nem magis in Ro. Pontificem omnemque Clerum persequendum  
animaret, multis ex scriptura sacra rationibus & argumentis pro-  
bare

bare satagebat, Cæsaris gladium in omnes, nō modo Laicos sed & Clericos, liberam habere absq̄ ullo impedimento potestatem.

*Baptismus facit sacerdotes & Reges mystice & spiritaliter, non realiter et externo effectu aut officio.*

Non enim esse nisi fictitiā inter Laicos Clericosq̄ differentiam, præterquā in officio, cum per Baptismum omnes consecremur in sacerdotes: adeo, ut unusquisq̄, qui ex Baptismo repserit, possit iactare se iam presbyterum, Episcopum & Papam esse: licet non cuiuslibet conueniat, eiusmodi officium exercere. Inde audacior factus, defectionem à Papa suasit apertissime, dicens. Ideo potestati Papali nequaquā obtemperandum est, sed resistendum potius, corpore, substantia, ac cunctis quibus possumus uiribus. Euigilemus igitur, ô Chari Teuthones, ne rei pariter efficiamur omnium infelicitium animarum, quæ pereunt per istud sceleratum ac Diabolicum regimen Romanorum. His & id genus plurimis, quanquā atrocissime scriptis, prætendebat colorem pietatis & salutare nomē Iesus, quod singulis paginis in frōte superponebat, ut lector crederet, omnia illa à spiritu Christi suggesta esse, & ad optimum tendere finem.

*Qualis reformatio Luth.*

*Valer. Max. Non dubitauerunt sacris imperia seruire. Omnia post religionem ponenda semper Romana ciuitas duxit.*

Primum igitur subiecit in Reformatione illa Papam & Episcopos gladio Cæsaris. Deinde ademit Papæ autoritatem, tum interpretandi scripturā sacram, tum indicendi Concilium generale. Quibus uario & scripturarū & rationum fuco probatis, cœpit in mores & præcticas Ro. Curia acerrime inuehi: sigillatim taxans omnia, & per calumnias cuncta in maius adaugens. Exclamabat igitur, Indignum esse, ut Papa triplicem gestet coronam, cum summi Reges unicam gerant: Eum esse nō exaltati, sed Crucifixi Christi uicarium: Cardinales eius esse inutiles, immò perniciosum populum, qui Italiam & Germaniam exugit. Ex familia Papæ Centesimā partem retinendam, Nonaginta nouem partes ex illa abolendas esse: tollēdas Annatas, & menses Papales: abijciendas Episcoporum confirmationes, & Archiepiscoporum Pallia. Domum Datarij esse lupanar super omnia lupanaria. Papæ nihil iuris competere ad regnū Ncapolis & Sicilia, uim & prædam esse omnia quæ possidet: Romanam Excomunicacionem simul cum literis & sigillis in frigidum ducendam balneum: Ius Canonicum, à prima litera usq̄ ad nouissimā, funditus delendum, præsertim uero Decretales, &c.

*Exusti à Luth. sacri Canones & Decretales &c.*

Vbi ergo sensit, cum quoq̄ librū à laicis suis, nō solum æquis animis legi, sed etiam cum plausu excipi & audiri: factus inde audacior, facinus attentauit atq̄ etiam perpetravit audacissimum sane, & omnibus retro sæculis inauditum. Quippe sacros Canones & sanctorum patrum Decreta, totumq̄ ius Pontificium simul cum Bullis Papalibus, literisq̄ & sigillis Indulgentiarū, aliorumq̄ Indultorū Papalium, publice damna-

uit

uit ad ignem & combussit: At de tanto scelere sese iactitans etiam, ut latius euagaretur eius facti fama, libellum edidit. In quo causam exustionis reddere uolens, XXX. articulos ex Decretorum uolumine collectos, commemorabat, uelut absurdos & impios: Quos et per calumniam in deteriorem sensum pertrahens, multis flagellabat improperijs & conuictijs, Ac tandem subiunxit hæc uerba. In his & huiusmodi articulis, quorum innumerabiliter plures sunt, omnes tamen eo tendentes, ut Papa sit & Deo & omnibus hominibus superior, et ipse solus nemini mortaliū, sed ipsi omnes, etiā Deus et Angeli, sint subiecti: Vt Papæ discipuli dicant, Papā esse rem mirabilem, nō esse Deum, & non esse hominem: fortassis Diabolum & Satanam ipsum. Et infra. Summa (inquit) summarum totius iuris Canonici hæc est. Papa est Deus in terris, superior omnib. cœlestibus, terrenis, spiritualibus & sæcularibus, & omnia Papæ sunt propria, cui nemo audeat dicere, quid facis: At Ambros. Catharinus Italus: uir plane doctissimi. qui antea Quinq; libris, illius errores & conatus acerrime repræhenderat, in hæc uerba illi, tam grauius sane quæ uere, respondit. Vere summa summarū, omnium stultitiarū tuarū hæc est, Quia non sunt nisi calumniæ & mendacia manifesta, quibus respondere stultissimum esset. Nam si hæc persuadeas, etiam citra ullam contradictionem, turbæ tuæ, nihil profecto tam absolum atq; absurdum superest, quod persuadere non possis. Quis enim possit credere, quod in Decretis dicatur, Papam esse supra Deum, aut supra scripturam, aut super omnia cœlestia? Quæ istam crudelissimam blasphemiam possint recipere piæ aures, quod Papatus sit regimen Antichristi? Tot sancti igitur tam probati, in regimine Antichristi præfuere, Gregorius, Leo, atq; maiores, pleni scientia & spiritu Dei? O mundum uere positum in maligno, non iam in Papæ personam aut mores malos, sed in officium, Sedem, Maiestatem, a Deo positam ac immobiliter fundatam, serpens malignissimus, uenenum effundit & insultat &c. Lutherus itaq; popularis auræ securus iam, & nobiliū quorundā fauore subnixus, Rhetorumq; & Poëtarum laudibus propugnationibusq; confidens, audacissime progressus est ad quælibet facinora. Renouauit suam ad Conciliū appellationem à Papa, uelut ab Antichristo & abnegatore scripturarum. Magistrum sacri Palatii propter Epitomen editam, diris insectatus est maledictis et conuictijs, immo & ad arma publice proclamauit. Mihi uerò uidetur (inquit) si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam ut Imperator, Reges & Principes, ui & armis accincti, aggreddiantur has pestes orbis terrarum, remq; iam non uerbis, sed ferro

Ambros. Catharinus.

Audacior indies ac seuior factus Lutherus.

Luth. contra Epitomen syluestri.



ferro decernunt. Quid enim lallant perditii homines, etiam communi sensu priuati, quam id quod Antichristus facturus prædicitur? Si fures furca, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, Cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Zodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? Hæc & id genus multa quam atrocissime decernebat Reus iste in iudices suos: è quibus Magister sacri Palatii Delegatus: Papa supremus erat. Cuncti Theologi Louanienses doctrinali quadam censura aliquot Lutheri propositiones librosque & sermones nominatim condemnauerunt, eosque sequuti Colonienses, consimilem ædidissent cõdemnationem: Lutherus mox ira percitus, grauissimis inuectus est in illos & cõuitij & calumnijs. Dicitur (inquit) Euangelium Christi apud Turcas non licere prædicari. At si istis doctrinalibus damnatoribus, sua fiducia & tanta arrogantia Bulla constiterit, quæ Tyrannis Turcarum poterit ei conferri: Et infra, Prima igitur fiducia pronuntiandi Magistris nostris, siue ueris siue personatis, adimenda est: ostendendumque, quantis opus sit firmamentis, ut credatur ijs, qui raro pronunciauerunt bene, frequenter autem ac fere semper pronunciauerunt male. Quin cum semel malus, semper præsumatur malus, iuxta iuris regulam, nusquam, nunquam, in nulla re credendum erit Magistris nostris quibuslibet: Quorum iudicium constat iam à multis annis fuisse; non modo inconstans & præceps: sed & erroneum, hæreticum, temerarium, & cæcum: cui nemo debeat fidere tuto, nisi quem Deus iratus operationibus erroris mandet illudi. In cuius rei fidem adduxit & quædam exempla, nempe, quod iniuste damnauerint Vuilhelmum Occam, scholasticorum doctorum sine dubio Principem (inquit) & ingeniosissimum: Ioannem Picum, Mirandulanum Comitem: Laurentium Vallensem, quem ait Ecclesiæ primitiue uel reliquam scintillam, uel nouum fomitem: Et post hos Ioannem Reuchlin, in quo depræhensos ait Quinq; Vniuersitatum Theologos, quid sapiant, quid cernant, quid quærant. Atque ut adhuc magis extenuaret illorum autoritatē, in alijs quoque libellis eos sæpe conuitijs & lædorijs irrit: adiciens alicubi in margine libri, si quid ineptius dictum uideretur, hæc ridicula & à sese inuenta Aduerbia, Louanialiter, Colonialiter, Nostraliter &c. Ut omnem eis eriperet, per contemptum & scurrilia scommata, apud plebem & iuuentutem literarum studiosam & autoritatem, & doctrinæ existimationem: Tamen si Auguste Louanienses uenerabiliter postulasset sibi Iudices. Sed & contra

Doctrina-  
lis damna-  
tio contra  
Luth.  
Luth. contra  
Louanienses &  
Colonienses.

Louanialiter.

tra D. Joannem Eckium, & contra fratrem Augustinum Alueldium: uirum pium & eruditum, Ordinis S. Francisci de obseruantia, acerbissimos ædidit libellos Teuthonice, quibus causam suam populo cõmendatiorem reddebat. In Eckium sane scribens, hoc utitur initio. Doctorem Eckium Roma rediisse, constantibus nunciatur mihi indicijs. Quorum firmissimum est, quod etsi prius in Bauaria, Sueuia, Austria, Tractu Rheni, Roma, Bononia, atq; iã etiam in Misnia & Saxonã, talis agnitus ac diffamatus est homo falsus, qui omnia mentitur & fallit, quæcunq; loquitur, scribit & agit. Quemadmodum eius Canonici indocti, & Eckius Dedolatus (Hi duo erant libelli aduersus Eckium æditi) multi præterea uiri graues demonstrarunt: Nũc tamen uoluit protectionẽ suam Romanam egregie dedarare, ac decreuit seipsum mendacijs superare. Tales enim homines nunc dat Roma & nullos alios. Contra Alueldiũ uero sic ait in præfatione. Si Lipsia tales tulit Gigantes, oportet eam terram diuitẽ habere fundum. Vt intelligas uero quid uelim, attende. Syluester, Caietanus, Eckius, Emserus, & iam Colonienses atq; Louanienses, egregia & militaria facinora sua in me ostenderunt, decus & gloriam consequuti pro merito suo, Papæ & Indulgentiarum causam sic defenderunt aduersum me, ut uellent, eis melius successisse. Tandem cogitauerunt nonnulli, aggredi me, sicut Pharisei aggressi sunt Christum &c. Papa igitur, Leo X. uir alioqui mitissimus, ut uidit Ecclesiam impijs & feditionis Lutheri scriptis uehementer turbari undiq; dissidiumq; indies magis ac magis increfcere, ac illum, reiectis omnibus, quamlibet pijs, admonitionibus, semper in peius proficere, insurrexit tandem serio cõtra superbissimas rebellis Monachi importunitates: proponens primum doctissimis quibusdam Theologis Lutheri scripta pensiculatius examinãda. Deinde uocatis in Consistorium Cardinalibus, eorum fretus consilio, quando lenitate per Legatos & Nũcios nihil effecisset, ad rigorem Censuræ processit: Ea tamen moderatione, ut in promulganda sententia, recensitis 41. articulis reprobis, libros tantum damnaret: autorem uero librorum ad respiscendum paterne hortaretur. Quem ut antea Romam benignissime uocauerat, offerens ei & saluum conductum & sumptus itineris: ita & in Bulla sua præfigebat ei terminum LX. dierum, ad reuocandum errata, & rursus LX. dies adiecit, ad insinuandam Sedi Apostolicæ debitam obedientiam correctionemq; errorum: iterum saluum ei offerens plenissima fide conductum. Plurimum namq; dolebat pio Pontifici, Germanicã Nationem, à Luthero in rebellionem concitari contra Romanam Ecclesiam, quæ illam semper

Papa Leo X. cõdemnauit Lutherũ per Bullam.

Liber Lut.  
De captiui-  
tate Baby-  
lonica.

per præ alijs Nationibus imis complexa fuerat uisceribus charita-  
tis: translato in eam à Grecis Imperio Romano per Deo dilectum  
Pontificem, Leonem III. qui CAROLVM cognomento  
Magnum, Imperiali corona donauit Rome, Anno à Christi Iesu  
natiuitate D.CCC.I. Priusquam uero publicatam accepisset  
Bullam Leonis X. Lutherus, adeptus, occultis Augustinianorum  
quorundam fratrum suorum machinationibus, è Bohemia libros  
Vuiclephi Angli, et Hufi Bohemi, rebellium hæreticorum, & Ro.  
Ecclesiæ hostium, multa ex illis mutuatus est, quæ ad rebellionem  
suam deseruire uidebantur. Adidit igitur librum contra Septem  
Sacramenta, quibus Ecclesia utitur in salutem, Cui titulum inscri-  
psit. De captiuitate Babylonica Ecclesiæ, præludium Martini Lu-  
theri. Et in eo Bohemos aperte iustificans, Catholicæ autem Eccle-  
siæ ferocissime insultans, ait. Surgite ergo hic uniuersi adultores  
Papæ in unum, satagite, defendite uos ab impietate, Tyrannide,  
Iesa maiestate Euangelij, iniuria fraterni opprobrij: Qui hæreticos  
iactatis eos, qui nõ secundũ merũ capitis uestri somniũ, contra tam  
patentes & potentes scripturas sapiunt. Si utri sunt hæretici & schis-  
matici nominandi, non Bohemi, non Græci (quia Euangelij ni-  
tuntur) sed uos Romani estis hæretici & impij schismatici, qui solo  
uestro figmento præsumitis, contra euidentes Dei scripturas. Elui-  
te hæc uiri. Et in fine illius libri ita subiunxit. Auditũ audio, paratas  
esse denuo in me Bullas & diras Papisticas, quibus ad reuocatio-  
nem urgear, aut hæreticus declarer. Quæ si uera sunt, hunc libellum  
uolo partem esse reuocationis meæ futuræ, ne suam Tyrannidem  
frustra inflatam querantur. Reliquam partem propediem æditu-  
rus sum talem, Christo propicio, qualem hæctenus non uiderit nec  
audierit Romana Sedes: obedientiam meam abunde testaturus.  
Adiecit denicq; carmen hoc sacrum.

*Hostis Herodes impie, Christum uenire quid times?*

*Non arripit mortalia, qui regna dat coelestia.*

Libellus  
Luth. con-  
tra Bullam  
Leonis X.

Innuens per hoc Lectori, Romanũ Pontificem, Herodi similem,  
propter terrenum Imperiũ persequi hæreticos, immo Euangelium  
Christi. Reliquam uero partem, de qua ibi minabatur, ædidit po-  
stea, contra Ambros. Catharinũ, De uisione Danielis. In qua XII.  
facies Ro. Ponti. ita appinxit, ut per eas omnẽ Dei in Ecclesia cul-  
tum, in ludibrium uerteret. Postea quàm uero uidit æditam con-  
tra libros suos Leonis X. Bullam, adeo exarsit mox ira, ut conui-  
tiandi immanitate magis furere, quàm scribere uideretur. Adidit  
primo libellum, cui titulũ hunc dedit. Aduersus Execrabilem An-  
tichristi

Antichristi Bullam. Totus deinde libellus meris inundabat conuictijs & calumnijs, ad excitandam defectionem & seditionem contra Sedem Apostolicam. Ego (inquit) quisquis fuerit huius Bullæ autor, eum pro Antichristo habeo. Atque primum protestor, me dissentire toto corde damnationi huius Bullæ, quam & maledico & execror, uelut hostem sacrilegam & blasphemam Christi filij Dei. Deinde assero fiducia tota spiritus mei, articulos per eam damnatos, asserendosque pronuncio omnibus Christianis, sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos quicumque Bullæ consenserint, quos & his scriptis pro Ethnicis habeo & deuito. Item, Et non timetis Bullati uos Antichristi, ne saxa & ligna sanguinem funderent, præ horrendissimo hoc spectro impietatis uestre & blasphemix? Vbi es nunc optime Carole Imperator? ubi estis Reges & Principes Christiani? Christo dedistis nomen in Baptismo, & has Tartareas uoces Antichristi potestis ferre? Item. Et unde illud, quod compertum habeo, esse uidelicet per Trapezitas istos (quod Bancum uocant) definitos in Germania aliquot Centenarios aureorum, & qui Lutherum conficerent? His enim rationibus & scripturis hodie pugnat, regnat, triumphat, sancta illa Apostolica Sedes, magistra fidei, & mater Ecclesiarum, iamdudum Antichristiana, & bis septies hæretica conuicta, si gladio spiritus, quod est uerbum Dei, pugnasset. Id quod non ignorat, Ideo ne quando ad id cogatur periculi, sic furit in orbe Christiano bellis, cædibus, cruoribus, mortibus, uastationibus, omnia inuoluens & perdens.

Venerat iam CAROLVS V. Imp. electus ex Hispanijs, per Oceanum in Flandriam & Brabantiam, terras suas hæreditarias, Imperialia Comitata celebraturus Vuormaciæ, Qui ubi à Nuncijs Apostolicis Marino Caracciolo, & Hieronymo Aleandro accepisset, Bullam Papæ Leonis X. contra Lutheri libros editam, memor Titulorum suorum, cum diceretur & esset Rex Catholicus Hispaniarum ac Imperator Romanorum, religiosæ suæ & pietatis & obedientiæ mox certissima exhibuit indicia, se uere præcipiendo, ut M. Lutheri libri à Sede Apostolica damnati, publice comburerentur. Combusti sunt igitur per lictores & Carnifices tum in Brabantia urbibus, tum in ciuitatibus Imperij, Colonia, Moguntia, &c. Lutherus uero ira æstuans, cum non posset gladio, calamo eam iniuriam uindicare statuit. Ne autem emittentia & autoritas summorum Capitum, Papæ & Imperatoris, populo Lutheri libros, si non omnino damnandos & execrabiles, saltem ambiguos & suspectos redderent: Ipse astu serpentino illorum publica & mandata & facta dissimulans, totum quod age-

Seditiosa  
uerba.

Calumnie.

† Sicarijs.

Libri Lut.  
iussu Cæsar.  
ris combu  
sti.Assertio  
Luth. pro  
XLI. art.  
culis suis.

batur illorum iussu, ascripsit inuidiæ Theologorum: Qui cum nihil possint contra ipsum scripturis & rationibus, falsis criminationibus Papam Imperatoremq; incitarent, ut illi eum vi & potestate opprimerent, quem iure & causa uincere non possent. Adidit igitur Assertionem omnium articulorum suorum, quos Leo X. in Bulla sua damnauerat: Adidit aut non solum Latine, sed etiam Teuthonice, & tanto quidem superbiæ spiritu inflatus, ut præ se uno non solum scholasticos Doctores omnes contemneret, ut antea quoq; solitus fuerat: Verum etiam Ecclesiasticis Patribus Rom. Pontificibus, & Concilijs Generalibus minus credi uolebat, quam uni sibi. Adeo impudenter sibi præ cunctis peritiam scripturarum arrogabat. In odium præterea & Papæ & Theologorum, adornabat omnia, fœdis criminationibus impropèrijsq; & calūnijs aures populi mentemq; & oculos lectoris præoccupans, & quidem crebrius ferociusq; Teuthonice quam Latine. Hæc enim sunt uerba Tituli in Teuthonico. Fundamentū & ratio omnium articulorum Doctoris Martini Luth. qui per Romanam Bullam iniuste damnati sunt. Deinde amarulentis suis conuitijs præmittebat hoc dulce nomen Iesus, cū salutatione ista. Omnibus bonis Christianis, hunc libellum lectoris seu auditoris, gratiam & pacem à Deo Amen. Postea præfari incipiens, mox à laude Laicorum beneuolentiam, & à cæcitate Clericorum fidem & autoritatem sibi captabat, ac diuinæ tribuebat bonitati, quæ aliquos Tyrannos Christianitatis ita excæcasset, ac spiritu uertiginis erroribus inuoluisset, ut in summum dedecus suum, atq; ad insignem ac irrecuperabilem defectiōnem, adiderint Bullam. In qua adeo manifestam ueritatem damnauerint, ut ipsi pene lapides ac ligna contra ipsos clament. Item. Nō dico (inquit) me propheta esse, Dico aut eis eo magis timendū esse, quod sim propheta, quo plus me contemnunt, ac se ipsos æstimant. Si non sum propheta, attamen certus sum pro me ipso, uerbum Dei esse apud me, & non apud eos. Ego enim scripturam pro me habeo, & ipsi solum modo doctrinam suam propriam. Hæc & id genus multa in prologo, ad feroces Germaniæ populos, contra Papam & omnē Clerum concitandos. In processu uero tanta fuit illi petulantia uerborum, tanta insultandi scurrilitas, tantus in contemnendo fastus, ut uel ad lixas & lotrices ita loqui, dedecus foret. In Latino autem libro, ne doctis ira & Philautia eiusmodi prorsus insanire uideretur, non nihil modestiæ præ se tulit: quamuis reuera immodestissimus esset. Titulus erat. Assertio omnium Articulorum &c. Quæ sequebatur epistola ad Equitem Germanum,

Iactantia  
Luth. de se  
ipso tan-  
quam de  
propheta

Qualis La-  
tina est As-  
sertio Lut.

manū, in qua spiritū iudicij & intelligentiē scripturarū, adimebat Clericis, attribuebat Laicis. Addebat Deum nos in sensum reprobū tradidisse, ut Clerici ueritatem damnemus, quam Laici amplectuntur: & fiant sacerdotes, qui sacerdotes non sint: Laici, qui Laici non sunt. Quare uisum est (inquit) deinceps ad uos Laicos, nouum genus Clericorum, scribere &c. Post Epistolam Prologus bene prolixus. In quo primum protestabatur, se prorsus nullius quantumlibet sancti patris autoritate cogi uelle, nisi quatenus iudicio diuinæ scripturæ fuerit probatus. Addebat post multa, In omnium patrum scriptis multos inueniri errores, sæpe sibi ipsis pugnare, sæpe inuicem dissentire, scripturas torquere: Augustinum sæpe solum disputare, nihil diffinire: Hieronymum in commentarijs fere nihil asserere. Cæterum quod hactenus à scholasticis Doctoribus ad Ecclesiasticos semper prouocauerit, non sic ad eos se prouocasse aiebat, ut omnia eorum uera arbitraretur: sed quod propiora ueritati senserint quàm scholastici, qui fere nihil ueri habeant reliquum. In processu autem libri, etiam Concilia superbe ac iniuriose reijciebat, dicēs. Igitur siue Papa siue pars, siue Concilium sic aut sic sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisq; in sensu suo, in eis rebus, quæ necessariæ non sunt ad salutem. In libertatem enim uocati sumus.

Contra Ec  
clesiasticos  
Doctores.

Luth. in asser.  
ait 28. & 29.

*Acta & Scripta Lutheri Anno Domini  
M. D. XXI.*



Ntequā uero Cæsar CAROLVS V. amplif-  
sima ac celeberrima Vuormaciæ inchoasset Co-  
mitia, Lutherus perquā multos edidit libros, tū  
Latinos tū Teuthonicos. In quibus ad aucupan-  
dam & eruditionis & pietatis gloriā, gratiamq;  
non solū plebiū: sed & Principū promerendam,  
multa bona tum exponendo scripturas, tum adhortando & corri-  
piendo homines, pessimis machinationibus suis admiscebat: a deo,  
ut pleriq; etiam magnæ autoritatis uiri crederent, illum uero agi  
& zelo uirtutis et spiritu Dei, ad tollendos Hypocritarum abusus,  
ad reformādos mores & studia Clericorū: ad erigendos in amo-  
rem & cultum Dei animos mortalium. Quales erant libri isti. Ex-  
positio Decem præceptorum, De libertate Christiana, Tessarades-  
cas consolatoria, Explanatio orationis Dominicæ, Commenta-  
rius in Epistolā Pauli ad Gal. Enarrationes Epistolarū & Euan-  
geliorū per Dominicas Aduētus, Operationes in XX. Psalmos.

Quidam  
libri Luth.  
in speciem  
pietatis ædi-  
ti.

Articuli ex  
Capit. Bas  
bylo. excer  
pti.

Hierony.  
Aleander.

Expositio septem Psalmorum poenitentialium. Item Psalmorum, Tricesimi Sexti, Sexagesimi Septimi, et Centesimi Noni. Expositio Cantici Mariæ, Magnificat. De bonis operibus ad Ducem Saxonie Ioan. fratrem Friderici Electoris, et id genus alia eius opuscula, quæ speciem & doctrinæ & pietatis præ se ferre uidebantur. Postquam uero Coniitia illa maxima Vuormaciæ cœpta, Hieronymus Aleander nuncius Apostolicus ( factus postea Archiepiscopus Brundusinus, atq; etiam Cardinalis ) uir admodum & disertus & linguarum peritus, cœpit Lutherum plerisque orationibus in frequentissimo Principum Prælatorumq; ac Statuum Imperij confellu, grauissime accusare, non solum inobedientiæ & hereseos: uerum etiam seditionis, rebellionis, impietatis, & blasphemiæ.

Cum autem plerisque uideretur magis inuidia & uindictæ libidine, quam zelo pietatis in illum concitari, crebris quantumuis etiam uehementibus suis orationibus parum promouit aut effecit, donec tandem ex libro Lutheri de Capitiuitate Babylonica, recens tum ædito, excerpisset Articulos quosdam plus minus XL. In quibus ille non solum ritus et Sacramenta Ecclesie, uerum etiam leges Principum, & quaslibet constitutiones hominum reijcere, cõculcare, damnare ausus fuit. Quales sunt. Neganda esse Septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponēda, Transsubstantiationem in Sacramento altaris, pro humano figmento haberi: quia nulla scriptura, nulla ratione nitatur. Manifestum ac impium errorem esse, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunq; necessitatibus suis aut aliorum offerre seu applicare. Digne communicare eos solos, qui tristes, afflictas, confusas & erroneas habent conscientias. Baptismum neminem iustificare, nec ulli prodesse: sed fidem in uerbum promissionis, cui additur Baptismus, Neq; Papam neq; Episcopū, neq; ullum hominem habere ius unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat eiusdem consensu. Hoc esse uere hominum seruos fieri, statutis & Tyrannicis eorum legibus subijci. Christianis nihil ullo iure posse imponi legum, nisi quantum uolunt: cum sint liberi ab omnibus &c. Hos ergo & id genus multos Lutheri articulos, impios & seditiosos, ubi ex scheda recitasset Aleander, ac oratoria ui in eos exclamasset: Principes, qui eum librum nuper æditum nondum legerant, et de Luhero nihil tale suspicabantur, uehementer exterriti atq; commoti, alter alterum intuebantur, atq; in Lutherū eiusq; fautores murmurare cœperunt. Quod ubi sensit Dux Saxonie Fridericus, Princeps Elector, declinandæ inuidiæ gratia dixit, Eos articulos non esse Lutheri, sed in eius odium effingi ab aduersarijs.

aduersarijs. Orta itaq; contentione, dum hic negaret, ille affirmaret, Articulos Lutheri esse. Visum est Principibus, Lutherū ipsum accersendum esse, ut ore suo confiteretur, qui nam sint libri sui, & qui suppositicij. Tum uero longa consultatio difficilisque disceptatio inter Imperij Proceres exorta est, qua cautione quibusq; conditionibus, adducendus ille foret. Lutheri enim Patronis solius Cæsaris fides publica, quantumuis sancte iureiurando literisq; & sigillo firmata, non uidebatur sufficere. Timebant enim, ne forte, ubi aduenisset, ab illo traderetur in manus Romani Pontificis, aut ipse uelut hæreticum ultimo eum traderet supplicio, tanquam perfido hæretico nulla sit seruanda fides. Multis res nimium indigna uisa est, ultra Cæsaris fidem quippiam aliud desiderari, pro unius Monachi saluo conductu. Cum autem grandis ubiq; per Germaniam fere totam excitata esset, in populis per Lutheri libros in Clericos animorum commotio, ut res à tumultu & seditione parum abesse uideretur: permisit Cæsar, ut pro saluo conductu eundi ac redeundi, nonnulli Principum suam quoq; fidem cum ipso interponerent. Adiecit tamen conditionem istam, ut Lutherus in itinere neq; concionaretur usquam nec scriberet, ne populos amplius commoueret. Missus est itaq; Vuittenbergam è Vuormacia Caspar Sturmus, Fecialis Cæsareus, ut sub fide publica Lutherum educeret ac reduceret. Interim uero tractabantur alia Imperij negocia in Comitibus illis, que cum essent Cæsari prima, plurimi Principum solenni more iura Feudalia ab eo, ut uero ac supremo prouinciarum domino nuper electo, splendidissimo apparatu susceperunt: debitum ei præstantes Homagium. Sturmus ubi Vuittenbergam peruenit, à Rheno scilicet ad Albim, Luthero tum publicas tum priuatas attulit literas, ex quibus plenam intelligeret securitatem: maxime sic procurante Patrono suo, cui præ omnibus fidebat, eiusq; sumptibus iter ingressurus erat. Paratur itaq; currus in modum lecticę umbrosus, & cõtra omnes cœli iniurias munitus: addunt Comites uiri Docti, Ionas Præpositus, Schurffius legum Ordinarius, Amisdorffius Theologus &c. Quacunq; iter faciebant, frequens erat concursus hominum, uidendi Lutheri studio: In diuersorijjs multa propinatio, læta compotatio, Musices quoq; gaudia: adeo, ut Lutherus ipse alicubi sonora testudine ludens, omnium in se oculos conuerteret, uelut Orpheus quidam, sed rarus adhuc et cucullatus, eoq; mirabilior. Quamuis uero ea lege saluum conductum ei Cæsar dedisset, ut in itinere nusquam prædicaret aut scriberet: Ipse tamen insignis legum humanarum contemptor, Erfordiæ Dominica Quasi modo geniti, publice prædicauit, eamq; prædicationem

Disceptatio de saluo conductu dando Luthero ut adueniret secure.

Iter Lutheri ad Vuormaciam.

Contra prædicta Cæsaris concionatus est Luth. Erfordiae.



dicationem suam typis excudi iussit. In quo quidem sermone, admodum multa dixit contra uirtutem bonorum operum, & contra leges humanas. Ita enim ait, Vnus ædificat templa, alter peregrinatur ad S. Iacobum aut ad S. Petrum. Tertius ieiunat aut orat: Induit cappā, incedit nudipes, aut quid aliud facit. Eiusmodi opera nihil prorsus sunt, quæ & funditus destrui oportet. Quicquid enim à Papa uenit, id clamat, Da Da, Si non facis, Diaboli es. Modica res esset, si solum expilarentur homines: Hoc uero maximum est (proh dolor) malum, quod in mundo esse potest, quod homines eò diriguntur, ut opera corporalia possint saluare aut iustificare. Item. Sūt Tria Milia sacerdotum, inter quos non Quatuor inueniuntur recti, proh dolor. Et si quando habeantur recti prædicatores, Euangelium dicitur superficietenus. Deinde fabula quedam de antiquo, asino aut historia de Theoderico Veronensi. Sturmus uero, cum & ipse Lutheri partibus occulte faueret, nihil horum aut illi prohibuit, aut Cæsari manifestauit. Quid autem Vuormacie cum eo actum sit, ipsemet descripsit, sed fide parū integra: Quippe cum sit laudis cupidissimus, omnia in gloriam suam retulit, falsa ueris admiscens. Verum ut minus impudens uideretur sui ipsius laudator, effinxit tertiam personam loquentem & omnia recitantem. Alicubi tamen nimio laudis desiderio præoccupatus, omissa tertia persona, ait. Hic ego. Item. Orator Imperij dixit, me non ad rem respondisse &c. Ex quibus sane uerbis, Lector non omnino stupidus, facile intelligit, ea Acta ab ipsomet cōscripta fuisse, quamuis etiam stylus & secreta ipsius colloquia, quæ ibi narrantur, id ipsum plane indicent. Venit igitur Vuormaciam die 16. Aprilis, Dies X. ibi permansit, Die XXVI. eiusdem Mensis inde discessit. Ait ergo ipsemet in Actis suis. Feria tertia post Dominicam Misericordia Domini, D. Martinus Lutherus, professione Augustinianus, Vuormaciam inuectus est, Anno post Millesimum Quingentesimum. Vigesimo Primo, uocatus à Carolo Imperatore, eius appellationis Quinto. Cum ante triēnium paradoxa quædam disputanda proposuisset Vuittenbergæ, urbe Saxonum, D. Martinus Lutherus, aduersus Tyrānidem Romani Episcopi, quæ lacerata sunt interim & exusta à multis, à nullo tamen aut scripturis aut rationibus conuicta: Cœpit res ad tumultum spectare, uulgo causam Euangelij aduersus Clericos tuente. Et ob id bonum uidebatur, instigantib. Romanis Legatis, ut accerferetur homo Feciali Cæsareo, & literis salui conductus, in hoc à Cæsare & Principibus datis. Accersitur, uenit, ac diuertit in Curiam Rhodiensium, ubi hospitio collectus est, & à multis Comitibus, Baronibus, Equitibus auratis,

Acta  
Vuormacia ab  
ipso Luth.  
scripta.

Verba  
ipsius de se  
ipso.

auratis, nobilibus, sacrificis & prophanis in imam usq; noctem  
 saluatus ac requisitus, Hæc de seipso in exordio actorum suorum  
 Lutherus. Altero die Lutherus à nobili uiro Domino Vlrico  
 de Pappenheim, & à Sturmio supradicto, perductus post meri-  
 diem hora Quarta in conspectum Cæsareæ Maiestatis, aliorumq;  
 Principum & ordinum sacri Ro. Imperij: commonitus est ab illis,  
 ne quid loqueretur non quæsitum. Orator itaq; Cæsaris, Ioannes  
 ab Eck, uir eloquens & Iuris peritus, Officialis generalis Archiepi-  
 scopi Treuerensis Principis Electoris, Lutherum primo Latine,  
 deinde Germanice hunc in modum alloquutus est. Cæsareæ Ma-  
 iestas huc te Martine Luthere acciuit, his duabus de causis. Princi-  
 pio, ut libros hæctenus tuo nomine uulgatos, agnoscas hic coram,  
 si tui sunt. Deinde iam agnitos an omnes pro tuis haberi, an quic-  
 quam ex eis reuocare uelis. Ad hæc itineris comes Lutheri, D. Hie-  
 ronymus Schurff Iuriconsultus exclamauit, Intitulētur libri. Ora-  
 tor ergo multos recensuit libros illius, qui Basileæ quoq; & alibi  
 fuerunt euulgati. Ad hæc Lutherus, Libros (inquit) iam nomina-  
 tos non possum non amplecti pro meis, & eorum quidem nihil  
 unquam diffitebor. Quod autem sequitur, an asseuerem, an uero  
 reuocem illos, cum de fide animarumq; salute et de uerbo Dei, quo  
 nihil maius habemus, sit questio, temerariū fuerit ac periculosum,  
 me quicquā incogitatum proferre: Peto hac de causa suppliciter  
 spacium deliberandi, ut citra diuini uerbi iniuriam & animæ meæ  
 periculum, interrogationi satisfaciam. Ex eo Principum cœpit de-  
 liberatio, quam ita reddidit Cæsaris Orator. Etsi tu Martine ex  
 mandato Cæsareo satis intelligere potuisti, ad quid accersitus sis,  
 eaq; de causa iam indignus, cui longior cogitandi mora detur: ta-  
 men Cæs. Maiestas ex ingenita clementia sua diem unum indul-  
 get meditationi tuæ, ut cras ad horam eandem coram compareas:  
 ea conditione, ne scriptam sententiam tuam proponas, sed uerbis  
 exequaris. Et his dictis redditus est hospitio suo Lutherus. Adiun-  
 git hic quosdam Lutherus adhortantium se uoces, in laudem sui.  
 Inter quas & hanc commemorat. Beatus uenter, qui te portauit.  
 Cæterum ubi altero post die sub eandem horam reductus à Fœcæ-  
 li esset in prætorium, propter Principum occupationes, ad sextam  
 usq; horam expectauit ante ianuam. Posteaquam uero Cæsar &  
 Principes, Conclauē secretius egressi, confederunt in publico, ma-  
 gna circumfusa turba: Cæsaris Orator dixit Luthero, rursus Lati-  
 ne ac Teuthonice, Deliberationē, quam heri petisset, habere nunc  
 finem: Quam tamen impetrare non debuisset, cum tanto tempore  
 sciuiric ad quid fuerit uocatus, Respondeat ergo nūc, an libros à se  
 agnitos

Io. ab Eck  
 Officialis  
 Treuerens  
 sis.

Libri à Lu  
 the. agniti  
 pro suis.

Lutherus  
 laudis pro  
 prię audis

agnitos omnes tueri, an uero quicquam retractare uelit. Ad hæc Lutherus respondisse ait se suppliciter, tacite ac modeste, nō tamen sine Christiana superbia: quamuis de reuocatione nonnihil spei ex petito deliberandi spacio concepissent Aduersarij. Cum uero longis ambagibus ac proluxa oratione iā blandiens Principibus, iam terrens scripturarum exemplis de regibus Ægypti Babylonisq; & Israël longe petitis: ad articulum præcipuum non responderet, sed intricata distinctione tria librorum suorū genera commemoraret, & iam in crepusculum uergeret dies æstiuæ, Dixit ei Orator Cæsaris, ut ad rem respondeat, ac simplex & non cornutum det responsum: An reuocare uelit nec ne. Ad hæc ita se respōdisse affir-

Respōsum  
Lut. de nō  
reuocādo.  
mat Lutherus. Quū ergo S. M. uestra, Dominatione scq; uestre sim-  
plex responsum petūt, dabo illud neq; cornutum neq; dentatū, in  
hunc modum. Nisi conuictus fuero testimonijs scripturarum, aut  
ratione euidenti (nam neq; Papæ neq; Concilijs solis credo, cum  
constet eos & errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse) uictus sum  
scripturis à me adductis, & capta conscientia in uerbis Dei, reuo-  
care neq; possum neq; uolo quicquam, cum contra conscientiam  
agere neq; tutum neq; integrum sit. *Got helff mir Amen.*

Id est Deus  
adiuuat me

Post hoc responsum Principes deliberando & consultando colloquentes, iusserunt Cæsaris Oratorem ista referre illi uerba. Immodestius tu Martine respondisti, quam personam tuam deceat. Quod si eos libros recantasses, in quibus errorum tuorum magna pars est, haud dubie Cæsarea Maiestas ex ingenita Clementia, reliquorum qui boni sunt persecutionem non toleraret. At tu quæ Vniuersale Constantiense Concilium damnauit, ex uniuersa Germanica Natione congregatum, resuscitas, & per scripturam conuinci uis: In quo sane uehemēter deliras. Quid enim attinet nouam disputationem celebrare, de rebus per tot sæcula ab Ecclesia & Concilio damnatis? Lutherus autem causans captam suam conscientiam non posse ex retibus, quibus inuoluta esset, abire: dicebat se reuocare non posse. Cum ergo iam tenebræ totum auditorium haberent, discessum est è confesso, & abierunt Principes in hospitium unusquisq; suum, iussi postridie mane redire, ut Cæsaris audiant sententiam. Feria igitur sexta post Dominicam, Misericordia Domini, misit Cæsar scriptum Autographum in Senatum Imperij, in lingua Burgundica ab ipsomet exaratum, Quod Latine interpretatū hanc habet sententiam. Vobis constat, genus me ducere à Christianissimis Imperatoribus, à nobili Natione Germanica, à Catholicis Hispaniæ Regibus, ab Archiducibus Austria, à Burgundiæ Ducibus: Qui omnes Ecclesiæ Romanæ filij ad mor-

Sententia  
Cæsaris in  
Luth. lata.

rem usq; fideles perstitere, semperq; Catholicæ fidei, sacrarum Cæ-  
 remoniarum, Decretorum, Ordinationum, sanctorum morum,  
 pro honore Dei, pro fidei augmentatione, pro animarum salute,  
 defensores extitere. Qui quidem fato sancti, nobis ex instituto na-  
 turæ, iureq; ipso hæreditario, sanctas, quas diximus, Catholicas  
 obseruationes, quasi per manus traditas, reliquerunt: ut eorum secuti  
 exempla uiueremus, et in ijs etiam moreremur. Atq; ita nos, utpote  
 qui Maiorum nostrorum ueri imitatores sumus, diuina fauente  
 gratia, tenore eodem ad hanc usq; diem uiximus. Ego itaq; hac de  
 causa tueri decreui, quicquid ipsi Prædecessores mei, & quicquid  
 ego huc usq; ad præsens obseruaui: Id uere præsertim & ante om-  
 nia, quod per ipsos Prædecessores meos, tam in Concilio Constans-  
 tiensi, quam etiam in alijs, decretum sancitumq; est. Quoniam uerò  
 constat, fratrem unum tantum, sua quadam opinione deceptum,  
 hallucinari, quæ contra totius Christianismi sententiam est, tam  
 eorum qui ante acto tempore nos supra Mille annos præcessere,  
 quam eorum qui nunc uiuunt. Ex cuius quidem opinionis ostenta-  
 tione, uniuersum Christianum nomen in errore semper uersa-  
 tum esse uideretur: Ea propter deliberaui omnino, Regna omnia  
 mea, Imperium, Potentatus, amicos meos, corpus & sanguinem,  
 uitamq; & animam meam exponere, ne prauum hoc inceptum  
 deserpat ulterius, propterea quod mihi magno dedecori cederet,  
 atq; etiam uobis, qui nobilis & maxime celebrata estis Germaniæ  
 Natio: Quibus id ad honorem, autoritatem & prærogatiuam ac-  
 cessit ex priuilegio, ut præcipui iustitiæ obseruatores, Catholicæq;  
 fidei defensores & protectores habeamur. Quod si qua nostris  
 temporibus non solum hæresis, uerum etiam hæreseos suspitio, aut  
 ulla Christianæ religionis imminutio in cordibus hominum re-  
 linqueretur, id successoribus nostris perpetuæ uituperationi foret.  
 Audito itaq; pertinaci responso, quod hesternæ die in nostro om-  
 nium conspectu Lutherus dedit, meam ego uobis sententiam te-  
 statam facio, pœnitere me moræ, qui contra ipsum Lutherum &  
 falsam eius doctrinam procedere tam diu distulerim, hominemq;  
 quicquid dicturus sit, nolle amplius audire, omnino decreui. Man-  
 doq; ut quam primum, ex modulo mandati reducatur, caueatq;  
 ipse ex conditionibus in saluo conductu præscriptis, ne publicas  
 conciones conuocet, neue populos falsam eam doctrinam suam  
 ulterius doceat: ne demum operam ullam det, ut noui quicquam  
 usquam excitetur aut motus fiat. Et sicut præfatus sum, constitui ac-  
 cingere me ad procedendum aduersus eum, ut aduersus notorium  
 hæreticum æquum est procedere: Simulq; a uobis exigo, ut in huius-  
 modi

modi causa tanquam boni Christiani decernatis quod debetis, & ut mihi facere promisistis. Scripta hæc manu mea, Die 19. Aprilis M. D. XXI. Hæc Imperatoris tam p̄ij & Catholici sententia lecta est, non solum Vuormaciæ coram uniuersis Principibus & Statibus Imperij: uerum etiam Romæ postea mense proximo, Die X. Maij, in publico Consistorio, coram purpurato Cardinalium Senatu, iussu Leonis X. Papæ. Pontificatus eius anno Nono. Et ab utroq; Senatu non uulgariter collaudata est Cæsaris in fide constantia, zelusq; pietatis ac religionis auitæ in pectore iuuenili.

Murmura  
Lutherano  
rum con-  
tra Cæsare.

Quantum uero laudabant illum uiri boni grauesq; ac p̄ij, tantum in occulto murmurabant & criminabantur Lutherani: dicentes, cum esse puerum, qui nutu & blandicijs Papistarum & Episcoporum trahatur quocunq; uelint: Præcipue uero irascebantur minisq; & clamoribus fredebant duo ex Germanorum Poëtis, stemmate quidem auito nobiles & ingenio clari: sed animo maxime feroces, Vlricus Huttenus Francus, & Hermānus Buschius Vuestphalus: hostes sane antiqui, hic Theologorum scholasticorum & Monachorum, ille Curtisanorum ac Nunciorum Romanæ Curie. Inscribebatur itaq; ualuis noctu passim per plateas urbis: Vç terræ, cuius rex puer est. Affigebatur item ualuis Prætorij hostilis schedula, in qua fingebantur CCCC. Equites Germani bellū indicere Cardinali et Archiepiscopo Moguntino: qui per Germaniam inter Imperij Principes Electores Decanus est, loco & dignitate post Imperatorem proximus: Nullius tamen Equitis nomen schedulæ adscriptum erat. Cæterum in fine comminationis apposita cernebatur seditiosa uox ista Germanica. **Buntschuch, Buntschuch, Buntschuch**, quæ significat fœdus populare, seu potius coniurationem contra superiores. Atq; ut maior incuteretur Catholicis terror, non longe aberat à Vuormacia uir nobilis ac potens Franciscus de Sicking, magnam ex militia famam nactus: Quippe qui per se bellum intulerat tum Hælsix Lantgrauio, tum ciuitati Metensi, et utrūq; hostē grauibus affecerat damnis. Is igitur in arcibus suis, quas munitissimas habebat, ex proquinquo cōsistens, dicebatur collectum habere Equitatū manumq; militarem, expectans Lutheranae causæ exitum, cum impensissime faueret Luthero. Principes igitur & reliqui Ordines Romani Imperij, etsi Cæsaris constantiā pietatemq; laudarent, uidentes tamen et in urbe Vuormacia, ubi erant, & extra, non solum in propinquis locis: uerum etiam in longinquis Germaniæ ciuitatibus, motus & murmura plebium: atq; etiam nobilium multorū propensiores in Lutherum animos, orabant Imperatorem, ut clementer ipsis permitteret, de-

Buntschuch

ligere

figere quosdam ex Ordinibus Imperij, qui pertērent, an Luthero persuadere possint, ut damnatos à Sede Apostolica articulos reuocaret. Cum Luthero interim toto triduo nihil publice actum est, priuatim uero plus satis inquietorum hominum ad eum concursus & instigatio fuit. Cæsar Die Aprilis 22, respōdit Principibus & Statibus Imperij, permittere quidem se, ut cum Luthero agant aliqui ex ipsis, periculumq̄ faciant, an damnatos articulos reuocare uelit: sed ita, ut ea actio maturetur, ne ultra triduum Vuormaciæ permaneat Lutherus, Nihilosecius tamen perstare se in sententia sua, cuius Autographum feria Sexta uiderint, quàm diu Lutherus in pertinaci uoluntate sua perseuerauerit. Obten-  
 Delectus  
 Principum  
 & Ordinū  
 Imperij, ad  
 agendum  
 cum Luth.

ta igitur Cæsaris permissione, Archiepiscopus Treuerensis, Princeps Elector, aliorum consensu, misit Duos ex familia sua presbyteros ad Lutherum, feria Secunda post Dominicam Iubilate, quæ erat 22. dies Aprilis, sub horam cœnæ, ut iuberent eum feria Quarta mane hora sexta comparere in certo loco, quem indicaturus ei esset. Quo annuente, delecti sunt ex Ordinibus Imperij, qui cum illo agerent: Duo Electores, Archiepiscopus Treuerensis, & Marchio Brandeburgensis: Duo item Episcopi, Augustensis & Brandeburgensis: & Dux Saxonix Georgius, ac Magister Ordinis Teuthonici: Post hos adiūcti sunt, Comes Georgius à Vuertheim, Dominus Bock Argentoracensis, & Doctor Peutinger Augustensis. Deniq̄ qui omnium nomine loqueretur, Doctor Hieronymus Veus, Cancellarius Badensis. Die 23. Aprilis, quæ sacra erat Diuo Georgio Martyri, Imperator admodum solenne celebravit festum, eò quod ipse quoq̄ sit, ut Reges & Principes alij pleriq̄, de societate S. Georgij. Missam cum ministris maxime solenniter celebrabat Abbas Fuldensis, uelut Capellanus Ordinarius  
 Abbas Ful-  
 densis.

Imperatoris, & Princeps Imperij, Dominus Hartmannus, Comes à Kirchberg: uir quidem disertissimus, sed eo tempore à subditis suis eiectus & exul: Quem postea Cæsar suis reconciliauit per annuam pensionem, ut priuatus uiueret Moguntix in suo Canonatu, permissa rerum administratione uni ex Comitibus de Henneberg. Eo igitur Die nihil in causis prophanis actum est, ob uenerationem S. Georgij. Die 24. Aprilis, quæ erat feria Quarta post Iubilate, Delectus Principum et Ordinum Imperij supra nominatorum, conuenit in Curiam & hospitium Domini Richardi Archiepiscopi Treuerensis. Aduenit & Lutherus hora præscripta, utpote sexta ante prandium. Facto igitur Principum & Ordinum confessu, Doctor Veus longa oratione Lutherum adhortari cœpit (ut est uir admodum & eloquens & eruditus) ne suo sensui in-  
 D nixus,

nixus, in proposito suo perseveret, neue Concilia ita criminetur & reſciat, ut coram Cæsarea Maieſtate fecerat. Concilia enim non contraria, ut ipse illis imputat, ſtatuiſſe, ſed diuerſa, pro diuerſitate perſonarum, temporum & locorum. Ex Concilijs autem plurima eueniſſe bona, opus eſſe legibus humanis, præcauenda eſſe ſchiſmatum ſcandala, ne diſſuatur inconſutilis tunica Chriſti. Principes in hoc à Cæsarea Maieſtate impetraſſe iſtud cum eo colloquium, non ſane ut cum ipſo diſputet: ſed ut benigne atq; clementer exhortentur, ne pertinaciter ſuo ſenſui inhæreat, propter plurima & grauiffima tum ſcandala tum pericula, quæ inde uentura ſint, ſi à pertinacia ſua nõ deſiſtat. Lutherus his auditis, primũ egit gratias Principibus, pro tam benigna & clementi exhortatione, qua ipſe non ſit dignus. Deinde reſpondit ad obiecta, de Cõciljs quidem, quod non omnia repræhenderit Concilia, ſed tantum Conſtantiense: ob hoc potiſſimum, quod uerbum Dei damnauerit, quod pateat in articulo hoc Ioannis Huſi ibi damnato, Eccleſia Chriſti eſt uniuerſitas prædeſtinatorum: hoc damnaiſſe Concilium Conſtantiense, & ſic hunc articulum fidei, Credo Eccleſiam ſanctam Catholicam. De ſcandalis uero dicebat, duplex eſſe ſcandalum, unũ Charitatis, alterum fidei. Charitatis quidem, quod in moribus & uita conſiſtat: Fidei uero ſeu doctrinæ, quod in uerbo Dei uitari non poſſit. Per ipſum enim præſtari non poſſit, ut Chriſtus non ſit petra ſcandali. Scire igitur ſe, obediendum eſſe magiſtratibus etiam male & inique uiuentibus. Scire item, cedendum proprio ſenſui, Tantum petere ſe, ne adigatur uerbum Dei negare, cætera omnia obedientiffime ſe præſtaturum. Hoc itaq; uerbi Dei prætextu, quæadmodum ab initio: ita & deinceps per omne tempus, impios & antea ſæpe damnatos Vualdenſium, Vuiclephistarũ, & Huſitarum errores, Germanorum plurimis obtruſit, uendidit, inculcauit, perſuaſit Lutherus. Et in hoc non ſatis deliberate Cæsarem & Principes egiſſe plaricq; putant, quod uocantes ad ſe Lutherum, nullos pariter uocauerint Theologos, qui falſos prætextus & fucos illius detegere potuiſſent. Certe pius et eruditus Pontifex, Ioannes Fiſcherus, Epifcopus Roſſenſis in Anglia, paulo poſt ſatis clare & copioſe prolixo uolumine oſtendit, nullum articuloꝝ eius, quos in Bulla ſua damnauerat Papa Leo X. haberi in ſcripturis aut eſſe uerbum Dei. Neq; uerum eſt, quod articulus iſte Ioannis Huſi (Eccleſia Chriſti eſt uniuerſitas prædeſtinatorum) ſit uerbum Dei, In eo præſertim ſenſu, quem hæretici prætendebant: nempe, quod prælati mali & peccatores damnandi, quamuis baptizati & Chriſtiani, non ſint de Eccleſia Chriſti, nec ſint membra Eccleſiæ militantis, Quæ ſane ſententia adeo non eſt uerbũ Dei, aut in ſcriptura

Lutheri reſponſum.

Excusatio Lutheri de ſcandalo.

Falſus Verbi Dei prætextus.

Epifcopus Roſſenſis.

facta, ut contrarium ex scripturis quàm latissime probari queat. Manifestissime uero ex Parabolis Christi, de Tritico & zizania in eodem agro. De sagena missa in mare, & ex omni genere piscium cōgregante. De Decem Virginibus, quarū Quinq; sunt prudentes, Quinq; fatuæ &c. Aderat tunc Vuormaciæ Ioannes Cochlæus, Ecclesiæ B. Virginis Francofordiæ ad Mœnū Decanus, qui Lutherum illac transeuntem subsequutus, uenerat eo priuatim & ultro, à nemine uocatus. Venerat uero non aliam ob causam, quàm, ut pro fide & honore Ecclesiæ, corpus & uitam suam in extremū, si opus foret, periculum obieciaret atq; exponeret. Magno enim urebatur zelo, & pro Sacramentis Ecclesiæ, quæ Lutherus in Babylone sua, uel reiecerat omnino, uel prophanauerat alteratione pessima: & pro religione patrum suorum, quam ab illo superbe contemni ac hostiliter impugnari dolebat. Et scripserat iam pro uenerabili Sacramento Eucharistiæ, contra Captiuitatem Babylonicam Lutheri, libros tres, quos secum ferebat. De quibus iam dudū certior factus erat Lutherus, per Vuilhelmum Nesenū Poëtam, ac Pædotribam Francofordiensem, qui postea periit Vuittenbergæ in Albi fluuio miserime. Cochlæus igitur Vuormaciæ profectus, uno tantū comitatus puero, suo ex sorore nepote, uenit primū ad Vuolfgangum Capitonem: uirū quidem eruditū et facundum, sed astutia plus quam uulpina uehementer callidum, qui tū à consilijs erat Cardinali et Archiepiscopo Mogūtino, ac Lutherismum, quem occulte in pectore fouebat, uersutissime dissimulabat: hic illum insinuauit Hieronymo Aleandro, Nuncio Leonis X, cui per literas iam tū cognitus erat. Vnde factum est, ut eo die, quo Principes quidam seorsum cum Luthero collocaturi erāt, Aleander mane hora Quarta uocauerit ad se Cochlæum: iubens, ut in Curia Archiepiscopi Treuerensis expectaret, donec uocaretur in Colloquium ad Lutherum: præcipiendo tamen præcipiebat, ne ullo pacto disputationem cum illo iniret, sed audiret solum, ut fideliter referre possit, quid cum illo ageretur. Quod ubi fecisset, incidit postea peracto prandio in priuatum colloquium cum Luthero in ipsius diuersorio, nunc disceptando, nunc familiaris & seorsum colloquendo: Quemadmodum retulit prolixè speciali de hac re libello ipse Cochlæus. Ex eo autem tempore semper infesti fuerunt Cochlæo Lutherani, non expectantes donec aliquid aduersus Lutherum æderet: sed mox uarijs tum cōuitijs & maledictis, tum strophis & calumnijs in eum undiq; insurgentes. Spargebant itaq; famam, subornatum fuisse Cochlæum à Papistis ad hoc, ut dolo induceret Lutherum ad renunciandum saluo conductui, atq; ita tra-

Ioannes  
Cochlæus  
quo animo  
Vuormaciæ  
uenit.

Calumniæ  
Lutherano-  
rum in Co-  
chlæum.

D ij deret



deret eum carnificinae. Addebant item carmina, seu uerius crimina & conuitia, quae & confestim in alias urbes emiserunt: adeo, ut citius peruenerint Nurenbergam ac Vuittenbergam, quam redierit Francofordiam Cochleus. Quorū initium est. Ouasana Cochlea, Lutheri noua fabula, Morionum memoria, Notanda uel ignauia. Describēda uersibus, Depingenda cornibus. Perungenda fecibus, Defricanda calcibus &c. Confinxerunt insuper Teuthonica Cantica, quibus illudebant ei. Cum uero die sequenti mane ex Capitone intellexisset Cochleus, famam illam de se spargi: Ionam praepositum Vuittenbergensem, sibi obuiam forte fortuna euntem, ea de re compellauit. Is enim colloquio interfuerat, & Capitone sic dixerat. At negauit omnia coram Cochleō Ionas: monuit autem eum, nequid in Lutherum aederet. Esse enim uiros XL. qui exacuturi sint in eum, si quid aedat, stylum. Ille autem respondit, non solum stylos iniuriosos, sed etiam mortem pro asserenda fide Ecclesie contemni debere. Principes Imperij, ne quid intentatum relinquerent, impetrauerunt Luthero a Caesare adhuc duos dies, ut cum eo ageretur amplius. Venerunt itaque altera die, quae erat S. Marci, ad eum Duo Doctores Iureconsulti, Peutinger & Veust: petentes ab eo, ut libros & scripta sua Cæs. Maiestati Principibusque & Ordinibus Imperij, iudicanda submitteret. Per hoc enim optime prospectum iri & scriptis eius, ut quae bona sunt permaneant: & publicae tranquillitati, quam iudicium illud pariturum sit. Lutherus autem omnia se facturum & passurum dicebat, si modo scripturae sanctae niterentur autoritate. Alioqui enim nihil minus commissurum. Nam Deum per prophetam dixisse. Nolite confidere in

Colloquium  
Duorum  
Iurisconsultorum  
cum  
Luth.

Psal. 145.  
Hier. 17.

Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus. Item, Maledictus qui confidit in homine. Illis uero uehementius urgentibus respondit. Nihil minus permittendum esse hominum iudicio, quam uerbum Dei. Abeuntes illi iusserunt melius deliberare, & a prandio redeuntes, petierunt, ut saltem Concilij futuri iudicio sua submitteret. Et hoc permisit, sed ita, ut ipso sciente aliquot extraherentur articuli, de quibus Concilium sententiam ferret, scripturae & uerbi diuini testimonio. Caeterum Lutherus in Actis suis, quae & Latine & Teuthonice aedita sunt, notat hic bonos & celebres uiros mendacij, quod dixerint Archiepiscopo Treuerensi, Lutherum pollicitum esse, se sua permissurum Concilio in articulis nonnullis, inter-

Colloquium  
Archiepiscopi  
Treuerensis  
cum  
Luth.

rimque taciturum de hisdem. Ipse uero id nunquam dixerit, ne cogitauerit quidem. Vocatus itaque ad ipsum Archiepiscopum, & remotis arbitris ab eo admonitus, tum de Caesaris & Imperij, tum de Concilij iudicio, dixit ei, parum tuto se tantam rem illis permissurum,

qui

qui sub fide publica euocatum, nouis mandatis aggressi damnaf-  
sent, sententiam & Bullam Papæ approbantes. Tum Archiepisco-  
pus petijt, ut ipsemet proponat media, quibus huic causæ occurri  
queat. Ille uero ait, meliora nō esse quā de quibus Gamaliel Act.  
5. dixit. Si ex hominibus est consilium hoc aut opus, dissoluetur: Sin  
uero ex Deo est, dissoluere non poteritis. Ait rursus Archiepisco-  
pus. Quid, si decerperentur articuli Concilio submittēdi? Respon-  
dit Lutherus, modo non sint ij, quos Concilium Constantiense  
damnauit. Ait Treuir, se uero timere, eos ipsos futuros, Atqui, in-  
quit Lutherus, de eiusmodi tacere neq; possum neq; uolo, ut certus  
eius Decretis damnatum fuisse Dei uerbum. His dictis ab illo di-  
missus est. Hęc Lutherus ipse in Actis suis de se scripsit, pertina-  
ciam suam ubiq; colorans prætextu uerbi Dei, suasq; laudes im-  
modice iactans. De Cochlæo enim scribēs ait, Doctor uero Mar-  
tinus, pro incredibili humanitate & probitate sua, hominem beni-  
gniter habuit. Sub finē uero libelli ait. Pater Christianissimus mo-  
destissime respondens sic cœpit. Item. Deus igitur hominem pien-  
tissimum, tuendo ac docendo Euangelio natum, diutissime seruet  
Ecclesiæ suæ, unā cum suo uerbo Amen. Cæsar itaq; ubi uidit  
hominem per admonitiones pias & clementes semper magis ac  
magis pertinacē fieri, misit ad eum, paulo post eodē die, Officialē  
Treuirem. Cancellariumq; Austrig et Secretariū suum, ut dicerent  
ei, Quia tam multipliciter frustra à Cæsare, Electoribus Principi-  
bus, & Ordinibus sacri Ro. Imperij cōmonefactus, ad cor & uni-  
tatem redire noluerit, reliquum esse, ut Cæsar, tanquā Aduocatus  
fidei Catholicæ, procedat. Esse igitur mandatum Cæsaris, ut intra  
XXI. dies hinc ad securitatem suam redeat, sub conductu publico  
& libero, ipsi seruando, neq; uel prædicando uel scribendo in iti-  
nere populū cōmoueat. Ad hęc Lutherus se dixisse ait, Sicut Do-  
mino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum. De-  
inde egit gratias Cæsari & Principibus, pro tam benigna & de-  
menti audientia, proquē conductu libero & seruato & seruando.  
Quanquam alibi contrarium scripserit. Postridie igitur, hoc est, fe-  
ria Sexta post Iubilate, Die Aprilis 16. abiit Lutherus cum comiti-  
bus suis è Vuormacia, cui & Sturmus Caduceator & Feialis Cæ-  
saris redditus est, ut tuto perduceret eum quo uelit. Quamuis ue-  
ro mandasset ei Cæsar, ne in itinere concionaretur aut scriberet:  
Lutherus tamen huius mandati aut immemor aut contemptor,  
scripsit retro ad Principes ex Fridburgo, & publice prædicauit in  
oppido Isennach. Scripsit uero literas bene prolixas ac blandas,  
ad conciliandum, sibi quidem fauorem, Cæsari autem & Clericis

Phisautia  
Luth.

Dimissio  
Luth. sub  
saluo con-  
ductu.

Infidiosa  
Epistola  
Lutheri, ad  
Principes  
Imperij.

D iij odium

Nequissima  
ma species  
captiuitatis  
Lutheri.

odium populare: mox enim per Chalcographos multiplicata & in populos dispersa est ea epistola, in qua repetebatur à Luthero, quicquid Vuormaciæ cum ipso actum fuerat, suæ pertinaciæ ubiq; prætexens uerbū Dei: Nihil aliud sibi reseruare promittens, quam illud solum: cōquerens, quod obtinere nō potuerit, ut uerbū Dei esset liberum & non ligatum. Remisit & Caduceatorem seu Fecialem Cæsaris ex Fridburgo, tertio itineris die, quo & epistolam illam scripserat: Adeo nō metuebat à uī ulla, sub tot nobilium protectione securus. Videbatur præterea ille occultioribus eius consilijs impedimento fore, nisi ablegaretur. Posteaquam enim peruenerat Isennacum, in oppidum Principis & protectoris sui, ibiq; publice, contra Cæsaris mandatum prædicasset in die Inventionis S. Crucis, quæ tertia Maij erat, paululum ab oppido egressus, occultissimo interceptus est cōsilio ab amicis sub specie hostili, & mox longe lateq; sparsa est fama, Lutherū esse captum, sibiq; uiolatam fidem publicam, & fractū saluum conductum. Tam secretum uero erat illud malignitatis consilium, ut etiam comites itineris ignorarent, & putarent illum uere captum & hostiliter abductum esse. Mittebantur itaq; cursores multi, qui & ore & literis nunciarent per urbes Germaniæ, quàm crudeliter captus, raptus & abductus sit Lutherus in saluo conductu, atq; ut maior fieret erga eum commiseratio, & in Cæsarem ac Principes indignatio: adaugebatur fama per nuncios, adeo duriter illum fuisse uinctum manibus, & inter festinantes cursu equites ipsum pedestrem raptim tractum fuisse, ut sanguis è digitis eruperit. Et hoc sanctum Euangelium etiā Vuormaciæ annunciabatur, ut maximum oriretur murmur contra Cæsarem, non modo in populo: uerum etiam inter Principes, donec re certius comperta, intelligeretur figmentum esse nequitiae. In urbibus itaque passim fremebant Lutherani, ob interceptum Lutherum, ac dentibus in Clerum stridebant, ut Lutheri mortem (nam & interfectum fama ferebat) ulciscerentur: suspicantes à Papistis subornatos fuisse insidiatores. Sed nusquam erat magis periculum à seditiosis, quam Vuormaciæ. Nam & ipse Elector Saxonæ inter amicos querebatur, indignum esse & contra Maiestatem Imperij, hominem sic intercipi sub fide publica, captumq; teneri. In uulgo autem turbulentissimæ iactabantur querele, cum ab alijs, tum uero amarissime ac uehementissime à Duobus Poëtis supradictis, Virico Hutteno, & Hermano Buschio: Quorum hic præsens in urbe, clamoribus & querimonijs omnia complebat: Ille uero absens nō longe à Vuormacia, in arce Francisci Nobilis uiri, conuictiosissimā misit eo epistolam, aduersus

uersus omnes Episcopos & Clericos. Vnde fiebat, ut nihil expectaretur certius, quam grauis & cruenta contra Cæsarem omnemq; Clerū seditio. Sed ætas bonitasq; Cæsaris, ac principum diligentia, procliuos in seditionem animos cohibuerunt. Quam primum uero in deputatum à Principe suo locum peruenit Lutherus (fuerunt fuisse oppidum Turingiæ, nomine Alstat: in quo & Muncerus prædicauit postea seditiosissime) cum in arce tutus ac securus delitesceret: animo autem, qui ad seditiōē populi cædemq; Cleri anhelabat, quiescere non posset: multos in eo secessu scripsit libros, ut animos Germanorum plene permoueret, ad defectionem à Sede Apostolica, et in odium Cleri uniuersi. Primum igitur scripsit Teuthonice ad Franciscum à Sicking librum, de Confessione secreta, An Papa illam præcipere queat. In cuius præfatione conferebat Papam, Episcopos et omnem Clerum populis Chanaanais, qui noluerunt se dedere ultro, sed expugnati sunt gladio Iosue Reges XXXI. Deinde minabatur eis, si non mutarent instituta sua, fore, ut alios eos doceat, non literis & uerbis, ut Lutherus: sed factis & armis. Agebat item gratias, primum Deo, quod terror Ro. Sedis minutus sit, & Capitulum illud in Decretis, Si quis suadente Diabolo, homines non amplius incantet. Deinde ipsi Francisco, quod multipliciter ac sæpe consolatus ipsum sit, & ad multa sese obtulerit. Deniq; cōmendabat illi Viricum Huttenū, & Martinum Bucerum, Quorum hic Apostata predicatorum: Ille Curialium hostis erat: & eam præfationē scripsit prima die Iunij. Paulo post alium scripsit librum, in Doctorem Iacobum Latomū, Theologum Louaniensem: in cuius præfatione sic ait. Sedet portentum Romæ in medio Ecclesiæ, & uenditat se pro Deo, adulantur Pontifices, obsequuntur Sophistæ, & nihil non pro eo faciunt hypocritæ: Interim Infernus dilatat animam suam, & aperit os suum absq; termino, & Iudit Satan in perditione animarum. Cuneq; scriberet eam præfationem ad Ionam Præpositum Vuittenbergensem, monuit, ut Decretales Antichristi pestilentissimas, quibus docendis mandatus esset, non alio studio profiteretur, quam ut doceat discenda esse quæ doceat, & sciant fugienda sicut mortifera quæcunq; Papa & Papistæ statuunt ac sentiunt. Et in fine libri ait. Ex his puto satis monstratum, Theologiam scholasticam esse aliud nihil, quam ignorantiam ueritatis, & scandalum iuxta scripturas positum. Meum uero consilium dixi, ut adolescēs uitet Philosophiam & Theologiam scholasticam, ut mortem animæ suæ. Thomas multa hæretica scripsit, & autor est regnantis Aristotelis, uastatoris piæ doctrinæ. Quid ad me, quod Bullarum Episcopus eum ca-

Vbi latita-  
uit Luther.

Liber Lut.  
de Confes-  
sione secre-  
ta.

Liber Lut.  
in Latomū

Cōtra Phi-  
losophiam  
& S. Tho-  
mam.

nonizauit: Ideo meo consilio qui uolet cautus sit, facio quod de-  
 beo, & iterum moneo cum Apostolo. Videte ne quis uos decipiat  
 per philosophiam & inanem fallaciã (hanc ego scholasticã Theo-  
 logiam interpretor fortiter & cum fiducia) secundum traditiones  
 hominum, secundum elementa huius mûdi (hæc sunt iura Bulla-  
 rum, & quicquid ultra scripturas statutum est in Ecclesia) & non  
 secundum Christum. Tandem ita subiungit. Et quare uestrum ali-  
 quis ad reliqua non respondet: uel tu uel Andræas Carolstadius.  
 Ecquid cessat Amsdorffius? An nõ omnibus uobis pariter Euan-  
 gelij gloria uindicanda est? Caput ego contriui serpentis, corpus  
 cur non queatis calcare? Sed præcipua eius nequitia atq; impietas  
 ibierat, quod Diuum Hieronymum calumniabatur, uelut Arrij  
 fautorẽ, quod noluerit recipere Homouision, tanquam ueneni ali-  
 quid lateat ibi in literis et syllabis. Cum is non de Homouision, sed de

**Liber Lut.**  
 de abrogã  
 da Missa  
 priuata.

Hypostasi ita scripserit. Rursus alium scripsit librum, de abro-  
 ganda Missa priuata, ad fratres suos Augustinenses, Cornobij  
 Vuittenbergensis. In cuius præfatione, ut fratres illos in audacia  
 sua confortaret: qui primi omnium Missas abrogauerãt, iubet eos  
 fortes contra conscientie accusationem persistere. Quandoquidem  
 & ipsemet qualibet potentibus ac euidentibus scripturis, consci-  
 entiam suam uixdum stabiliuerit, ut auderet unus contradicere  
 Papæ, & credere, eum esse Antichristum: Episcopos esse eius Apo-  
 stolos: Academias esse eius lupanaria. Ait sibi sæpe palpasse cor  
 tremulũ, & repræhendens obiecit, Tu solus sapiſ: Tot ne errant  
 uniuersi: Tanta sæcula ignorauerunt: Quid si tu erres, & tot tecum  
 in errorem trahas damnandos æternaliter? sed addit, Christum  
 tandem cõfirmasse ipsum uerbis suis certis & fidelibus. At non ex-  
 primit, quibusnam uerbis ab eo confirmatus sit. Ait uero, ea certi-  
 tudine & fiducia tentandum esse, quod fratres illi præstituerint, ut  
 non modo totius mundi iudicia, pro folijs leuibus & summis ari-  
 stis habeamus: sed & armati simus in morte, aduersus portas Infe-  
 ri: Quin etiam aduersus iudicium tentantis Dei pugnare, & cum  
 Iacob contra Deum præualere. Et tanquam eo libro conuulsurus  
 esset orbem terræ, ait in frontispicio. Leo rugiet, quis non time-  
 bit?

**Liber Lut.**  
 de uotis  
 Monastis  
 cis.

Quartum deinde librum in eodem loco scripsit Latine ad  
 parentem suum, Laicum & Idiotam, de uotis monasticis. In cuius  
 prologo narrat, se anno gratis suæ XXII. Monachatum suscepisse,  
 & in eo XVI. annis perdurasse. Factũ uero Monachũ, non pro-  
 pria uoluntate, neq; uentris gratia: sed terrore de cælo & agone  
 mortis subite circumuallatum, coactum ac necessarium uotum  
 uouisse. At patris sui testimonio probare nititur, illusionem  
 fuisse

fuisse & præstigium. Et in fine illius prologi hæc addit. Quid si me occidat Papa, aut damnet ultra Tartara? Occisum (inquit) non suscitabit, ut bis & iterum occidat: Damnatum uero ego uolo, ut nunquam absoluat: Scripsit eum prologum XXI. die Nouembris.

Atq; ita Menses sex delituit in solitudine nõ syluestri sane: sed bene munita. Quam tum arroganti exēplo nimisq; superba imitatione uocabat suam Pathmon, uelut alter Ioannes Euangelista, in insulam à Cæsare nequissimo figmento relegatus: cum re uera Cæsar omnino nesciret, ubinam ille delitesceret. Vocabat eam Eremū & locum peregrinationis suæ, ut etiam sceleratum captiuitatis figmentum, magnæ speciem sanctitatis præ se ferret. Eadem uanitate scripsit in eodem loco iudicium suum de Votis, ad Episcopos & Diaconos Ecclesiæ Vuittenbergensis, cum re uera nullus sit ibi Episcopus: Et licet perbreuis esset ille libellus, tamen in duas eum partes diuiserat. Quarū prior complectebatur propositiones 140. Posterior 139. Quas hoc annotationis interstitio diuisas uoluit. Hæc (inquit) sic disputari uolo, ut certa & uera teneantur: Quæ sequuntur, simpliciter propono disputanda & inquirenda. Cum uero Lutherus olim & Augustæ coram Cardinale Caietano, & Lipsiæ coram Consiliarijs Ducis Georgij, experisset iudicium Theologorum Parisiensium, quos à Papa offensos putabat, ac dixisset, eam Vniuersitatē esse studiorū parentē, & ab antiquo Christianissimā, & in Theologia florentissimā: magno hinc desiderio expectabant Lutherani illorum iudicium. Tanta sane cum fiducia, ut nonnulli eorum Vuormacię: cum maxime ageretur causa Lutheri, affirmarent, Parisienses ex Bulla Papæ articulos Lutheri 38. approbasse, duos tantum sub dubio reliquisse. At his ipsis diebus longe contrariam, eisq; odiosam & execrabilem, publice tulerunt sententiam Theologi illi, solenniter congregati & iuramento constricti.

Sollicitius (inquiunt) per nos examinata, ac maturius uniuersa doctrina Lutheriano ascripta nomini, et ad plenum discussa: execrandis illam erroribus scaterere certo depræhendimus & iudicauimus, fidem potissimū contingentibus & mores. Quodq; simplicis populi seductiua sit, omnibus Doctoribus iniuria, potestati Ecclesiæ & Ordini Hierarchico impie derogatiua: aperte schismatica, sacrę scripturæ aduersa, & eius deprauatiua, atq; in spiritum sanctum blasphemia: Et ideo ueluti Reipublicæ Christianę perniciosam censemus omnino exterminandam, ac palam ultricibus flammis committendam. Autorem uero ad publicam abiurationem modis omnibus iuridicis compellendum. Lata fuit hæc illorum sententia Die XV. Aprilis. Lutherus autem XVI. uenit Vuormaciam, ut

nondum

Pathmos  
Luth.

Iudiciū Lu  
theri de uo  
tis.

Vana spes  
Lutheri de  
Parisiensibus.

Iudiciū  
Theologo  
rū Parisien  
sium cōtra  
Luth.

nondum scire potuerint tunc Lutherani, quidnam iudicauerint Parisienses. Post aliquot uero Menses, cum in Germaniam quaedam huius sententiæ exemplaria impressa peruenissent, animos mutauerunt Lutherani omnes, & cœperunt criminari eos, quos antea laudauerant. Atq; ut maior uideretur apud eos illius iudicij contemptus, Philippus Melanchton, uelut præcipuus Lutheri propugnator, ædedit eandē illorū determinationē, cui adiecit pro Luthe-

Philippi  
Melan. cō-  
tra Parisi-  
enses Apo-  
logia.

ro Apologiam Latinā, cum hoc titulo. Aduersus furiosum Parisiensem Theologastrorum decretum &c. Quamuis uero scriberet, ibi pro Theologis Sophistas, pro Christianis doctoribus Calumniatores regnare, & Lutetiae natum esse prophanam illam scholasticen: Qua admissa, nihil reliquum esse: Euangelium obscuratum, fidem extinctam, receptam operum doctrinā. Atq; etiam imputaret illis, quod scholasticam Theologiam ab illis acceperint, quasi per manus reliqua Europæ Gymnasia, ut Idolis repletur terra, & id genus plurima eis quam acerbissime impropere: Attamen Lutero nimis leniter egisse uisus est. Ipse igitur & illorū libellum et Philippi sui Apologiam in Teuthonicum uertit, suumq; iudicium

Sententia  
Luth. con-  
tra eosdem

his interposuit. In quo hanc Teuthonice in Gallicos Theologos protulit sententiā, uindictæ ac talionis reddendæ gratia. Academia (inquit) Parisiensis in parte suprema, quæ facultas Theologiæ nuncupatur, est à uertice usq; ad plantā mera, & ut nix alba, lepra ueræ nouissimæ Antichristianæq; & Capitalis hæreseos: Mater omniū errorū in Christianitate, maxima meretrix spiritualis, quā Sol unquam uidit, & uera postica Inferni. Prophetatū est, tēporibus Antichristi omnes hæreseos, quæ unquam fuerunt, in unam Camerinam confluxuras, mundumq; perdituras. Id ego (inquit) ostendere intendo de Parisijs, Papæ ueri Antichristi maximo fornicationis cubiculo: Atq; probare, eos esse peiores Mōtanis, Ebionitis, & omnibus, quoscunq; commemorauerunt, hæreticis, Deo uolente. Ipsi sunt, quos iam pridē desiderauī. Hæc ille Teuthonice ad populum, quem contra Parisiensium sententiam animare, & in sua factione retinere satagebat, Licet nihil postea in illos ædiderit, nisi breues interdum cauillos, uelut mordax canis, qui fortiorē se aggredi nō audens, à longe mordaciter allatrat. Cæterum complices eius, suppresso nomine suo, ridiculum ædiderunt libellum, sub nomine facultatis Theologicæ Parisiensium. In quo confictis & affectatis barbarismis recitatur primū determinatio quædam in Apologiam Melanchtonis. Deinde ratio determinationis prioris. Demum apponuntur ineptissime quædam regulæ intelligendi scripturas. Ut eo scilicet figmento persuaderent Evangelici

Ridiculus  
libellus cō-  
tra Parisi-  
enses.

uiri

uiri, nihil in sacris literis nosse Theologos Parisienses. Aiunt itaq; post decimam & ultimam ibi regulam. Sola alma facultas elucidat omnia, primo scripturas, post hoc patres, ultimo scribentes, & non potest errare: Quia Iiripipiū & Almutium non sunt signa fallibilia. Male ergo faciunt, qui scripturas nudas sequuntur: peius, qui nudos patres: pessime, qui scribentes, quia procedunt de obscuritate in obscuritatem, donec istis omisis, Almam facultatem audierint, & Iiripipio firmiter adhæserint, ibi est lux mundi, & regula fidei & morum infallibilis &c.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXII.*



Vm igitur Lutherus complicesq; sui præ se contemnerent omne iudicium Ecclesiasticum, rebelles non modo suis Prioribus et Ordinarijs iudicibus, uerum etiam summis Ecclesiæ uerticibus, Papæ & Imperatori, tantoq; elati essent fastu despectionis, ut ne Vniuersali quidem Concilio dogmata sua, que pro Euangelio habent, submittere uelint, & rem proxime iam ad tumultum et seditionem popularem perduxissent: misertus condolensq; Germanicæ Nationi Christiana pietate Illustrissimus Anglorum Rex HENRICVS, huius nominis Octauus, raro nimis & cunctis sæculis admirando deuotionis exemplo, ex Regali fastigio in literariam descendit harenam, contra maledicum decertaturus mendicantium fratrum Apostatam. Scripsit itaq; Assertionem Septem Sacramentorum, aduersus Captiuitatem Babyloniam Lutheri, ad Leonem X. Papam: adeo sane diserte, erudite ac copiose, ut eo labore promeruerit, ipsius Papæ omniumq; Cardinalium iudicio, perpetuæ laudis Titulum, ut publica deinceps approbatione diceretur, fidei Catholicæ Defensor. Quanta uero sit illius Regis erga Sedem Apostolicam benignitas, quanta erga Ecclesiam deuotio, quanta in summa ingentij acrimonia raraq; eruditione modestia, quantus deniq; in aduersarium asserendæ fidei zelus: ex ipsiusmet uerbis, quibus ad Lectorem præfatus est, clarissime intelligitur. Ait enim. Motus quidem fidelitate ac pietate, quanquam mihi nec eloquētia sit, nec scientiæ copia: cogor tamen, ne ingratitude maculer, Matrem meā, Christi sponsam, utinam tanta facultate, quanta cum uoluntate, defendere. Quod licet alij præstare possint uberius ac copiosius, mei tamen officij esse duxi, ut ipse quoq; quantūuis tenuiter eruditus, quibus rationibus possem, Ecclesiam

Liber Regis Angliæ  
cōtra Lut.

Neglectum est  
hic illud Eccle-  
siastici n. Ante  
mortē ne lau-  
daueris homi-  
nem quenquā,



Ecclesiam tuerer, meq; aduersus uenenata iacula hostis eam oppugnantis obijcerem. Quod ut faciam, tempus ipsum & præsens rerum status efflagitat. Nam antea, cum nemo oppugnaret, nemini propugnare necesse erat. At quū iam hostis exortus sit, quo nullus potuit exoriri malignior, qui dæmonis instinctu charitatem prætexens, ira atq; odio stimulatus, & contra Ecclesiam & contra Catholicam fidem, uipereum uirus euomuit: Necesse est aduersus hostem communem Christianæ fidei, omnis Christi seruus, omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo cōsurgat: ut qui uiribus non ualent, officium saltem alacri testentur adfectu. Nunc itaq; conuenit, ut duplici armatura muniamur: cœlesti scilicet ac terrestri. Cœlesti, ut qui ficta charitate & alios perdit & perit ipse, uera charitate lucrifactus, alios lucrifaciat: & qui falsa doctrina depugnat, doctrinā uera uincatur. Terrestri uero, ut si tam obstinatæ malitiæ sit, ut consilia sancta spernat, & correptionem piam contemnat, merito coërceatur supplicio, ut qui benefacere non uult, desinat malefacere, & qui nocuit uerbo malitiæ, supplicij prosit exemplo. Hæc Rex ipse in Prologo. In processu uero libri, adeo densis tum rationibus tum scripturæ sacrę locis præmunit & affirmat ubiq; sensum & doctrinam Ecclesiæ, atq; aduersarij falsos prætextus fucatasq; argutias tam clare detegit, & acute confutat, ut intra paucos menses liber eius à multis Chalcographis in multa milia multiplicatus, totum orbem Christianum & gaudio & admiratione repleuerit. Nec satis erat Catholicis in Germania, eum librum Latine legisse, licet in ea lingua disertissime scriptus esset: uerum etiam in Germanicam transferebatur linguam, ut etiā Laici, Latine linguæ ignari, intelligerent, nihil solidi esse in doctrina noua Lutheri. Libet itaq; pauca Regis uerba hic recitare contra inflatā ac turgidam Lutheri argutiam quandam, contra Missæ sacrificium: quia promissio sit & non opus. Mirū est (inquit Rex) quanto nixu parturiens, quam nihil peperit, nisi merū uentum: Quem cum ipse tam ualidum uelit uideri, ut montes posset euertere, mihi profecto uideatur tam languidus, ut agitare non possit arundinem. Nam si uerborum tollas inuolucra, quibus rem absurdam (uelut simiam purpura) uestit, Si tollas exclamationes illas, quibus iam uelut re dilucide probata, toties in totam debachatur Ecclesiam, & nondum collata manu, tanquam ferox uictor insultat: nihil aliud restare uidebis, quam nudum & miserum sophisma. Redierat iam è Pæthmo sua nouus ille Euangelista Vuittenbergam, & quanquam publice per æditum librum collaudasset antea fratres suos, propter abrogatam Missam: attamen cum non fuisset factum iussu & auspicio

Lutherus  
domum re  
uersus re-  
præhendit  
suos.

spicio suo, domum reuersus, eam rem publice pro concione ad populum reprobauit, Dominica prima Quadragesimæ. Omnes (inquit) errauerunt, quicunq; cooperati sunt, & consenserunt ad abrogandam Missam, non quod bonum non fuerit: sed quod non ordinate factum est. At dicis (inquit) iustum id esse ex scriptura: Fateor & ego, sed ubi manet ordo, quia ex temeritate factum est, absq; omni ordine, cum scandalo proximi: Et nisi adeo mala res esset Missa, uellem eam restituere. Scio enim uestrum propositum, et defendere non scio. A Papistis quidem & alijs insanis capitibus bene scirem defendere, sed coram Diabolo sustinere non scio. Sic et alias quasdam temeritates suorum, tum barbaricas tum sceleratas & impias, quas absente ipso iuxta uerba & secundum doctrinam eius in factum deduxerant, repræhendit: Quales erant, abolitio sacrarum imaginum, abiectio religiosi habitus, attrectatio corporis Christi in Sacramento manibus prophanis &c. Quæ omnia & si libera esse uolebat, & stultis legibus Papæ ascribebat: attamen, quia attentata fuerant eo absente, reprobauit. Quamuis optaret, omnes imagines in toto mundo abolitas esse, propter earum abusum, & uellet omnes Monachos & Moniales deserere sua Monasteria, ut ea omnia in uniuerso mundo interirent. Et de uenerabili Sacramento diceret, Quanquam illud tangendo non peccauerint, neq; tamen in hoc fecerunt opus bonum: Quia Deus non possit ferre iocum, sicut sancti ferunt. Si quis tamen adeo petulans sit, ut Sacramentum omnino manibus contrectare uelit, is curet illud sibi domum deferri, ibiq; contrectet usq; ad satietatem, sed non coram multitudine. Huiusmodi itaq; sermonibus liuide perstrinxit & repressit audaciã aliorum, præsertim Andreæ Carolstadij: Qui & ipsi aliquid esse uolebant, ne unus Lutherus esset omnia in omnibus. Acrius autem inuectus est in Bullam Papæ Leonis X. In cœna Domini, Romæ publicatam, priusquam Vuormaciam uenisset Lutherus. Nam cum in ea iuxta consuetudinem antiquam excommunicati & anathematizati fuissent omnes hæretici, nominatim uero Gazari, Patareni, Pauperes de Lugduno, Arnoldiste, Speronistæ, Item Vuiclephistæ, Hulsitæ, & nouissime Martinus Luther, simul cum omnibus complicitibus fautoribusq; suis: Ea tamen Bulla tardius uenit ad manus Lutheri. Inde factum est, ut post reditum suum parauerit in eam Teuthonicum quendam libellum, scœdissima scurrilitate refertum, quem Xenij loco pro nouo anno retribuit Sedi Apostolicæ. Sic ergo exorsus est. Martinus Lutherus sanctissimæ Sedi Romæ & toti eius Parlamento, Meam gratiã & salutem in primis. Sanctissima Sedes crepa & non fran-

Liber Lut.  
contra Bul  
lam cœnæ  
Domini.

Scurrilisa  
uerba Lut.

E gere,

gere, ob hanc nouā salutationē, in qua nomen meum primo & in supremo loco pono, osculandorumq; pedum obliuiscor &c. Deinde post recitatam Bullam, in eam responsurus ait. Ego autem dico ad Papę & Bullę huius minas istud, Qui prę minis moritur, ad eius sepulturam compulsari debet crepitibus uentris. Vbi uero uenisset ad sextum Articulum, in quo excommunicatur omnes, qui Turcis aut Sarracenis ferrum & arma bellica apportant aut uendunt, id repręhendens ait. Ad quid cōducit, corporaliter prohibere Turcam? Quid mali facit Turca? Occupat prouincias & gubernat tēporaliter: At hoc ipsum à Papa quoq; nos pati oportet, qui & corpus & uitā nobis excoriat, quod Turca nō facit. Ad hæc, permittit Turca unumquenq; in fide sua permanere, quod Papa non facit: sed cogit uniuersum mundum à fide Christi ad sua Diabolica mendacia, ut regimen Papę, in corpore, bonis & anima, decies nimirum peius sit quam Turcę: et si Turcam expugnare uelimus, à Papa incipiendum nobis esset. At longe atrocissime contra omnem pudorem humanum inuectus est in Regem Anglię, posteaquam sensit illius libro multum existimationis detrahi Euangelio Lutherico, etiam apud Germanos, translato eo per Hieronymum Emserum in linguā Germanicam. Nulla sane conuitia, que mens peisima & os maledicentissimū excogitare poterant, illi uisa sunt nimis uel iniuriosa uel scurrilia: Quicquid in buccā uenit, sine omni uerecūdia euomit: uis gentium, quo Regis dignitati defertur, ac fas omnē furiose cōtemnens. Et inter conuitia etiam prodigiosam sæpe interponebat arrogantiam & contemptum, dum falso iactaret se de uerbo Dei. Ego uero (inquit) uerbo Dei. aduersus dicta patrum, hominum, angelorum, demonum, pono, non antiquum usum, non multitudinem hominum: sed unius maiestatis æternę uerbum, Euangelion, quod ipsimet coguntur probare. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis Inferi, nedum dictis hominum quantumlibet sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei uerbum est super omnia: Diuina Maiestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesię Henricianę, contra me starent. Deus errare & fallere non potest: Augustinus et Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, et errauerunt. Item, Si solius Christi sumus, quis est iste stolidus Rex, qui suis mendacijs nos Papę facere molitur? Nos non sumus Papę, sed Papa noster est. Nostrum est, non iudicari ab ipso, sed ipsum iudicare. Spiritualis enim à nemine iudicatur, & ipse iudicat omnes: quia uerum est, Omnia uestra, etiam Papa,

Papa, quanto magis sordes istæ & labes hominum, Thomistæ & Henrici. Item, Missam itaq; extorsimus, & triumphamus aduersus assertorem Sacramentorum. Triumphata uero Missa, puto nos totum Papatum triumphare. Nam super Missam, ceu rupem, nititur totus Papatus, cum suis Monasterijs, Episcopatibus, Collegijs, altaribus, ministerijs & doctrinis: atq; adeo cum toto uentre suo. Quæ omnia ruere necesse est, ruente Missa eorum sacrilega & abominanda. An uero impudens & monstrosa impropertio & iactantia eius non est ista? Vbi ait. Si Idolum Romanæ abominationis propter Christum conculcaui, quod se in locum Dei statuerat, magistrumq; Regum & totius mundi fecerat, Quis est iste Henricus, nouus Thomista, discipulus duntaxat tam ignaui monstri, ut uirulentas blasphemias eius honorem? Sit ipse defensor Ecclesiæ, sed eius Ecclesiæ, quam tanto libro iactat & tuetur: nempe purpuratæ meretricis & ebriciæ & fornicationū matris. Ego & Ecclesiam eius & defensorem ipsum pro eodem ducens, utrosq; eodem impetu inuadam, & Christo duce conficiam. Certus enim sum, dogmata mea habere me de cælo, quæ etiam aduersus eum triumphauit, qui in ungue nouissimo plus habet uirtutis & astutiæ, quam omnes Papæ & Reges & Doctores, ut nihil agant, qui Bullas nominum & titulorum cōtra me iactant, & libellos sub Regijs inscriptionibus uendicant. Dogmata mea stabunt, & Papa cadet, inuitis omnibus portis Inferi, & potestatibus aëris, & terræ, & maris. Ipsi me prouocauerunt ad bellum, bellum igitur habebunt: pacem oblatam contempserunt, pacē igitur non habebūt. Deus uiderit, uter primofessus defecerit, Papa an Lutherus. Instat enim mors Papatus abominabilis: urget eum ineluctabile suum fatum, & (ut Daniel ait) ad finem sui uenit, & nemo auxiliabitur ei. His omnibus & id genus alijs quam plurimis uæsanæ iactantiæ spumis minisq; non contentus, addidit etiam calumnias ac Sycophantias, easq; atrocissimas, non solum in Papam & Regem Angliæ: uerum etiam in Imperatorem & in Principes Germaniæ: & Germanice quidem multo ferocius quam Latine, ut scilicet plebem in Principes alacrius concitaret. Ait ergo. Apparui ego iam tertio coram eis. Deniq; Vuormaciam ingressus sum, etiam cum scirem mihi uiolatam esse à Cæsare fidem publicam. Nam didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequium Idoli Romani, nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam Nationis ignominiam. Item. Hæc sunt arma, quibus hæretici uincuntur hodie, ignis & furor insulsissimorum asinorum & Thomisticorum porcorum. Sed pergant porci illi, & si audent exurant me. Hic sum &

Iactantia  
Lut. de sua  
doctrina.

Defecit anno  
1546. subita  
nea morte cra  
pulosus Luth.  
Papatus stat  
usq; ad finem  
seculi supra fir  
mam petram  
Cui portæ in  
feri præualere  
non poterunt.

Calumniæ  
Luth. in  
Cæsarem,  
& Principes Ger  
manicæ.

In Thomi  
stas.

E ñ expectabo

expectabo eos: cineribus solis post mortem, etiam in mille maria  
 proiectis, persequar et fatigabo hoc abominabile uulgus. Summa,  
 Viuens Papatu hostis ero, exustus bis hostis ero. Facite porci-  
 Thomista, quod potestis, Lutheru habebitis ursam in uia, & lee-  
 nam in semita: Vndiq; uobis occurret & pacem habere non sinet,  
 donec ferreas uestras ceruices, & areas frontes contriuerit, uel in  
 salutem uel in perditionem. Item Teuthonice. Quanto plura scri-  
 bebant, inquit, tanto insanius, stultius, impudentiusq; mentiebantur,  
 donec compertum est tandem per dilucidas scripturas, Dei  
 gratia, Papatu, Episcopatus, Collegia, Monasteria, Academias,  
 simul cum omni sacerdotio, Monachatu, Monialatu, Misis, culti-  
 busq; Dei, meras esse sectas damnatas Diaboli. Populus enim iste  
 ad hoc intendit, ut coram Deo agat operibus, & non nuda fide:  
 per quod sane et Christus negatur & fides extinguitur. Item. Recte  
 coniungitur simul, Papa et Henricus de Anglia. Ille Papatum suum  
 tam bona habet conscientia, quam hic suum possidet regnum, ideo  
 alter alterum scalpit, sicut mulae solent. Sed adhuc multo atrocius  
 magisque seditiose scripsit eodem anno, in uniuersum statu Ecclesi-  
 asticum, sub hoc titulo. Aduersus falso nominatu Ecclesiasticorum  
 statum Papae & Episcoporum. Se uero, ut cornua contra eos eri-  
 geret superbius, nominabat Ecclesiasten Dei gratia: Addens, si &  
 Euangelista Dei gratia se nominaret, facilius hoc probare possit,  
 quam ullus Episcoporum possit probare titulum suum. Se uero cer-  
 tum esse, quod Christus ipse sic ipsum nominet, & pro tali habeat:  
 Qui & doctrinae ipsius magister sit, testisq; futurus in die nouissi-  
 mo, quod scilicet ea doctrina non sit Lutheri, sed Christi purum  
 Euangelium. Ait igitur in prologo libri. His certiores uos facio,  
 inquit, me de caetero uobis non amplius cum honore exhibiturum  
 esse, ut me submitterem uel uobis uel etiam ulli Angelo de caelo, ad  
 iudicandum aut examinandum doctrinam meam. Nam stultae hu-  
 militati satis factu est iam tertio Vuormaciae, & tamen nihil pro-  
 dest. Sed uolo audiri, & iuxta doctrinam S. Petri, doctrinae meae  
 rationem & fundamentum ostendere coram uniuerso mundo,  
 eamq; habere iniudicata a quolibet, etiam a cunctis Angelis. Cum  
 enim de ea certus sim, uolo per eam & uester et Angelorum quoq;  
 (ut Paulus ait) iudex esse, ut quisquis doctrinam meam non acce-  
 ptauerit, saluari non possit. Dei enim est, non mea: Idcirco & iudi-  
 cium meum, non meum, sed Dei est. Et infra. At si dixerint, timendum  
 esse, ne fiat seditio contra Ecclesiasticos, Respondeo, inquit, Num  
 ob id uerbum Dei negligi, omniscq; mundus perire debet: Est ne  
 aequum, ut omnes anime intereant gernaliter, & harum laruarum  
 temporalis

In totum  
 Clerum.

Liber Lut.  
 contra sta-  
 tus Eccle-  
 siasticos

Iudicium  
 Lut de sua  
 doctrina.  
 1. Cor. 6.

temporalis pompa permaneat quieta: Melius foret, ut omnes Episcopi occiderentur, omnia Collegia & Monasteria funditus eradicarentur, quam ut una periret anima, ne dicam, ut omnes animæ perderentur, propter inutiles laruas & puppas. Ad quid profunt, nisi ut uoluptatibus indulgeant ex aliorum sudore & labore, uerbumq; Dei impediunt? Si autem nolunt audire uerbum Dei, sed insaniunt ac furunt excommunicationibus, incendijs, cædibus, & omni malo: quid iustius continget eis, quam fortis quædam seditio, quæ illos e mundo exterminet: Et ob hoc ridendum solummodo esset, si fieret: sicut ait sapientia diuina, Prouer. 1. Hæc in prologo. Quantis uero cõuitijs, opprobrijs, sannis, improperijs, fœdis agnominibus, amarulentijs, calumnijs, blasphemijs & execrationibus debachatus sit in omnes Ordines Ecclesiasticos: Maxime in Episcopos, per totum librum illum Teuthonicum: nemo rectius referre aut iudicare poterit, quam liber ipse. Hic satis fuerit, eius recitare Bullam, quæ in medio fere libri ponitur, In hæc sane uerba.

Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio. Quicumq; opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, ut Episcopatus dea-  
stentur, & Episcoporum regimen extingatur, hi sunt dilecti filij  
Dei, & ueri Christiani: obseruantes præcepta Dei, & repugnantes  
ordinationibus Diaboli. Aut si hoc non possint, regimen tamen  
illud saltem condemnant ac uitant. Contra uero, quicumq; manu  
tenent Episcoporum regimen, eisq; obediunt uoluntaria obedi-  
entia: hi sunt Diaboli ministri proprii, & repugnant Dei ordinatio-  
ni ac legi. Pro hac uero Bulla, populis Germaniæ persuadenda, plu-  
rimos adduxit scripturæ locos, quos in Episcopos ui traxit & re-  
torisit. Quos eo facilius admiserunt, & recte adductos putauerunt  
Laici, quo infensiores sunt ab usibus & auaritiæ technis, quæ uul-  
go tendebantur, uti quiritabatur Lutherani, in Aulis & Consisto-  
rijs Episcoporum, per Officialium Procuratorumq; rapacitates,  
quas bellè ibi cõmemorat Lutherus. Longe itaq; audacissimum  
turbulentissimumq; facinus aggressus est rixator iste, qui non so-  
lum per libellos conuitiosos, sed & per ipsum Euangelium pacis,  
maxime turbauit Germaniam: Quemadmodum fecit olim Iudas  
proditor, cui dixit Dominus. Iudas, osculo (quod pacis & amicitiae  
symbolum erat) filium hominis tradis? Sic profecto & Lutherus  
Euangelio pacis præcipitauit in bella & seditiones Germaniam.  
In qua non solum ciuitas una contra aliam, & gens aduersus gen-  
tem, prouincia aduersus prouinciã pertinaci odio insurgit: Verum  
etiam plebs contra Senatum in eadem ciuitate, populus aduersus  
Principem suum, & Princeps aduersus Imperatorem suum, bella

Bulla & re-  
formatio  
Lut. cõtra  
Episcopos

Ex Euan-  
gelio pacis  
fecit Luth.  
buccinam  
bellorum  
ac seditio-  
num.

seditionesq; meditatur, Et quanto quisq; plus iactitat Euangelium, magisq; præ cæteris Euangelicus uideri desiderat, tanto ardentius aspirat ad tumultus, Cur ita? Quia persuasit Lutherus, tanto uerius Euangelium esse, quanto plus tumultuum parit. Nam longe antea Vuormaciæ in conspectu Cæsaris, coram omnibus Imperij Principibus & Ordinibus, dicere palam ausus fuerat, Sibi plane omnium iucundissimam faciem istam in rebus esse, uidere, ob uerbum Dei studia & dissensiones fieri. Eum quippe esse uerbi Dei cursum, casum & euentum: Sicut dicit. Non ueni pacem mittere, sed gladium.

Regis Ang-  
glia admo-  
nitio, cõtra  
nouã trans-  
lationẽ Lu-  
theri.

Cæterum Rex Anglorum, cuius superius habita est mentio, caute prospiciens, quo ea machinatio tenderet: admonuit Illustrissimos Principes, Saxonie Duces, Fridericum, Ioannẽ, & Georgium, fideliter quidem & amice: sed fero & nimis tarde, per locorum distantiam, Priusquam enim literę eius redderentur, iam per uniuersam Germaniam, longe lateq; inuulgata erat noua Lutheri translatio Teuthonica. Libet tamen hic illius Regis piam recitare admonitionem. Literas has (inquit) ob signaturo mihi uenit in memoriam, Lutherum in suis aduersum me nentis excusare se, quo minus ad reliqua respondeat, impediri transferẽdo Biblia: Visum est igitur hortari uos, ut omnium rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere. Nam ut bonum esse non negem, in qua uis lingua legi scripturam sacram: Ita certe periculosum est, ex eius uersione, cuius mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse, ut bene scripta male uertendo peruertat: Ut populus ea se legere putet in scriptura sacra, quæ uir execrabilis ab execrandis hausit hæreticis. Hæc Rex ille quam prudentissime. Quis enim satis enarrare queat, quãtus dissidiorum turbationũq; & ruinarum fomes et occasio fuerit ea noui Testamẽti translatio: In qua uir iurgiorum, data opera, cõtra ueterẽ & probatã Ecclesie lectiõnẽ, multa immutauit, multa decerpit, multa addidit, et in aliũ sensum detorsit: multas adiecit in marginib. passim glossas erroneas atq; cauillosas, et in præfationib. nihil malignitatis omisit, ut in partes suas traheret lectorẽ. Inuenti sunt igitur ex Germanis, qui ex ea trãslatione admissos ab eo passim errores, & mutationes collegerunt, alij supra Mille, alij pauciores. Inter quos sane Hieronymus Emser præcipuam laudem promeruit, qui non solũ notauit, ac populo ædidit Lutheri errata in translatione: Verum etiam propriam translationẽ, quæ probato & recepto Ecclesie textui latino per omnia consonaret, uelut Antidotum contra Lutheri uenena euulgauit, non sine grandi Catholici populi consolatione. Ex eo enim labore didicerunt Catholici, ubi errasset Lutherus, & gloriantes de suo Euangelio Lutheranos

Qualis  
translatio  
noui Test.  
per Luth.

theranos, poterant cum fiducia confutare. Antequam uero prodiret labor Emseri, mirū in modum multiplicabatur per Chalco-graphos nouum Testamentum Lutheri, ut etiam sutores, & mulieres, & quilibet Idiotæ, qui Teuthonicas literas utcunq; didicerāt, nouum illud Testamentum, tanquam fontem omnis ueritatis, audissime legerent, quicunq; Lutherani erant: illudq; sæpe legendo memoriæ commendarent, in sinu secum portantes codicem. Ex quo tantam intra paucos menses sibi doctrinā arrogabant, ut non solum cum Laicis partis Catholicę, uerum etiam cum sacerdotibus & Monachis, atq; adeo etiam cum Magistris & sacre Theologie Doctoribus, disputare de fide & Euangelio nō erubescerent. Quin immo repertæ sunt mulierculæ, quæ propositis Thematis æditisq; libellis Teuthonicorum, ausæ fuerint ultro prouocare: & quidem procacissime insultantes, ignorantiamq; impropertantes & contemptui habentes uiros, nō modo Laicos, atq; priuatos homines: Verum etiam quoslibet Doctores, & Licentiatos totius facultatis Theologicę, ac totas etiam Vniuersitates: Id quod de Argula, Nobili quadam muliere, compertum habetur. Eoq; audaciæ, abiecto muliebri pudore, processerunt mulieres Lutherisq;, ut etiam ius officiumq; publice in Ecclesia docendi, tametsi Paulus aperte contradiceret ac prohiberet, sibi usurparent. Nec deerant eis defensores uiri Lutherisci, qui dicerent, Paulum eatenus prohibuisse docendi munus mulieribus, quatenus adsint uiri, qui docere sciant & ualeant. Vbi uero cessent aut negligant, nesciant tunc uiri, ibi optime licere mulieribus ut doceant. Et Lutherus ipse longe antea docuerat, mulieres quoq; Christianorum uere sacerdotes esse, atq; adeo quicquid è Baptismo repserit, uere Papam, Episcopum, & sacerdotem esse. Iuxta illud Petri dictum, Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta &c. Cum igitur mobile uulgus ubiq; magis intentū sit & audum, ad res nouas late diuulgandas, quàm ad res consuetas in suo statu cōseruandas: factum est, ut turba Lutheranorum longe plus operæ impenderit discendis sacris literis ita translatis, quàm impendit populus Catholicorū, ubi Laici eam curam potissime in sacerdotes & Monachos reijciēbāt. Vnde contigit nonnunquam, à Laicis Lutheranis plures scripturæ locos ex tempore citari in colloquijs, quàm citarentur à presbyteris & Monachis Catholicis. At iam dudum persuaferat Lutherus turbis suis, nullis dictis habendam esse fidem, nisi quæ ex sacris literis proferrentur. Idcirco reputabātur Catholici ab illis ignari scripturarum, etiam si eruditissimi essent Theologi. Quinetiam palam aliquādo coram multitudine contradicebant eis Laici aliqui, tanquam mera

Arrogantia Laicorū & mulierū ex nouo Test. Lut.

Luth. ad nobilitatem Ger. et in sermo. de nouo Test. 1. Pet. 2

Studia Laicorum circa nouum Test. Lut.



Cōtempti  
& uexati  
Theologi  
à Lutherani-  
nis.

pro concione dixerint mendacia aut figmenta hominum. Accedebant & alia incommoda. Nam cum antiqui Theologi, multis retro annis peritiam linguarum & politiores literas neglexissent, Lutherus mox ab initio per Philippum Melanchtonem, & per Zuinglium, Oecolampadiumq; & Bucerum (antequam ab eo in nonnullis articulis dissentire cœpissent) totam uere iuuentutem, eloquentiæ literis linguarumq; studio deditam, ac ingenio ex acutis et expolitis ERASMI Roterodami opusculis pulcherrime excultam, in partē suam traxit. Iuuenes uero & ingenio alacres et laborum patientes, mox in sacris literis (quibus Lutherus unicum tribuebat sensum, & eum solummodo literalem) ita profecerunt literaliter, ut uel XXX. annorum Theologi tam prompti in citandis scripturæ locis non uiderentur, quàm erant illi: Qui & de peritia linguarum & de styli elegantia superbientes, mox quoslibet ueteris farinae Theologos, non solum contemnere, uerum etiam prouocare cœperunt, maxime, quando ad populum uerba faciebant.

Vexatio  
Cōcionato-  
rum Catho-  
licorum.

2. Tim. 3

Quod si quis nouitatibus eorum contradiceret, mox prætendebant lectionem Græcam uel Hebraicam, aut aliquem ex uetustissimis autoribus, & confestim plenis conuitorum plaustris inuehebantur in Græcarum & Hebraicarum literarum ignaros Theologos, quos odiose sophistas, asinos, porcos: animalia uentris, & inutilia pondera terræ uocitabant: superaddentes etiam ronchos & cachinnos immodestissime: Ac unum Lutherū, uelut uerū Theologum populo commendantes, eius aduersarios uelut ignaros, immo hostes ueritatis, & ob alimoniā sibi præcisam aut imminutam Luthero inuidentes, inuidiosissime traducebant. Ceterum si quos Deus misericorditer præseruaret sibi, ne Saxonico huic Baal genua sua flecterent, sed pio zelo ei resisterent, & contra eum publice uel scriberent uel prædicarent: n̄ mox illud Pauli nimium uerum esse experiebantur. Omnes qui pie uiuere uolunt in Christo Iesu, persecutionem patientur. Cum enim Lutherani dicerent populo placentiā, contra ignauiam auaritiāq; & luxuriā: Item, contra scortationes & concubinatus Clericorum quiritantes, falsamq; iactarent libertatem Christianam, qua liberi essemus ab omnibus præceptis Ecclesiæ, Papæ, Episcoporum, & Conciliorū: Ac scripturarum furo probarent, nihil esse ieiunia, orationes, uigilias, & alia penitentiae opera: Christum satis fecisse pro peccatis nostris: sufficere solam fidem: opera nostra bona non esse meritoria, sed peccata, etiam si optime fiant: & id genus multa, eaq; omnia prompte, alacriter & eloquenter, Catholici uero, iuxta debitum officij sui, reprehenderent populum de peccatis: reprobarent noua Lutheri dogmata:

mata iuberent obedire præceptis & ritibus Ecclesiæ: docerent ieiunandum, orandum, alijsq; bonis operibus insistendum esse, ut dignos faciamus pro peccatis nostris fructus pœnitentię. Inde profecto factum est, ut populo maxime essent plausibiles quidem Lutherani, odibiles uero Catholici Concionatores: adco, ut in plarisq; ciuitatibus leues iuuenes, nouitijq; & adueng homines Lutherani, etiam quorum uita libidinibus, Apostasia, et alijs sceleribus contaminata erat, non solum facile admitterentur ad prædicandum populo: uerum etiam præferrentur grauib; & maturis uiris, Pastoribus & Prioribus: qui honeste semper conuersati, fidelissime populum uerbo & exemplo docuerant. Et non raro euenit, ut ueri & legitimi Pastores (quamlibet chari ac uenerabiles antea fuerant) aut uipellerentur tumultuante plebe, aut subannationibus iniurijsq; quotidianis fatigati fractiq; ultro cederent, aut subtractis censibus Decimisq; & oblationibus, ad extremam redacti inopiam, aliunde sibi uictum quærere cogerentur: triumphantibus interim atq; etiam ditescens nouis prædicatoribus, qui sequacem populum uerbo noui Euangelij sui ducebant quo uellent: maxime uero in odium Cleri & in licentiosam omnis malitię libertatem: ita ut protinus formidabiles forent, non solum Clero, irruptionem frendentis populi anxie timentis & in horas expectanti: uerum etiam Senatui & honestissimis quibusq; ciuib; & Magistratibus: In quorum bona domosq; plebs obarata fraternam (quia essent eorum fratres in Christo, immò in cista) diuisionem meditabatur. Erat enim tempus (de quo prædixerat Apostolus) cum sanam doctrinam non sustinerent, sed ad sua desideria coaceruarent sibi magistros, prurientes auribus. *Misa* itaq; erat tum Lutheranis & strenuitas & industria, ad propugnandam sectam suam. Multi omissa re domestica, scribebant hinc inde amicis, ut eam rem magnopere curarent. Multi in speciem ueri Euangelij, parentes & amicos relinquebant, ut nouum proclamarent Euangelium suum: per quod sane constaret, nos esse hæcenus miserè deceptos à Papiſtis, & reuera omnes equales & fratres in Christo. Et quod perniciosissimum erat toti Germaniæ, Lutherus iactitabat & multi cum eo, Germanis in eam usq; diem nunquam germane ac synceriter predicatum fuisse Euangelium: Se autem uerum proferre Euangelium, quod multis sæculis sub scamno latitasset. Siquis fideiũ contra mutiret, mox tota plebeiũ concio in eum exasperabatur, tantum uentris gratia Euangelio resisteret. Lutherani uero se passim gratis insinuabant ultronea peregrinatione urbibus: non ob aliud sane, nisi ut Euangelium suum illis inculcarẽt. Et res ea, cum magnam haberet

Expulsio  
Pastorum

2. Tim. 4.

Sirenuua  
propugna  
tio Luth  
erani Euan  
gelij

haberet speciem pietatis præ consuetis Ecclesiæ ministris, qui præ-  
 fixa & certa habebant stipendia: multos profecto à uera Ecclesiæ  
 fide auertit, qui magis perpendebant illud Christi. Gratis accipi-  
 stis, gratis date, quàm istud eiusdem. Dignus est operarius merce-  
 de sua. Et illud Pauli. Quis militat stipendijs suis unquam? Item, Si  
 nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si carnalia uestra  
 metamus? Quanquam uero Lutherani Concionatores, posteaq;  
 radices egissent, non minus essent in rem propriam intenti & au-  
 di, quàm Catholici: attamen in prima plantatione, mira eis erat &  
 industria & liberalitas. Primum nunquam, ne obiceretur eis illud  
 Apostoli ad Romanos. Quomodo uero prædicabunt, nisi mittan-  
 tur? Et illud eiusdem ad Hebræos. Nec quisquam sumit sibi hono-  
 rem, sed qui uocatur à Deo, tanquam Aaron: curabant occultis li-  
 teris & nuncijs, ut ab ipsa plebe uel ab aliquo Optimatum, quem  
 scirent suæ factioni fauere, uocarentur in urbem aliquam bene mu-  
 nitam & populosam: aut si non uocarentur, uel ultraneum sibi fin-  
 gebant exilium, uel necessariam sibi à Tyrannica Euangelij perse-  
 cutione fugam (etiam si proprijs illaqueati facinoribus profugis-  
 sent) obredebant, ut eo facilius admitterentur. Vbi uero aliquos  
 nacti fuissent amicos in ea ciuitate, cui Euangelium suum annunciare  
 intendebant: procurabant per illos, ut saltem semel aut iterum per-  
 mitterentur, populo Christi gratis annunciare uerbum Dei. Quod  
 si compotes uoti fierent, mox incendebant plebem in odium Cleri:  
 sin minus, clanculum agebant in angulis, donec quosdam in par-  
 tem suam tractos, permouerent ad sollicitandos alios, qui à Ma-  
 gistratibus & Senatu obtinerent, siue precibus, siue minis, ut liceret  
 eis uerbum Dei libere prædicare. Odiosum sane uidebatur opti-  
 matibus, negare aut prohibere uerbum Dei, ne gratis annunciare-  
 tur populo. Itaq; licet periculosum uideretur, Lutheranos admitte-  
 re: tamen periculosius uidebatur, reiicere uerbum Dei, & fraudare  
 populum pastu Euangelico. Vnde factum est, ut in populosissimas  
 quasq; Germaniæ urbes Imperiales, Lutheri Euangelium sub eo  
 prætextu irrepserit: exceptis perpaucis, maxime Colonia Agrippi-  
 na, quam tot milia sanctorum Martyrū, qui ibidem uel passi sunt,  
 uel religiose coluntur: ab ista lue præseruare hætenus meruerunt.  
 Multum præterea promouit nouum istud Euangelium Chalcogra-  
 phorum ac Bibliopolarum mens, industria, impensa & opera. Nam  
 quicquid pro Luthero erat, quàm diligentissime ac emendatissime  
 imprimebatur: Quicquid uero pro Catholicis, ignauissime ac ui-  
 tiosissime. Et quæ Lutheri aut pro Luthero erant, Chalcographi  
 suis sumptibus imprimebant, & in maximo quidem numero, ut  
 latissime

Astutia  
 subrepen-  
 di in alie-  
 nas Cathe-  
 dras.

Rom. 10  
 Heb. 5

Studium  
 & malitia  
 Typogra-  
 phorum et  
 Bibliopo-  
 larum.

latissime dispergerentur. Nam Apostatarum, qui relictis Monasterijs ad sæculum redierāt, infinitus iam erat numerus, qui uictima ex Lutheranis libris quæritantes, in speciem Bibliopolarum longè lateq; per Germaniæ prouincias uagabantur. Quæ uero Catholicorum erant, uelut indocta & ueteris barbariei triuialia scripta, contemnebāt Chalcographi: nihil eorum imprimentes ulro, sed nonnulli ob inopiam rei familiaris compulsi, aut maxima lucri spe proposita inducti, alienisq; sumptibus & impensis adiuti, quædam ex ijs imprimenda suscipiebant: Ea tamen ita neglectim, festinanter ac uitiose imprimebant, ut maiorem gratiam eo obsequio referrent Lutheranis, quàm Catholicis. Si qui eorum iustiorum Catholicis operam impenderent, hi à cæteris in publicis mercatibus Francofordiæ, & alibi uexabantur ac ridebantur, uelut Papistæ & sacerdotum serui. Quamuis uero Cæsar, alijsq; Principes ac Reges Catholici, seuerissimis Edictis prohibuissent Lutherica aut imprimi aut uenum exponi: adeo tamen non profecerunt Edictis suis, ut Lutheranis Bibliopolis plus inde lucri accresceret. Quippe cum Magistratus & Senatores, quibus inquirendi & animaduertendi cura commissa fuerat, uel cõnuerent malitiose, uel inuitè & neglectim rem illam curarent, uelut odiosam & coram populo detractione plenam. Bibliopolæ harum rerum nõ ignari, & ab Inquisitoribus ipsis occulte nonnunquam præmoniti, quæ Lutherica erant, reponebant in occulto, in publico prostantibus quibusdam prophanis & alterius negotij libris. Vnde fiebat, ut emptores, Lutherica quærentes, cogèrentur ea, prætexente Bibliopola metum & periculũ, charius & maiori precio emere ex occulto, quàm empuri fuissent in publico.

Aberat tum procul à Germania Imperator CAROLVS V. graui ac diuturno bello, quod à Rege Fræciæ indictum sibi Vuormaciæ consistenti fuerat, implicitus. Frater eius FERDINANDVS, Archidux Austriæ &c. Imperialis tum Vicarius seu locum tenens, alijsq; Principes Catholici: uidentes noua Lutheri translatione populos maxime in sectam Lutheranam alluci ac induci, æditis mandatis præceperũt, ut quicumq; subditorum nouum Lutheri Testamentum, aut quoslibet alios eius libros domi haberet, traderet in publicum ijs, quibus recipiendi cura esset demandata. Et in plærifq; sane locis subditi Principum, quibus dictabat conscientia, ne contra Papæ Cæsarisq; & aliorum Principum suorum Edicta & prohibitiones, uetitos domi retinerent libros, obedienter tradiderunt eiusmodi libros, qui & alicubi in unum congesti rogam, publice combusti sunt. Optimis enim quibusq; uidebatur Lutherus,

Nouum  
Test. Lu-  
theri à mul-  
tis Princi-  
pibus pro-  
hibitum.

Impia cen-  
sura Luth.  
in libros  
noui Test.

therus, nimis malitiose grassari in sacras literas noui Testamenti. Equorum Canone, audaci censura reijciebat Epistolam ad Hebræos, Epistolam Iacobi, Epistolam Iudæ, & Apocalypsim Ioannis. Quas sane & atrocibus infamabat calumnijs in suis præfationibus. In præfatione uero generali, etiam in sacratissima Euangelia audacissime manum mittebat: uolens in primis repudiandam esse uetustissimam hanc & omnibus Christianis notam ac receptam opinionem & sententiam, Esse scilicet Quatuor tantum Euangelia, toridemq; Euangelistas: reprobās per hoc etiam sacratissimas figuras, & uisiones, atq; mysteria scripturarū, quæ Quaternarium illum numerum præmonstrant in Genesi, in Ezechiele, in Apocalypsi &c. Reijciebat item diuisionem librorum noui Testamenti in Legales, Historiales, Prophetales & Sapientiales, uulgo usitatam. Iubebat præterea cauere lectorem, ne ex Euangelio, legis aut doctrinæ librum faciat: Sicut factum fuit hætenus (inquit) & quædam præfationes Hieronymi quoq; docuerunt. Euangeliū enim non requirere opera, aut præcepta præscribere, sed solum fidem in Christum docere, & dulciter consolari credentes, affirmabat.

Mutauit  
multa Lu-  
therus in  
textu noui  
Test.

Et data opera, ipse plerāq; loca scripturæ aliter uertebat, in aliumq; sensum trahebat, quàm habebat Ecclesia: Præsertim uero in ijs locis, quæ notissima cunctis uulgo erāt. Qualia sunt, Oratio Dominica, saluatio Angelica, Canticum Mariæ, & Canticum Zachariæ: ut ex ijs populus eo facilius crederet, Ecclesiam non habuisse hætenus uerū textum Euangelicum. In oratione igitur Dominica, quæ à Matthæo cōmemoratur sexto capitulo, mox immutauit initium, dicens. Noster pater in cælo, tuum nomen sit sanctum. At uniuersa Ecclesia & omnis Germania hætenus sic dixit. Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: nec Græci aliter habent. In medio aut illius orationis pro supersubstāiali posuit Quotidianum, quod Lucas dicit. In fine addit integram clausulam, quam uel antiquissima Ecclesiarū exemplaria ante annos DCC. aut DCCC. scripta nusquam habēt. Etenim ait Ecclesia. Sed libera nos à malo. Amen. Lutherus uero sic ait, Sed libera nos à malo: Quia tuum est regnū, & uirtus, & gloria in sæcula Amen. Cætera tria habentur Lucæ 1. In salutatione itaq; Angelica, ubi Ecclesia ait: Aue gratia plena, Lutherus ait: Aue gratiosa, seu amabilis. Teuthonice, du holdselige. Hoc est, digna amari. In Cantico Mariæ, quod Magnificat uulgo dicitur, ubi Ecclesia legit aut canit, Beatam me dicent omnes generationes, Lutherus ait: Beatā me glorificabunt omnes filiorum filij. Deniq; in Cantico Zachariæ, quod per omnes Matutinas legitur, ac Benedictus appellatur, ubi Ecclesia canit. In san-  
ctitate

ctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Lutherus sic uertit. Quo ad uiuimus in sanctitate & iustitia, quæ ipsi placita est.

Hæc exempli gratia commemorata sint. Ex quibus facile cognoscitur, Lutherum pessima intentione nouum Testamentum eo tempore in linguam uertisse Germanicam, scilicet ut conuinceret, aut saltem persuaderet populo, Ecclesiam in textu sacro sæpe errasse, & Germanos (quod postea publice iactare ausus fuit) hæcenus usq; ad prædicationem suam nunquam antea uerū & Germanum audisse Euangelium. Ipse tamen met post aliquot annos, priorem suam æditionem in plæriscq; locis mutauit: adeo sane, ut ex solo Matthæi Euangelio adnotauerint quidam locos XXXIII. In quibus aliter habet secunda æditio eius, quam prima, quæ posteriore Quinq; annis præcesserat. Nec his uersionibus contentus, Latinam quoq; æditionem, à propria sua Teuthonica in multis diuersam, adiecit, anno post primam æditionem septimo, scilicet, ut non solum Germanos: uerū etiam Latinos quoslibet in sacra Euangelij lectione perturbaret. Et ne ulla esset malitiæ consummatio, ædedit eodem anno & alios libellos turbulentos Teuthonice, E quibus duo ad perturbandum præcipue destinati erant: unus uitam Monasticam, alter uitam Coniugalem: Prior inscriptionem habebat, De uitandis hominum doctrinis: Posterior, De uita Coniugali. Prior multo scripturarum prætextu damnat omnia præcepta & instituta Ecclesiæ, quæ in sacris literis expressa nō sunt: Qualia sunt, Ne in Quadragesima uescamur ouis aut carnib. Item, Ut diebus Quatuor temporum, & in Vigiljs Apostolorum, ex præcepto Ecclesiæ ieiunetur. Item, Quod Benedictini, & Cartusiani à carnibus abstineāt. Item, Ne liceat Monacho habitum religiosum abijcere, & liberè ad sæculum redire &c. Posterior, foedissime contra naturalem pudorem loquitur de commixtione maris & foeminae: probans ex illo uerbo Dei, Crescite & multiplicamini, Necessarium esse eiusmodi commixtionem non minus, quam cibum, potum, somnum, & alia naturæ opera: Addens, Quemadmodum uir non potest mutare sexum suū, ita nec possit carere muliere: quia non sit liberum aut consilium, sed res necessaria & naturalis, ut omnem uirum oporteat habere mulierem, & omnem mulierem habere uirum. Et hoc sit magis necessarium, quam edere, bibere, scire, dormire, uigilare, &c. Ideoq; teneantur sacerdotes Monachiq; ac Moniales, sua relinquere uota, nuptijsq; operam dare. Et de impedimentis Matrimonij, gradibusq; affinitatis & consanguinitatis nihil non perturbat ac suggillat, quicquid ibi sancti Patres præter expressam scripturā constituerunt. Nec ijs melior erat liber eius

Luth. in Sermo. de destructione Hierusalem.

Duo scandalosi libri Teuthonici Luth.

Teuthonicus, quem de abusibus Missæ inscripsit, translatum ex Latino, De abroganda Missa. In quo sane tantum pestilentia in populum cōtra pios Ecclesiæ ritus euomuit, ut nisi inexhaustæ esset malitiæ, omne pus totius uirulentia suæ ibi egessisse uideretur.

Liber Lut.  
De seculari  
potestate,  
cōtra Prin-  
cipes.

*Acta & scripta Martini Lutheri Anno Domini*  
*M. D. XXIII.*



Bi uero accepit, à Catholicis Principibus nouum Testamentū suum prohiberi, ne emeretur, ac publicis Edictis præcipi, ut emptum tradatur delectis Commissarijs aut Præfectis: ita profecto in sæculares quoq; Principes & ira exarsit, & maledico calamo debacchatus est, ut omnes maledicēdi uires, & omnia conuitorum tela, in eos solos referuasse: In Papam uero et Episcopos nihil antea euomuisse uideri potuerit. Mox igitur post initium Noui anni subsequēntis, ædidit librum Theuthonicum, De potestate seculari, ad Principem suum Ducem Saxonie Ioan- nem, qui tūc, fratre seniore adhuc uiuente, nondū Elector erat. Ad quem sane tāta mordacitate in Principes libere inuectus est, perinde ac si is, ad quem scribebat, aut Princeps natus nō esset, aut ab alijs Principibus, uelut hostis, aut Apostata de gener, ad ignobile uul- gus defecisset. Quis enim non miretur, Principem tot retro claris- simis nobilissimisq; Atruis illustrē, æquis auribus accipere potuisse hæc ignobilis ex plebeia fece Apostatae in eo libro uerba. In Misnia, inquit, in Bauaria, in Marchia, alijsq; in locis promulga- uerunt Tyranni Edictum, ut noua Testamenta hinc inde in præ- fecturas tradantur. Hic subditi sic agant. Non foliolū, non literam unam tradant, sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus. Illi enim agunt uelut Christici- dæ, sicut Herodes. Hoc autē ferre debent, si iubeatur, irruptionem in domos fieri, & ui tolli siue libros siue bona: Temeritati resisti nō debet, sed ferenda est, non autē iustificanda: nec ad eam præstari obsequiū, aut sequela, aut obediētia, ne uestigio quidem aut digito uno. Tales nāq; Tyrāni agūt, sicut agere debēt Principes mūdani. Mundani Principes sunt: Mundus autem inimicus est Deo, Id- circo & ipsos quoq; facere oportet, quod Deo contrarium, mun- do autem consentaneum sit: ut scilicet non fiant infames, sed Prin- cipes mundani permaneant. Ne mireris igitur, si cōtra Euangelium furūt, & fatue agūt: Oportet ipsos titulo nominisq; suo satisfacere.

Et

Sæculares  
seu munda-  
ni Princis-  
pes.

Et scire debes, quod ab initio mundi admodum rara avis est Princeps prudens, adhuc multo rarior Princeps probus: Sunt communiter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terram. Quapropter semper pessima quæq; ab ipsis expectanda sunt, & parū boni sperandum est: præsertim in rebus diuinis, quæ ad salutem animarum pertinent. Ipsi enim sunt lictores & carnifices Dei, quibus utitur ira diuina in ultionem malorum, et ad externam pacem conseruandam. Magnus Dominus est Deus noster, idcirco & tales, nobiles scilicet, Illustres & diuites carnifices & lictores, eum habere oportet: & uult, ut habeant opes, honorem & timorē ab omnibus copiose & abunde. Placet diuinæ eius uoluntati, ut carnifices eius uocitemus clementes dominos: ad pedes eorum procidamus, eisq; cū omni humilitate subiecti simus: sed eatenus, quatenus artificium suum non extendant nimis longe, ut ex carnificibus pastores fieri uellent. Si Princeps prosperatur, ut sit prudens, probus aut Christi-

*Talis utiq; thesaurus fuerunt nostro tempore Rex Poloniae Sigis. & Dux Saxoniae Georgius.*

anus, hoc è magnis miraculis unū est, & preciosissimum signum diuinæ gratiæ super eam prouinciam. Nam iuxta communem cursum euenit secundum illud Esaiæ 3. Dabo pueros Principes eorum, & effeminati, dominabuntur eis. Et Osee 13. Dabo tibi regē in furore meo, & auferam in indignatione mea. Mundus nimis malus est, nec dignus, ut multos habeat Principes prudentes & probos: Oportet ranas habere Ciconias, Hæc ibi Lutherus in odium & despectum Principum secularium, ad Principem & protectorē suum.

Et adhuc multo minacius seditiosusq; paulo post in hæc uerba subiunxit. Hi sunt (inquit) Christiani Principes nostri, qui fidem asserunt, Turcamq; deuorāt: Immo uero pulchri socij, super quibus bene confidendum est, ut eiusmodi pulchra prudentia aliquid efficiant: nempe, ut præcipitio collum frangant, terrasq; & homines in clades & miserias perducant. Ego autem excæcatis hominibus, perq; fideliter cōsulerem, ut prospiciant sibi à quodam paruo paruo dicto, quod Psal. 106. habetur. Effundit contemptū super Principes. Ego uobis iuro per Deum, si neglexeritis, ut hoc paruum dictum super uos ueniat cum impetu, perdit estis, etiam si unusquisq; uestrum tam potens esset, quàm Turca est, & nihil proderit uobis inflari ac furere. Et iam magna eius dicti pars in effectum processit. Nam admodum pauci sunt Principes, qui non habeantur pro fatuis aut nebulonibus: Causa huius est, quia et tales sese demonstrāt, & populus communis sit intelligens: & Principum plaga, quam Deus contemptū uocat, potenter progreditur in plebe et communi populo. Et uereor, ne prohiberi non possit, nisi Principes agant, ut Principes decet, & incipiant rursus cum ratione & modestia gu-

*Minæ Lut. cōtra Principes*



bernare. Non ferent, non possunt nec uolunt uestrā Tyrannidem petulantiamq; diu perferre, boni Principes & Domini: Secundum hoc agere sciatis, Deus non uult diutius permittere. Non amplius nunc mundus est, ut olim, quando hominem sicut feras uenabimini & exagitabatis &c.

Defensio-  
nes libri  
Regis An-  
glia.  
Coronatū  
mendaciū  
Luth.

Interea, dum sic fureret Lutherus, quidam Germani piam ac eruditam Regis Angliæ assertionem, qua gloriose ac fortiter defendit à Lutheri Captiuitate Babylonica, Septem Ecclesiæ Sacramenta: cœperunt à Lutheranis calumnijs asserere, & mendacia in os & calamum Lutheri retorquere, D. Ioannes Eckius Latine, D. Thomas Murnerus Teuthonice. Et hic festiuissime, cum enumerasset & conuicisset Lutheri mendacia Quinquaginta, è libello uno ipsius in Regem ædito, Quinquagesimo & ultimo eius mendacio appinxit in margine coronā insignem, eò quod insignissimum, & uelut rex quidam cæterorum eius mendaciorum, illud esset. Nempe dixerat in fine libri sui Lutherus, Latine quidem sic. A uirulentia et mendacijs abstinui, quibus liber Regis refertissimus est. Teuthonice uero in hūc sensum. Ego quoq; circumcirca dimicauī, at nullus adhuc utiq; me uilius mendaciū arguere potest. Hoc nobile eius mendacium, Murnero uisum est corona dignum, cum satis cōstet, omnes, quotquot in illum scripsere, aduersarios, quā plurimorum ipsum semper arguisse mendaciorum. Nam unus D. Io. Dietenbergius, pius & eximius Theologus, in duabus duntaxat Confutationibus, quas in eum deuotis & de Confessione scripsit, arguit & conuicit eum DCCC. & LXXIII. mendaciorum, præter alia innumera, quæ alijs in responsionibus suis illi non falso nec iniuste imputauit.

Libri Ioan.  
Fyscheri,  
Episcopi  
Roffensis.

Cæterum ex Anglijs quoq; uiri Duo, Regem suum à Lutheri obiectionibus & calumnijs defenderunt æditis libris: Nempe D. Ioannes Fyscherus, Episcopus Roffensis: uir iuxta & summæ ac omnijugæ eruditionis, & integerrimæ uitæ famæq; ac pietatis, qui ut summus est Theologus & trium linguarum præcipuarum peritissimus, grauissime sane & copiosissime confutauit, Duos præcipuos & Antesignanos inter hæreticos huius temporis, Lutherum et Oecolampadium: hunc libris Quinq; De uenerabili Sacramento Eucharistiæ: Illum grandī primum uolumine, contra assertionem XLI. articulorum, quos in Bulla sua damnauerat Papa Leo X. Deinde alio libro, pro defensione Regiæ assertionis. Alio itē libro, pro defensione sacri sacerdotij. In quibus sane omnibus, & mira usus est modestia contra immodestissimum, & profunda in confutandis erroribus & mendacijs, citandisq; tum scripturæ tum ueterum autorum testimonijs, eruditione. Cuius sane  
initium

initium in Regij libri defensione, propter insignem aduersarij malignitatem, ex iusto dolore est aliquanto acrius, quàm summa uirilenitas & mansuetudo loqui cōsueuerat. Sic enim ait. Christi uox in Canticis est. Capite nobis uulpes paruulas, quæ demoliuntur uineas. Qua plane monet, hæreticos esse capiendos, antequàm adulescant. Nam hi uulpinis fraudibus uineas, hoc est, Ecclesiã Christi demoliri student. Optarim igitur, ut hanc uocem audissent hi, quibus ex officio incumbit, hæreticos, dum paruuli sunt, compræhendere. Neq; enim hodie tam grauis esset in Ecclesia tempestas, & rerum omnium perturbatio, si Lutherus, dum esset uulpecula, fuisset repressus. At nunc euasit in uulpem grandiusculam, annosam & ueteratricem, tot dolis, astutijs, artibus instructam, ut medium teneri difficillimum sit. Sed quid dixi, uulpem: parum est, canem dixissem rabidum, immo lupum rapacissimum, aut seuisissimam quandam ursam, quæ raptis catulis, furore quodam agitur: uel magis hæc omnia simul. Multos enim hoc monstrum intra se bestias alit. Sed & eiusmodi nomenclaturis apprime gloriatur: Seipsum enim appellat ursam & legnã. Nam et utraque se futurũ Catholicis pollicetur. Lutherum (inquit) habebitis ursam in uia, & leenam in semita. In eiusmodi monstrum euasit ex uulpecula iam tandem Lutherus. Alter Anglorum, qui Regem suũ egregie defendit, est Guilielmus Rosseus: uir acutissimi sane ingenij, ac insignis, tum eruditionis, tum eloquentiæ: Qui mira dexteritate & facete ludens & grauius oburgans, certissimis testimonijs ita conuicit Lutherũ, & in os eius improbũ omnia ipsius mendacia retrusit, ut is cõtra ne hincere quidem ausus fuerit: Quemadmodum & Episcopo Rossensi, neq; Lutherus, neq; Lutheranorũ quispiam, respondere unquam attentauit. Quoniã uero liber Rossei, Londini æditus, apud Germanos uulgo nõ extat: operæ precium fuerit, unũ aut alterum ex eo locum recitare, ex quo clarius intelligant Germani, quam nulla sit apud exteros, quibus fides aut probitas cordi est, Lutheri existimatio. Ait igitur Rosseus.

Qualis bestia Lutherus est.

Guilielmus Rosseus, Qui uero nomine fuit Thomas Mosseus Angliæ Cancellarius.

Vidisti lector aliquando cæcum, qui pugna se cuperet irritatus ulcisci: Verum, ut scire possit, quam in partem dirigat ictum, elicit ab aduersario uocem, quam prolatam protinus prosequitur uerbere, nisi citius alter se subduxerit, quam ut à cæco possit attingi. Hunc cæcũ mihi uidetur agere Lutherus: sed ita, ut nemo unquam magis egerit ridicule. Nam cum Rex appellatus ei respondet ad dextram, ille contra ictum projicit in sinistram. Itaq; spectata, quæso, quàm festiuiter Lutherus hunc ludit ludum. Cogita nunc uidere te illum, obcæcatis oculis intentũ stare ad ingerendum colaphum.

Lutherus similis cæco dimitenti cum uidente.

Vbi estis, inquit, Domine Henrice? Hic in proximo. Adhuc inuitat, ut accedat propius, nempe, ut feriat certius. Producite, inquit, uestrum egregium contra Lutherum libellum. Produco. Adhuc propius. Quid asserit uestra Dominatio: an septem Sacramenta? Assero. Adhuc propius paululum. Quibus doctrinis? Dei an hominū? Dei. Iam ferendi certus scilicet, en quā recte librat ictum. Audiāt, inquit, ergo Dominatio uestra, Frustra colunt me doctrinis hominum.

*Speclatum admissi risum teneatis amici.*

Iactantia  
Lutheri,  
qua glo-  
riatur se de  
cælo habe-  
re dogma-  
ta sua.

Qui uidetis hunc cæcum inscium, quā longe aberrarit in diuersam partem, sic exultare præ gaudio, ut compos non sit sui, quasi egregium colaphum infregerit aduersario. Et infra. Verum, quis nebulonem ferre potest talem, qui Mille uitijs ostēdat se possessum, atq; agitatum à legione dæmonum, & tamen ita se iactat stolide. Sancti patres omnes errauerunt: Ecclesia tota sæpius errauit: doctrina mea non potest errare, quia certissimus sum, doctrinam meam non esse meam, sed Christi. Videlicet alludens ad illa uerba Christi, Verba mea non sunt mea, sed eius, qui misit me patris. Quid istud? Papa cadet, dogmata mea stabunt. Nonne certare uidetur cum illo Christi. Cælum & terra transibūt, unum iota nō peribit de uerbis meis? Nam cum ait, Rapuit me Dominus imprudentem in medias has turbas. Hoc plus est, quā, Tulit illum Diabolus, & statuit supra pinnaulum templi. Quod si quis respondeat, Testimonium tuum non est uerum: quia testimonium perhibes de teipso, Recurret illico ad nouam scripturam suam. Ego certus sum, dogmata mea habere me de cælo. Atq; ibi sistet, in hoc suo principio, uelut firmissimo fundamento, quod non omnes Papæ, Reges, Doctores, homines, Angeli, poterunt euertere. Certus igitur, immo certissimus, dogmata sua habere se de cælo: sicut certi sunt & certissimi, qui dormiunt, omnia uera esse, quæ somniant. Immo uero certus & certissimus, mentiri se uigilantem, dogmata sua esse de cælo, quæ sua sibi murmurat conscientia, dæmonum illi præstigijs immissa. Hominiibus maledicit & Angelis, quicūq; dogmatis ipsius contradicunt, & eos clamat os in cælum ponere: conspurcare sacra, blasphemare Deum, quicūq; non uerentur arguere spurcissimas ipsius blasphemias. Tantummodo clamat, Anathema sint omnes, qui impetunt dogmata mea: quia certus sum, dogmata mea habere me de cælo. Hoc igitur principio à reuerendo patre petito, & à nemine concessio, sic arguit ulterius reuerendus frater, pater, potator, Lutherus, extra Ordinem sancti Augustini fugitiuus: unus ex magistris inertibus Vuittenbergensibus,

utriusq;

Mendax &  
stulta iactantia.

utriusque iuris Bacchanalius informis, & in sacra Theologia Doctor indoctus. Ego certus sum, dogmata mea habere me de caelo, ergo dogmata mea sunt caelestia. Et tunc ulterius sic, Dogmata mea sunt caelestia: ergo quicumque contradicit dogmatis meis, os ponit in caelum, & blasphematur Deum. Quoniam quidem igitur contradicunt meis dogmatibus, Pontifex, Imperator, Reges, Episcopi, sacerdotes, Laici, & omnes in summa boni: mihi licebit pro Dei mei maiestate Pontificem, Caesarem, Reges, Episcopos, sacerdotes, Laicos, omnes denique bonos, anathematizare, maledictis & conuictis incessere, atque in omnium coronas & capita licebit ex ore meo lutum, caenum, stercora, merdas expuere. Et rursus libro secundo in fine, idem Rosseus ait. — Jam illud quam ridiculum, quod excusat se, ne uideatur scilicet nimis inclementer mordere Principem. Ego profecto non dubito, Regem illi facile morsus omnes condonaturum: Quippe qui uerum uideat illud esse Senecae. Raro mordet canis, qui latrat. Latratibus profecto Lutherus aequiparat Cerberum, morsu uix culicem. Verum quid ni latret strenue, uir uidelicet optimus & modestissimus, quando cum insensatis, ut ait, monstris, quae non sentiant, eius omnia scripta esse ipsius unius praeconia optima & modestissima, id est, haeresibus & blasphemis tam inflata, quam nullum unquam utrem quisquam inflauit uento. Quae monstra induruerunt etiam ex illius humillima submissione, qua sic se submitit fraterculus uicario Christi, quomodo Iudaei se submiterunt Christo, quum datis alapis, flexerunt genua, clamantes per ludibrium. Aue Rex Iudaeorum. Verum a mendacis & uirulentia prorsus abstinuisse se testatur ipse, cui nihil est aliud in calamo, quam calumniae, mendacia, sycophantiae: Cui nihil est aliud in animo, quam uirus, tumor, inuidia. Qui nihil in capite concipit praeter stultitias, furores, amentias: Qui nihil habet in ore praeter latrinas, merdas, stercora: Quibus foedius & spurcius quam ullus unquam scurra scurratur. Quorum nemo repertus est unquam praeter istum, tam stolidus plagepatida, ut sibi stercus in os conieceret, quod alij spueret in sinu. Quamobrem quum sit huiusmodi, nihil miror, si nunc indignus habeatur, quo cum quisque disputet.

Certe quandoquidem totum se deuouit Inferis, & obdurauit in schismate, nec unquam decreuit haereses recantare: statuere tamen secum debet, aliquam saltem ut habeat ciuilem honestatis rationem, quo sibi potius uendicat autoritatem dogmatistae, quam uilis in heretico scurre. Quod si quando uolet, si disceptabit serio, si mendacia sua recantet, ac sycophantias, si abegerit stultitias, furores, & haecenus nimium familiares furias, si merdas suas resorbeat, et sua relin-

Qualis scriptor est Lutherus.

Indignus est Luth. cui res spodeatur.

gat stercora, quibus tam foede linguam suam calamumq; conspurcat: non deerunt, qui de re graui grauius, quod decet, differant. Verum si ad istum, quo coepit, modum scurrari pergat, & furere, si grassari calumnia, nugari stultitia, insanire dementia, scurrilitate ludere, nec aliud in ore gestare quam sentinas, cloacas, latrinas, merdas, stercora: faciant quod uolent alij, nos ex tēpore capiemus consilium, uelimus ne sic bacchantem ex eius tractare uirtutibus, & coloribus suis depingere, an furiosum fraterculū, & latrinariū nebulonē, cum suis furijs et furoribus, cū suis merdis et stercoribus cacantē cacatūq; relinquere. Et in peroratione operis hæc quoq; adiungit. Nam is eo modo rem tractat, ut plane se declaret meditari secum, immortalitatis quoddam genus absurdissimum, eaq; iam coepisse perfrui, & totus esse, uersari, uiuere in huiusmodi sensu & titillatione gloriolæ, quod futurum præsumat post aliquot adhuc ætatum myriadas, ut recordentur & loquantur homines, fuisse olim aliquando apud sæculum prius nebulonem quendam, cui nomen Lutherō fuerit, qui quum Cacodæmones impietate uicisset, ut dignis emblematis ornaret suam sectam, picas garrulitate, lenones improbitate, prostibula obscenitate, scurras omnes scurrilitate superarit, Qui id studuerit, curarit, effecerit, ut uelut Philosophorum sectæ, ex ipsis habent uocabula: & Gnato meditatus sit, parafiti itidem, ut Gnatonici uocentur. Sic absurdissimum genus hæreticorum, impietatis, scelerum, spurcitiaq; colluies, appellentur Lutherani. Hæc Rosseus.

Quam foeda sit secta Lutherana

Epistola Regis Angliæ ad Duces Saxoniarum.

Rex uero ipse, ubi uidisset Lutheri in Maiestatem suam furorem uerius quam librum, non contra Lutherum iratus rescripsit leuiter aut contētiōse: sed grauius cum summa et pietate & prudentia per literas admonuit periculi Saxoniarum Duces, Fridericum Principem Electorem, uelut seniore, & fratrem Patruemq; eius, Ioannem & Georgium: hunc Catholicū, illum exemplo fratris Lutheranum, Itidem Saxoniarum Duces, Turingiæ Lantgrauios ac Marchiones Misnæ. Quas sane literas Latine scriptas, attulit eis Nuncius Regis, qui à Principibus illis tum honorifice susceptus, tum liberaliter habitus, literisq; & muneribus datis, dimissus ad Regem suum redijt. Rex autem in epistola sua, quæ sane grauisima tum uerbis tum sententijs erat, captata primum à cognatione beneuolentia, illos de multis periculis, quæ ipse prudenter præuidit, & Germania post calamitose experta est: admonuit. De quibus & Dux Georgius se honeste purgauit, eiusq; admonitioni reuerēter gratias egit. Quid uero alij Duo Principes Regi rescripserint, uulgo non compertum habetur. Verba Regis inter cætera sic habent, Quid ad uos (inquit)

Verba Regis.

quit) & tam potentes, & in Christi cultu tam deuotos Principes, aut propius spectare potest, aut debet mouere uehementius, quam cohibendæ factionis istius Lutheranæ studium: qua nullam unquam in terras nocentiorum malus inuexit Genius, aut quæ maiorem perniciem sit allatura propediem, nisi boni præcipue omnes obstiterint, & in primis qui plurimum & possunt & debent Principes. Et infra. Quanquam non admodum decorum putem, ita me comparare, ut cum homine tali publice componar ac disputem: tamen cum Rex & propheta Dauid, non censuit indecorum, ante arcam fœderis nudum saltare cum quolibet: ipse certe non eram quenquam habiturus indignum, quo cum in gratiam religionis, pro fidei ueritate differerem. Nunc uero, cum nihil ad rem respondeat, sed rationum loco proferat mera deliria, alios cum illo congregari nec inhortabor nec prohibebo. Ipse certe non committam, ut cum insaniente insaniam. Nam quisquis & æquus lector & prudens, libellum meum cum illius libro perleget, is profecto facile iudicabit, iam nunc Lutheri Genijs satis superque responsum esse. Quod si quis illi tam ini- que faueat, ut mea uerba non sustineat inspicere, aut tam insigniter instupescat, ut collatis utrinque locis, non sentiat rem adhuc responso non egere: huic nulla unquam responsione satisfecero. Et rursus. At nunc effecit hostis, ut orbi toti inclariscat alterum, nempe aut ipsum esse prorsus imbecillum, aut meas rationes admodum ualuisse: quas contra nihil inuenire potuerit, præter insulsa scommata, & prorsus insana conuitia. Quibus si me commoueri putat, egregie profecto fallitur. Etenim quantumuis ille me uocet insanum (uocat opinor plus millies) nunquam tamen tam insanus ero, ut ægre feram, quod insanus uocer ab insano. Itaque aut mea me fallit opinio, aut istius in me ac Regium nomen contumeliosa spurcicia, uos haud paulo magis quam me, uiri Clarissimi, commouet. Solet enim generosus animus nobilium reuerentia quadam inter se colligari, qua uel in hoste, qua oderint ac persequantur hominem, personam tamen honorent, ac reuereantur officium. Nec generosus ferè quisquam inuenitur usquam tam inciuilis ac barbarus, qui uel inimicis ullis adduci possit, ut scurrilem in modum, linguæ petulantia conspergat nobilem. Et infra. Nam si quid maledictis illis immiscuit, de cuius ueritate poterat, quisquis rem non nosset, aliquid fortasse dubitare: nunc in animum succurret lectoribus, nihil illius maledicentiæ credendum, cui perpetuum institutum esse uideat, de Principibus prorsus omnibus, atque ipso etiam Cæsare mentiendi. Neque enim istud Luthero nouum est, omnia comminisci ac fingere, quibus in odium Principum scelerate concitet, atque extimulet

Conuitia in Regem, Genesios placere non possunt.

Lutherus calumnijs populum in Principes concitat

populum.

populum. In quod negotium promouendum, sceleratorum hominum cateruam iamdudum contraxit atq; adiunxit sibi. Itaq; nulla unq; factio fuit ita seditiosa, pestilens, nepharia, quæ sic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, Respublicas omnes euertere machinata sit, ut nunc ista coniuratio Lutherana, quæ & sacra omnia prophanat, & prophana contaminat. Quæ ita Christum prædicat, ut eius Sacramenta cõculcet: ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem destruat: ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, & inuehat peccandi licentiam: ita misericordiam subleuat, ut iustitiam deprimat, & malorum omniũ causam ineuitabilem, non in Deũ aliquem malum, quod Manichæi saltem commenti sunt: sed in unicum illum uere bonum reijciat. Qui cum ad hunc modum impie diuina tractarit, uelut à cælo deiectus serpens, uirus effundit in terras, in Ecclesia commouet dissensionem, leges omnes abrogat, Magistratus omnes eneruat, Laicos in sacerdotes concitat, utrosq; aduersus Pontificem, populos aduersus Principes: Nec aliud plane molitur, quàm ut (quod omen auertant Superi) Germaniæ primum populus tanquam pro libertate bellum indicat Proceribus. Deinde ut Christiani contra Christianos, spectantibus & irridentibus Christi hostibus, pro Christi fide ac religione depugnent. Quod si quis forte non credat, ab uno homine nihili, tantum unquam periculi nasci posse: huic in mentem uelim subeat Turcica illa rabies, quæ quum nunc tot per terras & maria se diffundens, maximam ac pulcherrimam totius mundi partem occuparit, à Duobus olim nebulonibus sumpsit initium: Ut interim taceam factionem Bohemicam, quæ & ipsa quis nescit, quàm exiguo uermiculo in quam immanem Draconem, haud absq; magno Germaniæ malo, quam propere adoleuit: Ita procliue est, malã segetem, nullo demetete, crescere: Nec ullus unq; socio caruit ad nocendum, neq; tã imbecillus est quisquã, quin securo possit ac tanq; lusurũ spectati, lethale uulnus infligere. Hæc Rex Angliæ, non minus amanter & fideliter, quàm prudenter & uere. Ad quem rescribens pius & Catholicus Princeps Dux Saxonix Georg. inter cetera, quæ & grauius & copiose cõmemorat, sic ait. Nulla unquam sollicitudo animũ meũ magis torisit, quam & factionis illius, cum primum suspecta uideretur, prohibendæ, & postea, cum passim grassaretur, cohibendæ coercendæq;. Nam Quartus iam agitur annus, quod Ioanni Eckio, Luthero ac Carolstadio, primis pugnx tam infelicis ducibus, de certis capitibus Lutheranae doctrinæ, disputandi locum, in urbe Academiaq; nostra Lipsiensi, non alio consilio dedi, quàm ut utriusq; partis rationibus diligenter

Cõiuratio  
Lutherana.

Quam se-  
ditiose scri-  
bit Luth,

Attende  
Germaniã.

Resposum  
Ducis Ge-  
orgij ad  
Regem An-  
gliæ.

diligenter excusis, ueritas patefceret, & rebus Parisiensis Erphor-  
diensisq; Academiae iudiciaria autoritate compositis, omnia con-  
tentionum seminaria tolleretur. Sed Lutherus: quia ut rei progres-  
sus satis indicauit, in iudicium sententia parum spei ponebat, &  
perturbandi omnia libidine ardebat: anteuerit iudicij calculos, &  
ante uictoriam, aeditis uarij generis libellis, triumphos ostentauit.  
Et sane si in mea manu fuisset, nequaquam libellorum post ab illo  
conscriptorum, aeditionem Typographis impunem permisissim.

Statim enim sensi, quid homo factiosus moliretur, & quorsum  
se tandem, si non obsisteretur, prorepturus esset. Nam cum uideret  
omnibus bonis hoc unice in uotis esse, ut Ecclesiastici quidam abu-  
sus ad pristinae religionis seueritate corrigeretur, hac uelut perso-  
na rectus, magno spectatoru plausu, in orbis pene uniuersi Thea-  
tro, Tragodiae suae Principium dedit. Verum haud ita multo post,  
cum ea conuellere tentaret, quae ne moueri quidem, religione nostra  
salua, tuto possunt: prudentes uiri facile sub pelle ouina latere uulpem  
deprehenderunt. Iam uero posteaquam inaudita hominis ipsius  
audacia eo profecit, ut non modo mediocres uiros, eruditionis pa-  
riter & integritatis opinione celebres, petulanti calamo inuaderet:  
Verum etiam, quod nemo facile expectasset, in Angliae Regem,  
omnium humanorum ornamentorum laude spectatissimum, ma-  
ledicentiae suae frenos laxaret, certissima tum perfrictae frontis, tum  
maliciose mentis argumenta omnibus de se dedit. At uero nul-

Astutia Lu-  
theri a Du-  
ce Geor-  
gio statim  
deprehensa.

lis uerbis consequi queam, quam impudens eius libelli scriptionem  
iniquae tulerim. Continuo enim, ut de ea rescui, & edictis, ne in di-  
tione mea uel uederetur uel legeretur caui, & in Bibliopola, qui pri-  
mus hic uenum exposuerat, acerba carceris multa animaduerti. Et  
infra, Porro non mediocriter etiam animum meum leuat, quod  
cum praeter ceteris Germaniae Proceribus, in Lutheri scriptis ac con-  
cionibus nunc apertius, nunc obscurius impetar: Accidat hoc mihi  
commune cum Heroibus alioqui laudatissimis, Carolo Cesare, eius  
nominis Quinto, in cuius uerba iurasse gloriosum mihi duco: &  
Henrico Octauo, potentissimo Angloru Rege: Cum quibus equi-  
dem uituperari malim, quam cum Lutherana colluue laudari. Neq;  
enim quo minus probi Christianiq; Principis officium facere per-  
gam, iste ullis uel minis uel conuictis efficiet. Et rursus post pauca.

Conuictor  
Principum  
Lutherus.

Atqui hominis scripta, perinde atq; nocentissimos hostes a ciuita-  
tibus pariter & finibus meis, quacumq; ratione datur, aberceo. Id  
quod diligenter a deo persequor, ut cum nuper, praeter expectatio-  
nem meam, exisset Germanica illa noui Testamenti tralatio (cu-  
ius Epistola quoque tua mentionem facit) eius libri exemplaria  
omnia,

Nequitio-  
sa Transla-  
tio noui tes-  
tamen, per  
Luth.



nia, quotquot importata ac diuendita fuerant, mea ipsius pecunia, ab ijs qui emerant, redimerem. Nimirum quod iam tum animus hoc mihi dictaret, & diligentior librorum inspectio satis indicaret, ea gratia susceptum à Luthero hunc uertendi laborem, ut hac arte uniuersam scripturam suo commodo translata, ad dogmata sua confirmanda detorqueret. Nam quia uidebat fieri non posse, ut absurda illa sua Paradoxa, ueterum Theologorum: à quorum doctrina pariter & uita procul abest Lutherus, scitis astrueret, scripturæ simplicitate aliquoties in alienum atq; adeo repugnantem sensum flexibili, ad eum modum abuti instituit. Quod autem consilium callidius aptiusq; ad simpliciorum animos captandos capere potuisset, quam ut uniuersam noui Testamenti scripturam, nouo genere, tum interpretationis, tum annotationis, in suum iudicium deflexam, uelut hamum esca tectum, uulgo porrigeret. Alioqui aut nullis, aut nō nisi stupidissimis persuaderet, ut bonorum, ita & malorum necessitatem à Deo pendere. Quod dogma cum in Philosophis suis Ethnici homines non tolerarint, nos Christiani, quibus fidei doctrina clariori ueritatis luce affulsit, in Luthero amplectemur? Quod si semel cum Luthero recipimus, omnia euenire necessario, iam sane omnis humanæ rationis uis, omne consilium, ius deniq; omne, quo uel præmium bonis, uel pœna malis decernitur, frustra esse comperientur. Hæc & id genus multa Dux Georgius grauer & ex animo (ut erat syncerus & sine fictione) ad Regem Angliæ. Idem Princeps, posteaquam uidit libellum Lutheri Teuthonicum, ad Nobilem quendam Hartmannum de Croneberg æditum, in quo multis iniurijs & calumnijs ille eum publice traduxerat: cœpit per literas Lutherum interrogare, an fateretur eum libellum uere suum esse. Is autem, ferox Principū contemptor, mox ferocissime illi respondit, plus fere iniuriarū ingerens in epistola, quam fecerat prius in libello. Quamuis in Lipsica disputatione longe aliter de eo Principe sensisset, atq; etiam publice scripsisset antea. His igitur uerbis exorsus est epistolam in Teuthonico. Cessare à furendo & insaniendo contra Deum & Christum eius, loco mei obsequij, in primis, Inclemens Princeps ac Domine, uestræ Illustris Inclementiæ literas simul cum libello seu epistola, quam ad Dominum Hartmannum à Croneberg scripserim, accepi, & feci mihi præcipue legi eum locum, de quo uestra Illustris Inclementia queritur, tanquam de atrocibus iniurijs, quæ ad animam, Iusurandum & famam spectant. Ille enim libellus antea & hic & alibi excusus est. Cum igitur scire desideret uestra Illustris Inclementia quibusnam uerbis in eo stare uelim, Breue responsum meum est, mihi tantundem

Iniuriæ Lutheri contra Ducem Georgium.

Ferox & contemptrix epist. Luth.

tantūdem ualere coram uestra Ill. Inde. ut cunq; accipiatur siue pro  
 stando, siue pro iacendo, sedendo aut currēdo. Et post pauca. Nam  
 si uestra Ill. Inde. non mentiretur inciuiliter, me uestram animam,  
 honorem & bonam famam lædere, Christianam ueritatem non  
 ita scelerate criminaretur et persequeretur. Attamē hoc non primū  
 est, quod à uestra Ill. Inde. calumniatus ac male accusatus sum. Et in  
 fine sic habet. Vuittenbergæ Octauo die Ioannis. XXIII. Cum hac  
 subscriptione. Martinus Luther, Dei gratia Euangelista Vuitten-  
 bergensis. Paulo ante ædiderat Romæ insigne in Lutherum  
 uolumen, Doct̃or Ioannes Fabri, Episcopi Constantiensis tunc in  
 causis Ecclesiasticis uicarius, Quod cum admodum copiose ex scri-  
 pturis & uetustissimis quibusq; autoribus, Græcis & Latinis, Pote-  
 statem Papæ, Sacramenta Ecclesię, & sacros ritus assereret: In Ger-  
 mania quoq; excusum est denuo, non solum Lipsiæ iussu supradic-  
 ti Principis, Ducis Georgij, uerum etiam Colonia Agrippinæ,  
 ubi titulum istum promeruit, ut diceretur Malleus in hæresim Lu-  
 theri. In quem sanè librū nihil aliud scripsit Lutherus, quam atro-  
 cem quandam calumniam Teuthonice in præfatione sua, quam  
 præfixit Expositioni Septimi capituli Epistolę B. Pauli, primę ad Co-  
 rinthios. Ait enim. Prudentes sæculi, stultis scelestisq; descriptionibus  
 & clamoribus suis, contra statum Matrimonij, mundum replent,  
 et ab eo cunctos dehortantur: cum tamen ipsimet interim bene sen-  
 tiant, atq; etiam facto satis demonstrant, se mulieribus carere non  
 posse, tanquam ij, qui non nisi ad matrimonium creati sunt, uenan-  
 tur, agitant & tractāt meretrices die noctuq;. Huius generis quoq;  
 est nunc Archimorio ille Ioannes Faber Constantiensis, immo fa-  
 mosus ille fornicator, qui magnum scripsit librum, Lipsiæ nuper  
 excusum, contra statū Matrimonij, ad dehortandum ab eo unum-  
 quenq;: nihil tamen amplius dicens, nisi quam multæ molestiæ &  
 labores in eo sint, Perinde ac si id nō sciret iam olim totus mundus,  
 & asininum caput istud nos id ipsum primo doceret, quod nemo  
 rusticorum uel in uillis ignorat. Si essem ego ipsa Castitas, non sci-  
 rem maiorem magisq; intolerabilem iniuriam & opprobrium,  
 quam quod huiusmodi nebulones, meretricumq; uenatores et ho-  
 stes castitatis, me laudarent. Nebulones sunt, non solum in cute, ue-  
 rum etiam in fundo sui pectoris, qui digni non sunt, ut eis respon-  
 deatur. Et post pauca. Cum igitur Deus mulierem ita creauerit, ut  
 debeat & cogatur esse circa uirum, satis nobis fuerit, Deum esse no-  
 biscum: Ideoq; Matrimonium honoremus uelut diuinum nobi-  
 leq; negocium. Quod si scioli isti illud inire noluerint, dimittamus  
 eos in sua cecitate fornicari ac scortari, quā diu permiserit eis Deus.

Volumen  
Ioannis Fa-  
bri, qui po-  
stea factus  
est Episco-  
pus Viennē-  
sis.

Calumnia  
Luth. in lo.  
Fabrum de  
Matrimo-  
nio.

Nos habemus uerbum Dei pro nobis, quod manebit, & non obstupefcet coram eiusmodi crassis fabris, etiã si plures forent, quam sit arena maris. Hac impudenti calumniã totum Fabri librum, populo suspectum atq; inuisum reddere satagit Lutherus. At uir eruditissimus non cõtra Matrimonium, sed pro eo, nempe, quod recte connumeretur ab Ecclesia inter Septem Sacramenta (quod negauerat Lutherus) in eo libro scripserat, & quidem per digressi- nem, cum esset præcipua eius intentio, Confutare libellum Luthe- ri de potestate Papæ. Contra quem sane longa serie deduxit (ut u- berrimi est ingenij) responsiones CXXVI. In quem & Ioannes Eckius, uir doctissimus, tres iustos perscripsit & Parisijs ædidi- bro, quibus nec Lutherus nec Lutheranorum quispiã respondit.

Paulus uir  
ginitatem  
coniugio  
præfert.

Quamuis uero Paulus in eo capite, quod Lutherus prauissima expositione peruertit, in multis argumētis uirginitatem cõmendat, atq; etiam Matrimonio præferat: Quippe ubi ait. Volo autem omnes uos homines esse sicut me ipsum, Item. Dico autem non nuptis & uiduis, bonũ est illis si sic permanserint, sicut & ego. Item. De uirginibus autem præceptũ Domini non habeo: cõsiliũ autẽ do, Item. Quoniam bonum est homini sic esse. Item. Solutus es ab uxore, noli quærere uxore. Et adhuc multo apertius, Volo, inquit, uos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo: Qui autẽ cũ uxore est, sollicitus est quæ sunt mudi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier in- nupta & uirgo, cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro. Item. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc tamen omnia Pauli dicta, Lutherus impudentissime pariter & impiissime peruertit, & in sceleratæ libidinis, cui Monachi Monialesq; sacrilegas nuptias prætexunt, patrociniũ detorquet expositione sua Teuthonica, quam Epithalamion uocat. Vbi ergo Apostolus ait. Volo om- nes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisq; proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius uero sic, Ibi Lutherus egregia expositione sua sic infert. Ex his sequitur, inquit, quam immaniter errent, qui Moniales inflant, quod status earum coram Deo præ- stantior ac melior sit Matrimonio, & fingunt ibi speciales aureo- las, & nescio, quot prærogatiuas ac dignitates, easq; uocant spon- sas Christi, quæ potius Diaboli sponsæ sunt, cum non utantur casti- tate, sicut ea uti oportet: Nempe, nõ ut coram Deo melior sit: sed ut super terrã liberiores aptioresq; reddat homines ad insistendum uerbo Dei, quam Matrimonium. Et post pauca, Cum uero hic si- mus

Lutheri ca-  
lumniæ cõ-  
tra sacras  
Virgines.

mus in eo loco, ubi Paulus Matrimonium tam sublimiter extollit, & donum diuinum uocat, nos quoque amplius considerabimus & ostendemus, Matrimonij statum omnium maxime spiritualesse, falsoque & inique quosdam Ordines dictos fuisse spirituales, Matrimonium uero statum secularem. Sed uice uersa, Matrimonium dici debere uere spiritualesse, ut est: Ordines uero uere seculares status, ut sunt. Mere igitur peruersum ab usum uerborum mundo intulerunt, ac omnibus imposuerunt: seducentes, ut dicretur seculare, quod spirituale erat: Spirituale uero, quod re uera seculare erat. Et infra. Vbi Paulus ait. Virginitatem à Deo preceptam non esse, non magis quam Matrimonium: hoc est, liberam omnibus esse debere, Per hoc auferat ab ea omnem honorē, qui ei ab altis prædicatoribus datus hæctenus fuit. Vbi enim non est præceptum, ibi coram Deo nec meritum ullum est nec præmium, sed libertas quædam secundum se. Coram Deo enim tantundem ualet, siue sis siue non sis uirgo. Et sicut supra dicit, Qui uocatus est seruus, libertus est domini: Ita & hic dici potest, Quæ uocata est uirgo, mulier est coram Deo: & quæ uocata est mulier, coram Deo uirgo est. Coram Deo enim omnia æquiualent, nec ulla est distinctio personarum, nec meritum operum: sed solummodo equalis fides in omnibus & per omnia. Eum librum Latine translatum, confutauit insignis Theologus, Doctor Conradus Kollin, Ordinarius Theologiæ Professor Coloniae, in Cœnobio Prædicatorum: sed ita copiose, ut prima pars Confutationis in sex haud ita breues libros extensa sit, usque adeo exquisite ad singula illius dicta respondit. Summatim uero dicit, à Luthero per Epithalamium suum lasciuum, uerum Paulini textus sensum deprauatum: Pauli uirginitatem negatam (uiduum enim fuisse affirmat) patrias Germaniæ leges abrogatas: Religionum famam denigratam, continentiam apud Deum & fructum & aureolam sublatam: Cleri celibatum fœdis ac uetitis nuptiis conspurcatum, Digamiam Clericis admissam: Sancta nostra prophanata, Ecclesiæ pulchritudinem deformatam: Monialium pudicitiam in fornicum turpitudinem uersam, pia Monasticorum uota conculcata: Breuiter Christum de cordibus hominum cum omni pietate & religione pariter eiectum, Turcæ doctrinam Germanis traditam, eique ad occupandum uir Germaniam, quam perfidis Apostatis ille repleuit, eo libro paratam esse uiam. Exierat iam à Io. Cochleæ æditus de gratia Sacramentorum liber unus, alter item de Baptismo paruulorum, Argentoratî. Quorum sane priorem ut uidit Lutherus, mox in eum parauit responsionē: adeo quidem ludicram & conuictiosam, ut ipsemet diceret suo Nefeno

Luth. præfert conuigium cunctis statibus religiosorum

Luth. contra Virginitatem.

Confutatio Epithalamij per D. Con. Kollin.

Ludicra responsio Lut. contra Ioan. Cochleam.

quem postea in Albi misere submersum, spe miraculi, uanis immurmurationibus frustra in uitam reuocare tentauit) si pro bacchanalibus illis ineptire uideretur, ipsum Nesenū eius ineptiæ sibi autorem esse, & satis quidem imperiosum. Atq; ut maior appareret contemptus, septem ludendo carmina præmisit, Quorū sic habet initium.

*Arma uirumq; cano, Mogoni qui nuper ab oris,  
Leucoteam, fato stolidus, Saxonaq; uenit  
Littora, multum ille & furijs uexatus & æstro,  
Vi scelerum, memorem rasorum cladis ob iram.*

Libellus lo  
annis Coc.  
aduersus  
Cucullatū  
Minotauri-  
rum.  
Huic eius libello protinus respondit Cochlæus, haud multum dissimili ludendi genere, temporis opportunitate inductus. Nam paulo ante monstrosus in propinquis Vittenbergæ finibus uisus fuerat uaccæ partus, qui caluo capite, monastico cernebatur circumdatus cucullo, ut scilicet monstrosum illum nobis portederet Apostatam, qui cucillum suum paulo ante abiecerat: licet ipse aliter interpretari frustra conaretur. Titulus itaq; libelli sic habebat. Aduersus Cucullatum Minotaurum Vuittenbergensem Ioannes Cochlæus de Sacramentorum gratia, iterum. Initium uero libelli pro carminibus carmina reddebat in hunc modum.

Carmina  
in Luth.

*Monstra bouemq; cano, Boreæ qui primus ab oris,  
Teuthonicas terras profugus conspurcat, & omnem,  
Sub specie monachi uiolat pacemq; fidemq;  
Vi Sathanæ, sæuis furijs agitatius, & æstro  
Diræ Thesiphones, ultrici Anathemate poenas  
Exposcente, furit, mugitu uastus inani  
Semiuiro lacero sub semibouisq; cucullo.*

Inconstans  
Luth.  
Cæterum Typographus Colonienſis, qui libellum in scio Cochlæo excudebat, hæc uerba, pro sui excusatione, in frontispicio præmisit. Criminationes, inquit, Lutheri, quibus ex ordine hic respondetur, particulatim singulis responsionibus ex industria præteximus, ut æquus iudex, re æqua lance expensa, cognoscat, omni Minotauri non deesse suum Thesea. Sub finem uero libelli sic ait Cochlæus. Sed quid mirum, si hoc in libro, quantumlibet breui, temutaueris super una eademq; re sententiam, qui hoc idem super eadē re, ter quoq; feceris prius in uno folio tuæ assertionis? Quem igitur non tēdeat, tecū, qui usq; adeo uariis mobilisq; & impudens es, disputare? Ad ea uero nihil amplius respondit, neq; Lutherus nec complicū eius quispiam. Adidit uero alium libellum Lutherus, de formula Missæ & communionis: adeo sane imperiosum, ut ar-

rogauerit sibi ius constituendorum rituum, quod ipse prius immani  
 superbia, nec summo Pontifici nec Generali Concilio permittere  
 uolebat. Hoc est igitur eius libri exordium. Haecenus (inquit) libel-  
 lis & sermonibus egi inter populos, ut corda primum ab impijs  
 opinionibus caeremoniarum auocarem: Christianum & commo-  
 dum arbitratus me facere, si causa fierem, ut absq; manibus con-  
 tereretur abominatio, quam Sathan per hominem peccati in loco  
 sancto statuerat. Proinde nihil ui aut imperio tentauit, nec uetera  
 nouis mutauit. Et post pauca. Quare de formula (inquit) aliqua pia  
 missandi (ut uocant) & communicandi agemus: ac sic agemus, ut  
 non amplius solum uerbo doctrinae corda regamus, sed manum  
 quoq; apponamus, & publica administratione in opus perducamus:  
 nulli prorsus praeducantes, ne aliam amplecti & sequi liceat &c.  
 In hunc eius librum scripsit Propugnaculum quoddam Ecclesiae,  
 longe clarissimus Theologus: uir & uitae innocentia, & eruditionis  
 ubertate insignis, Ludocus Clichtoueus, Doctor Parisiensis.  
 Qui antea Antilutherum quoq; scripserat: Ternos autem libros  
 complectitur opus utrunq; & eos quidem tum styli facilitate, tum  
 doctrinae multijugis copia & uarietate conspicuos. Ad quos tamen  
 omnes, quia Latini sunt, Teuthonicus Euangelista perpetuo tacet:  
 caute dissimulans, ne quid eorum Germaniae plebes, in quas Apo-  
 stolicam sibi arrogat auctoritatem, intelligant. Hic autem breuitatis  
 gratia suffecerit, recitare pauca ex ijs, quae uir ille ad Lutheranum  
 respondit exordium. Seuera (inquit) dignum est censura, quod  
 impias uocat Lutherus Caeremoniarum opiniones, in Ecclesiastico  
 officio fieri solitarum. Nam ueteris legis ritus, in oblationibus & sa-  
 crificijs illius temporis obseruari conuertos, nemo sanae mentis im-  
 pios dixerit: Cum iusserit saepissime Dominus in Exodo, Leuitico,  
 Libro Numeri & Deuteronomio, illos diligenter & districte pro  
 legis illius decursu custodiri. Quis igitur nisi plane improbus, &  
 mente parum constans, Nouae legis Caeremonias, magisterio spi-  
 ritus sancti institutas, & sacratiorum mysteriorum significatiuas,  
 promouentesq; populum in maiorem diuini cultus reuerentiam,  
 appellauerit impias aut sacrilegas? Et infra. Quae obsecro nocen-  
 tior posset induci pestis in Ecclesiam Dei, aut quae magis horrenda  
 confusio, quam ut tandem nulla habeatur certa forma, celebrandi  
 diuinum Missae mysterium? Quod omnium, quae in Ecclesiastico  
 geruntur ordine, excellentissimum est & supremum. Cunctis uni-  
 formis fuerit ritus apud Hebraeos, immolandi atq; manducandi  
 agnum Paschalem typicum, quam diu ueteris Synagoga decursus  
 agebatur: nonne pudendum esset & abominandum, ipsum uerum  
 G iij agnum

Liber Lut.  
 de formula  
 missandi.

Propugna-  
 culum Iu-  
 doci Clich-  
 touei.

Verba Cli-  
 chtouei.

De unifor-  
 mi ritu cele-  
 brandi Missae.

agnum Christum immolari in altari, multiformi ritu & uario, atq[ue] pro cuiusq[ue] nutu permutando: Et rursus. Verum percontari nunc (inquit, id unum a Luthero uelim, in qua potestate hæc facit, et quis dedit illi hanc potestatem, ut antiquam formam celebrandi diuini mysterij immuter, & nouam fabricet? Si enim de cælo se missum contendit, aut à Dei spiritu, ad moliendum id opus, signa sui Apostolatus ostendat oportet, quibus fidem faciat, à Deo ipsum esse, quod tentat. Huiusmodi autem signa nec dum cuiquam conspecta sunt aut cognita. Hæc ille. Agerrime autem ferebat Lutherus, Vuittenbergæ coram oculis suis perdurare adhuc ueteres Cæremonias in Ecclesia Collegiata, quæ memoriæ & uenerationi Omnium sanctorum dedicata erat. Dux enim Fridericus, Elector, quamuis nimis multa Luthero contra Ecclesiam permittebat, non tamen omnem pro libitu impietatem ei passim admittebat, uti admisit postea frater eius. Nondum licebat Luthero, uiuente illo, sacrilegas inire nuptias: nondum euacuare aut spoliare personis & bonis Monasteria: ui cogere aut pellere pastores Catholicos &c. Ait itaq[ue] in fine istius libelli sui, quem de formula missandi adiderat. Nec uos aut quosuis alios absterreat, quod in nostra Vuittenberga adhuc perseuerat Topheth illa sacrilega, quæ Principum Saxonie impia & perdita pecunia est: Ecclesiam dico omnium Sanctorum. Nam tantum est, miserente Deo, apud nos antidoti per copiosum uerbum Dei, ut pestis illa in angulo suo languens, non nisi sibi ipsi pestilens sit. Deniq[ue] uix tres aut Quatuor porci & uentres, sunt in ipsa illa perditionis domo, qui pecuniam illam colunt: Cæteris omnibus simul & uniuerso populo insignis nausea & abominatio est. Accidit eo anno res in eum usq[ue] diem apud Germanos inaudita, et facinus plane audacissimum, contra omnes & leges & Canones, ac maxime nefarium atq[ue] sacrilegum. Nempe ciuis unus oppidi Torgauie (ubi plerumq[ue] residere solet Dux Saxonie Elector) ausus fuit ex uno Monasterio Nymicensi clã abducere Vuittenbergã, Nouem uirgines sacras pariter: & quidem in tempore sacratissimo, quo omnis populus maxime occupari solet cultu Dei & deuotionis studio: In peragenda passionis Christi memoria, confitendiq[ue] peccatis, & in sacratissima Eucharistie communiõne. De quo sane scelere usq[ue] adeo nihil doluit Lutherus, ut mox ædito libro illud toti Germanie inuulgauerat: Iuxta illud Salomonis. Qui *Prover. 2.* relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebrosas: Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Et secundum *Esa. 3.* illud Esaie. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Laudans igitur impium Raptorem illum, quẽ uocat Leonardum

Iniurię Lu-  
the. contra  
Ecclesiam  
Omnium  
Sanctorum  
Vuitteber-  
gæ.

Nouẽ Mo-  
niales una  
nocte ra-  
ptæ & ab-  
ducte Vuit-  
tenbergam

Leonardum Koppen, ait in Teuthonico in id adito libello. Fecisti opus nouum, de quo prouinciæ hominesq; cantabunt & loquentur, quod multi uelut ingens incōmodum proclamabunt. Qui autem cum Deo sentiunt, uelut ingens commodum glorificabunt, ut sis certus, Deū ita ordinasse, & non esse opus aut consilium tuum proprium: ac flocci facias illorū clamorem, qui pro omnium pessimo id opere habebunt, & existimabunt neq; ordinatum neq; commissum à Deo. Vah Vah, dicent, stultus Leonardus Koppen, à damnato & hæretico Monacho circumuentus, audet Nouem Moniales una uice abducere è Monasterio, & adiuuare, ut uota sua uitamq; Monasticam abnegēt ac deserant. At dixeris hic. Hoc uero est pulchre seruare secretum & occultare, immo prodere ac uendere, ut in me concitetur totum Cœnobium Nymicense, quando iam audiunt, me illum fuisse raptorem. Respondeo (inquit Lutherus) immo uero felicem raptorem, sicut et Christus raptor erat in mundo, quando per mortem suam Principi mundi auferebat arma & uasa sua, ipsumq; ducebat captiuum. Ita & tu has miseras animas ex carcere humanæ Tyrannidis eduxisti, & quidē opportunissimo tempore in Pascha, quo Christus suorum quoq; captiuitatem captiuam duxit. Et ne quid rationis aut pudoris ferali huic sceleri reliquum esset, Lutherus in fine illius libelli sui nominatim cōmemorat Nouem Moniales illas, nomine et cognomine unamquancq; proprio, quæ omnes erant genere nobiles: In perpetuum sane dedecus & opprobrium tot in dyltarum familiarum: quas tam insigni scelere diffamat. Atq; ut completior fieret ea iniquitas, septima miserimarum Apostatarum illarum, Catharina de Bore, post biennium in seculo, uaga inter scholares Academicos conuersatione Vuittenbergæ exactum, mox ut diem obierat Dux Fridericus Elector, facta est Luthero (si Dñs placet) uxor: Monacho Monialis, perfido perfida, flagitioso flagitiosa: scilicet ut esset dignum ollæ operculum, & par pari facile coniūgeretur, & mētiretur eis Paulus, dum ait. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Tantū uero erat odium Luthero, non modo in Papam, uerum etiam in uniuersam Ecclesiam Catholicam, ut ijs, qui manifeste foris sunt, quales sunt Pighardi & Hufsitæ, mallet coniungi, quam ad Catholicos, quibus tot antea annis communicauerat, redire. Scripsit itaq; duos libros ad eos, quos Pape inimicos putabat: Vnū quidem ad Vualdenses, quos Pighardos dicimus, per Bohemiam Morauiamq; dispersos: Alterū uero Latine ad Senatum Pragensem, tanquam ad præcipuos Hufsitæ. Quanquam ante paucos annos, utrosq;, uelut hæreticos & schismaticos, etiam

Verba Lutheri de raptu illo.

Nomina Monialiū à Lut. expressa.

1. Tim. 5.

Duo libri Lut. ad Bohemos.



publicis scriptis fuerat infectatus. Etenim in Pighardos atrociter inuectus est, tum in Decem præceptis, tum in Resolutionibus suis.

Luth. in resolu-  
tione conclu. 35

Hic sane in hæc uerba. Quod si etiam tempore Apostolorum, non fuisset Purgatorium, ut superbit fastidiosus Pighardus, nunquid ideo credendum est heretico, uix Quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum: maxime cum ipse nihil aliud faciat, quam quod dicit, Non credo. Et sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra: Quasi nō & lignum & lapis non credant. Illic uero sic. Verum (inquit) ne Pighardi, heretici infœlices, suas partes à me adiutas confidant: Qui præ nimia ruditate nobis Teuthonicis (superbissimo fastidio indignati) imponunt, quod Sanctos Dei colamus, & Idola faciamus: & ideo contra nos aceruum uersuum scripturæ congregāt. In quibus prohibetur, ne adoret quis nisi unum Deum. Simul impij peruersores scripturæ, & subdoli calumniatores pietatis nostræ. Ita enim rustici illi nos tandem docent, quod solus Deus sit adorandus, & gloriantur, ac si nos id ipsum negauerimus. Postea quàm uero miser Apostata publicum Ecclesiæ Romanæ hostem se gerere cœpit: Inimicis eius, quos antea condempnauerat, pudendis blanditijs muliebriter adulatus est, ut socius eorum fieri mereretur. Ait igitur ad

Luth. ad Vual-  
denses de Eua-  
charistia.

Vualdenses Teuthonice (quem libellum postea transtulit Ionas, adulator & interpres Lutheri) Circumfertur libellus, quem uestri Symmystæ Germanice, nunc & Bohemice, ædiderunt, ad instituendos in summa Christianismi pueros. In quo inter reliquos articulos & ille continetur; Christi corpus sub Eucharistiæ Sacramento non naturaliter contineri, neq; ibi esse adorandum. Quod dogma uestrum, nos Germanos non mediocriter commouit. Neq; enim ignoratis, quomodo uos per uestros Legatos rogauerim, ut huic articulo, de quo uos paulo obscurius differere uidebamini, iusto super hoc libello ædito, lucem adderetis. Et infra in gratiam eorum calumniatur & conculcat omnia sacra nostra.

Calumniæ  
Lut. in Ca-  
tholicos de  
Adoratio-  
ne Euchar-  
istia.

his (inquit) cæremonijs, hoc genere adorationis, omnia templa, monasteria, breuiter omnes anguli pleni sunt, & totus cultus Papistici regni nihil aliud fuit, quam assidua subsannatio, sub hac uoce, Aue rex Iudæorum. Cum enim tot sint templa Cathedralia, Collegiata, & plures Monachorum sectæ, quàm auium species: tot cœnobia, tot altaria, tot sacella: tamen in his omnibus, uix inter Mille unum reperias, qui spiritali adoratione Deum honoret, omnes uero ex æquo rideant & subsannent externa hac hypocrisis. Et potissimū sic ridetur Christus & Deus, festo Paschatos & Corporis Christi in omnibus Missis, ut uocant, in pompa & processione,

sione, ubi in auro & argento circumfertur Eucharistia. Ibi multum  
 honoris externi exhibetur Deo, qui tamen nihil aliud est, quam  
 derisio Dei, cum absit fides & spiritus sanctus. Et rursus, Nos Blanditiæ  
Lutheri ad  
Pighardos  
 (inquit) certi sumus, uobis per donum inenarrabile Dei contigisse  
 puram doctrinam & magnam lucem uerbi, etiam si sit infirmitas  
 forsitan adhuc & satis erratorum in moribus & uita. Et post pauca.  
 Quanquam apud nos necdum tam bono ordine, in externa di-  
 stributione Sacramenti omnia constituta sunt, ut de uobis audio.  
 Orate uero & uos pro nobis, ut assiduum exercitium, tum uerbi,  
 tum etiam charitatis, & bonæ uitæ apud nos sit: præsertim, cum è  
 luto illo Papistici regni nuper eluctati simus. Et sub finem libelli.  
 Obtestor (inquit) uos per charitatem Christi, ne meum scriptum  
 in eam partem accipiatis, quasi uestris erratis me titillarim.  
 Sed tamen cum sciatis, uos in toto orbe hætenus tanquam pe-  
 stilentissimos hereticos proclamatos: hic testimonium uobis per-  
 hibere uolui, quod propius accedatis ad puritatem Euangelij,  
 quam omnes alij, quos ego cognouerim. Quid autem de  
 Bohemis Hulsitis olim senserit Lutherus, in Galatis suis lucide qui- Damnatio  
Bohemo-  
rum.  
 dè declarauit. Sed cū pœniteret eum paulo post eius sententiæ, uer- Luth. in com-  
mentario ad  
Galatas c. 6.  
 ba illa deinceps à Typographis eius ommissa sunt. In prima tamen  
 æditione adhuc permanent. Etenim ubi Apostolus ait, Alter alte-  
 rius onera portate. Ibi Lutherus pulcherrime declarat, non esse ab  
 Ecclesia propter malos discedendum. Hi (inquit) hanc peruertunt  
 doctrinam, qui uolunt sua onera portari, & solum commodis alio-  
 rum frui & uehi: Vt qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, dif-  
 ficiles, morosos, dedignantur habere socios uitæ: sed quærunt hu-  
 manos, suauēs, benignos, quietos & sanctos homines: Hoc est, uo-  
 lunt, non in terra, sed in paradiso: non inter peccatores, sed inter  
 Angelos: non in mundo, sed in cœlo uiuere. Quibus quoq; timen-  
 dum est, ne & hic recipiant mercedem suam, & in hac uita suum re-  
 gnum cœlorum possederint. Nam cum sponsa nolunt esse illium  
 inter spinas, nec cum Hierusalem in medio gentium posita, nec cum  
 Christo damnari in medio inimicorum. Euacuant enim crucem  
 Christi in seipsis, & ociosam ac stertentē alijsq; humeris uectatam  
 charitatem habent. Proinde qui fugiunt talium societatem, ut boni  
 fiant, nihil aliud faciunt, quam ut pessimi omnium fiant. Quod  
 tamen non credunt: quia propter charitatem fugiunt germanum  
 officium charitatis: propter salutem fugiunt uerum compendium  
 salutis. Ecclesia enim tunc semper fuit optima, quando agebat inter  
 pessimos. Et post pauca. Consequēs est (inquit) quod Bohemorū  
 discidiū à Romana Ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin  
 sit

fit impium, & Christi omnibus legibus contrarium: quia contra charitatē, in qua omnes leges summantur, perstat. Nam hoc, quod unice allegant, sese timore Dei & conscientie, defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices uiuerent: hoc eos maxime omnium accusat. At longe aliter scripsit postea, tum in Babylone sua, tum in assertionē XLII. Articulorum. Et longe post, ad Senatū Pragensem, de instituendis ministris Ecclesiæ. In quo sane libro, hunc in modum narrare cœpit. Posteaquam p̄ualente (inquit) Sathana, Bohemiæ regnum, Episcopis & sacerdotibus (quos uocant) sublati, uastum ac solitarium relictum est, autoritate Pontificum Romanorum: misera ac dura necessitate adacti fuistis, quotannis in Italiam mittere Clericos uestros, pro Ordinibus Papisticis emendis. Quod uicini Episcopi prorsus non dignarentur eos ordinare, cum pro obstinatis hæreticis uos haberent. Ea uero necessitas, quanta super uos incommoda & pericula secum traxit. Et infra. Facta est tandem hac ratione copia crudelissima quibuslibet nebulonibus, Apostatis, & quos alioqui nulla pars terrarum ferre potuit, ad uestrum ministerium perueniendi, ita ut in fabulam abierit hæc misera uestra necessitas: Videlicet, quod Bohemis dignus sit sacerdos, qui apud Teuthonas laqueos & coruos meruit. Sic Bohemiam repleri oportuit insigniter sceleratis simul & indoctis pastoribus, uel lupis potius rapacibus. Hinc manat cahos illud & Babylonia confusissima in clarissimo regno uestro, dum partim necessitate habendi ministros, partim impotētia corrigendi sit, ut quisq; doceat quod uoluerit: aliud in alio loco prædicet: nonnulli ficto sacerdotis titulo, populos ludificentur: alij Parochias emant: alij ui intrudantur: successor cōtraria antecessori statuatur. Et rursus, Nunc (inquit) postquam uos Bohemos proprijs malis monitos fecimus, ut Papisticis Ordinibus ualedicatis: addam & unam generalem causam, qua suscitemus et uobis & toti orbi nauseam & Apostasiam, ab execratis illis et abominandis ordinibus. Et infra. Et plane salutis nostræ ratio cogit necessario, ab illorum execratis & dammatis ordinibus abstinere. Væ enim illis, qui huic aduersario Dei & Baal Peor, sese initiauerint iam scientes & prudentes. Verum hæc ratio præ cæteris Nationibus, uos Bohemos maxime mouere debet. Nam uobis non modo in conspectu Dei, quemadmodum cæteris, sed & turpe coram hominibus est, ordines ab hoste uestro tum petere, tum suscipere, qui Ioan. Hufs & Hieronymum Pragensem, cum multis alijs pessimo nomine exulsit: qui semper uos extinctos uoluit: qui uos hæretici nominis opprobrio, sine fine, sine modo, per orbem conspurcat: cuius pestilentibus conatibus uos tanto sanguine

Eorūdem  
iustificatio.

Cōtra Pa-  
pam suadet  
Lut. Bohe-  
mis.

guine restitistis. Necdum tamen illum sanguinarium Tyrannum suorum flagiciorum pœnitet, nec reuocat sanguinis innocenter damnati exemplum, nec restituit sacrilegum Christiani nominis spoliū. Hæc & id genus multa, in Papam quidem atrocissime, & in sacros ordines impiissime; sed ad Bohemos omnino inaniter & uanè deblaterauit. Illi enim Lutheranos longe magis odio habent, quam Catholicos. Nam adhuc hodie perdurat Pragg Ecclesia Catholica in priscis patrum ritibus, & per omnem Bohemiam est passim reperire sacerdotes, Monachosq; Catholicos, ut nō sit dubiū, si Lutherus Pragæ depræhenderetur, grauissimas daturus esset pœnas libri, usq; adeo impij, falsiq; et famosi. Scripta enim eius publico Senatus Edicto ibi sunt interdicta generaliter. Nec feliciori auspicio scripsit & ad Iudæos Teuthonice, quod Iesus, Deus & saluator noster, natus sit uere Iudæus. Quamuis enim & in eo libello grauissimis Catholicos oneraret calumnijs, multisq; blandicijs applauderet Iudæis; Iudæorum tamen nullum prorsus ad Christum conuertit, sed magis in Christianos exasperauit, & in Christiane fidei contemptū incitatos, in Iudaica cæcitate obdurauit. Plebem deniq; Germanicā fœdissimis adulationib. ac rudissimis scripturæ prætextibus cōstituit alio libello iudicem doctrinarū & decretorū, non modo Papæ & Episcoporū; uerū etiā Generaliū Conciliorū. Sic enim ait inter cetera. In huiusmodi negotio, nempe ad iudicandū doctrinas, et ad instituendū ac destituendū Doctores, aut animarum curatores, nihil prorsus attendere oportet, hominū leges, iura, mores, usum, consuetudinem, &c. Siue à Papa, siue ab Imperatore; à Principibus aut Episcopis, ita statutū sit: An mundus totus aut dimidius ita tenuerit, siue uno aut Mille annis durauerit. Anima enim hominis res æterna est, super omne quod temporale est: Ideo eterno duntaxat uerbo regi debet. Item, Hominum (inquit) uerba ac doctrinæ constituerunt & ordinauerunt, Iudicium super doctrinis cōmittendum esse Episcopis, Doctoribusq; & Concilijs: Quicquid illi concluderint, totum mūdum accipere debere pro iure & pro articulo fidei. Vide autem, ista gloriatio eorum, qua uniuersum mundum sub iugum miserunt, quā impudenter ac stulte pugnet contra legem & uerbum Dei. Christus enim directe contrariū statuit, auferens ab Episcopis, doctisq; & Concilijs utruq;: Nempe ius, & potestatem iudicandi doctrinas, ac tribuens utruq; unicuiq; et omnibus Christianis uniuersaliter. Quando ait Ioan. 10. Oues meę cognoscunt uocem meam. Item. Oues meę non sequuntur alienos, sed fugiunt ab eis; quia non cognoscunt uocem alienorum

Luth. ad Iudæos; In quos postea inuecti uas scripsit acerbissimas.

Adulatio ad plebem; de iudicanda doctrina.

1000. l. 1000. l. 1000.

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10

Vocem pasto-  
ris audire &  
sequi, non iudi-  
care debet. Vo-  
cem autem alie-  
norum, nec au-  
dire nec sequi  
debent uer.e  
oues Christi.  
Fures & latro-  
nes heretici  
sunt: Non ij,  
qui ordinarij  
& legitimi  
pastores cōsti-  
tuti sunt.

rum. Item. Quotquot uenerunt, fures sunt & latrones: Oues autem illos non audiunt. Hic omnino clare uides, cuiusnam sit ius iudican- di doctrinas. Episcopus, Papa, Docti, & unusquisq; habet potesta- tem docendi: Oues autem iudicare debent, an illi doceant uocem Christi, an alienorū. Quæso, quid hic contradicere queant Aqua- rum Bullæ, quæ strepunt, Concilia Concilia, Oportet Episcopos, doctos & generalitatem audire: Putasne uerbum Dei cedat tuo ue- teri usui, consuetudini, Episcopis: Nunquam. Quis iam non uidet hic, omnes Episcopos, Collegia, Monasteria, Vniuersitates cum toto corpore suo, contra hoc clarum uerbum Christi furere: quod impudēter adimunt ouibus iudicium doctrinarum, quod sibi ipsis uendicant, per proprias constitutiones & temeritates. Idcirco & certissime pro latronibus & furibus: pro lupis et Apostaticis Chri- stianis habendi sunt, tanquam ij, qui hic manifeste conuicti sunt, quod uerbum Dei non solum abnegant: uerum etiam contra illud statuūt aguntq; sicut decuit Antichristū: regnūq; eius facere, iuxta prophetiam S. Pauli, 2. Thess. 2. Et infra. Seditiosa illatione conclu- dit, uelut uictoriæ certus, quod per hoc solum abunde meruerint, ut ex Christianitate pellantur, & fugētur uelut lupi, fures & latrones, qui contra Dei uerbum & uoluntatem super nos dominantur & docent. Ipse tamen superbissime, ius ferendarum legum, quod Papæ, omnibusq; Episcopis & Concilijs uult ademptum, sibi arro- gauit & usurpauit, non solum in rebus Ecclesiasticis: uerum etiam in ciuilibus. Adidit enim eodem anno diuersos suarū legū libellos Teuthonicos. Vnum de formula baptizandi: Alterum de institu- tione cultus diuini, Tertium de communi fisco. In quem deputabat primum sane fundos, & bona omnium Monasteriorum campe- strium, Ordinis Benedictini, Cisterciēsis, Cœlestini &c. De quibus ait, melius fuisse, si nullum eorū fuisset unquam super terram: Cum autē iam sint, optimum fore, ut interire sinantur: aut si commode fieri queat, ut funditus & omnino tollantur. Deinde similiter ad- dicebat communi fisco fundos & bona, atq; etiam oppida Episco- patuum Collegiorumq; & Capitulorum, nisi forte magis placeret, sæculares ex ijs Principatus facere. Et uniuersaliter omnes benefi- ciorum Ecclesiasticorum prouentus censusq; & bona, eidem fisco adiudicabat. Ceterum Cœnobia fratrum mendicantium, in ciuita- tibus, iubebat conuerti in scholas puerorum & puellarum, aut in alios publicos usus ciuitatis. In distributione uero, prima pars Pa- storis & Concionatoris erat, atq; Prepositorum fisci & custodum templi. Altera Rectoris scholæ utriusq; sexus. Tertia pro senibus & infirmis, Quarta pro Orphanis, Quinta pro plebe obærata, Sexta pro

Leges Lut.

Liber de  
Communi  
fisco.

Nota de sumis  
Eratu distribuit

1  
23  
450

pro mercenarijs aduenticijs, Septima pro ædificijs, Octaua pro 7  
 coëmenda siligine tempore fertilitatis. Cautum præterea fuit, ne  
 posthac ullus admittatur Terminarius Monachus, aut Stationa-  
 rius, nullus aduentitius scholaris, nullus mendicus &c. Absente  
 Comitia Nurenber-  
 ga habita.  
 tum procul in Hispanijs CAROLO Cæsare, celebrabantur  
 Comitia Imperialia Nurenberge à Vicario Imperij, fratre eius Fer-  
 dinando, Archiduce Austriæ &c. In quibus sane multus uariuscq;  
 tractatus fuit in negotio fidei. Nam & Adrianus Sextus, Roma.  
 Pontifex, quendam eo miserat Archiepiscopum, Franciscum Che-  
 regatum, uirum disertum, cum plenissima instructione, & paterna  
 oblatione: ad mitigandos animos Germanorū, ne prorsus à Sede  
 Apostolica abalienarentur, Nam & ipse Germanus erat, & summa  
 laude integritatis uersatus fuerat in Aula Cæsaris, cui & fidelissi-  
 mus extiterat Præceptor disciplinarum, non solum apud Germa-  
 nos: uerū etiam apud Hispanos, quos & rexerat, dum abesset pro-  
 cul in Germanijs Hispaniarum Rex Catholicus, Cæsar. At quan-  
 to benignius sese offerebat Pontifex, tanto ferocius agebant Lu-  
 therani. Quippe Lutherus ipse, ubi uidisset Breue Apostolicū Adri-  
 ani (quo is à Lutherismo dehortabatur Christianos, ut erat uir  
 doctissimus ac summus Theologus) conuictiosissimum in eum ædi-  
 dit libellum. Et reliqui Lutherani maxime quiritabantur contra ab-  
 usus Ro. Curie, de quibus tamē abolendis, Pontifex ipse benignif-  
 sime omnem operam suam ultro pollicitus fuerat. Proposuerant  
 quidem Imperij Principes quædā Grauamina, quibus inique gra-  
 uari uideretur Natio Germanica, non solum à Curia Romana, ue-  
 rum etiam ab Episcopis & Prælati Germaniæ: Et proposuerant  
 ea non modo Nurenbergæ in Comitijs, uerum etiam Vuormaciæ  
 prius coram Cæsare. At Lutherani omnia ad sinistram & ini-  
 micam intentionem suam detorquentes ac deprauantes, sumpta  
 inde occasione, ædiderunt librum tum Latine tum Germanice, cui  
 Titulum fecere, Centum Grauamina Germaniæ. In quibus sane  
 recensendis non solum maligne in odium Papæ & Cleri omnia  
 exaugebant, & in peiorem partem interpretabātur: Verum etiam  
 impie pleriscq; antiquissimis Cæremonijs Ecclesiæ, quibus Episco-  
 pi & Clerici in suis functionibus rite utuntur, derogabant, & ab-  
 rogatas uolebant. Atq; ut odium in Papam adhuc magis adau-  
 geretur in populo, adiunxerunt etiam summas omnium Annata-  
 rum, quas totius orbis Episcopi, loco primitiarum, summo Pontifi-  
 ci, in confirmatione sui, adnumerare solent: ut longe grauissima ex-  
 actio & infinita prorsus pecunia uideretur quotannis à Papa exi-  
 gi inique. Cūq; Principes Nurenbergæ Imperiale promulgassent  
 H Edictum,

Liber Cen-  
 tum Gra-  
 uaminum  
 Germaniæ.

Edictum, ut contra nouitates Lutheranas Concionatores uterentur probatis Ecclesie doctoribus, & receptis Euangeliorum expositionibus, Lutherus illud friuolo commento in partem suam trahens, ædidi libellum contra peruersores ac deprauatores Cæsarei Mandati. Ea sane ratione, eoq; doli prætextu, ut populus existimaret, Principes in Edicto stare à parte Lutheri.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini*

*M. D. XXIII.*

Canonizatio S. Bennonis.



Celebris Populi concursus in die S. Bennonis.

Bierati autem diem Papa Adrianus Sextus, uir Germanus et uitæ priuatim integerrimæ, qui cum audisset, ac certis testimonijs comprobata accepisset, præclara & merita & miracula Beati Bennonis, Misnensis olim Episcopi: retulit cum sollemniter singulari Sedis Apostolicæ autoritate, in numerum Diuorum. Cuius rei sollicitus maxime erat: eiusdem Ecclesie, Misnensis Episcopus, Ioannes à Schleinitz, uir nobilis iuxta piusq; & eruditus, ac itinerum laborumq; toleratissimus: Qui ope et consilio p̄i ac maxime Orthodoxi Principis, Saxonie Ducis Georgij, ossa & reliquias Beati Patris, Bennonis iam Canonizati, uenerabiliter in maxima populi frequentia, ex terra & uetusto tumulo in altum subleuauit, ac annuū eius memorie festum Autoritate Apostolica instituit. Ea igitur celebritas & fama pietatis antiquæ, maxime obscuratura uidebatur barbaricas Lutheri nouitates. Vnde factum est, ut ira inuidiaq; accensus, conuictiosissimum simul et impiissimum ædiderit mox libellum Lutherus, cui Teuthonice hunc dedit Titulum, Aduersus nouum Idolum, & antiquum Diabolum, qui Misne exaltandus est: Festinans nimirum, ut suo libello populos ab ea deuotione auerteret. Sed frustra pium ac Inclytum cæli incolam oppugnauit impius & infamis Terrigena. Tanta enim populi frequentia & fuit tunc, & quotannis eo die, quo S. Bennonis reliquie solenni Apotheosi sublimatae sunt, esse solet, ut Deus ipse uideatur pia populi simplicitate ac deuotione, irridere ipso facto stultos & impios uersuti & uerbosi Apostatae conatus. Nam Misna uix Decem Miliaribus distat à Vuittenberga: urbs utraq; ad ripam Albis posita, à nobilissimis Principibus claritatem accepit: hæc à Marchionibus Misnæ, quorum maximus numerus ibi sepultus requiescit: Illa à Ducibus Saxonie, ut Electori Saxonico propria sit. Ex eo itaq; opere Dei Lutherus, si non esset impia rebellionem prorsus obsecatus, merito considerare deberet, se frustra calcitrare

citrare contra stimulum, cum tot habeat in propinquo etiam ex  
 rustica plebe aduersarios perpetuo. At uir temerarius, inani fi-  
 ducia plenus, uane sperabat, se pestilenti conuictorum libello auer-  
 surum ab ea celebritate populum. Mille igitur mendacijs detractio-  
 nibusq; suggillabat, non solum uitā miraculæq; Bennonis: uerum  
 etiam pium factum Papæ Adriani, ac probatissimorum retro san-  
 ctorum pietatem, Gregorij Septimi, & Thomæ Aquinatis: non ti-  
 mens, historiæ ueritatem ubiq; peruertere. Etenim S. Bennonem  
 calumniabatur, quod adulatus fuerit contra Cæsarem Henricum  
 Quartum, Gregorio Papæ septimo, eiq; adhæserit inique contra  
 ius & fas, & in omni scelere adiuuerit illum. Quid ergo (inquit) ex-  
 altant nunc Misnenses? Multiplicem latronem & sanguinarium,  
 causam omnis calamitatis in Germania: hostem Euangelij, ac so-  
 cium Antichristi, cui adhæsit, eiusq; iniquitatis particeps factus est.  
 In Gregorium uero Papam septimum, cui multa est laus in uera hi-  
 storia, hanc ferebat ex folio Vuittenbergensi sententiam, Quod  
 contra Imperatorem Henricum Quartum egerit, uelut proditor et  
 nequam: quod filium contra Patrem concitauerit: quod in excom-  
 municatione illum mori dimiserit, idq; totum fecerit propter tem-  
 porales opes pompasq; & potentias. At satis constat ex historijs,  
 illum Gregorium ab Imperatore inique uexatū, obsessum atq; eie-  
 ctum fuisse, & in exilio diem obiisse, longe ante obitum Henrici  
 Quarti: atq; etiam ante dissidium, quod inter patrem & filium post  
 in Imperio exortum fuit. Cæterum cum Adriani sexti uita sic esset  
 apud Germanos laudibus celebrata, ut citra eorum offensam uitu-  
 perari non posset: alijs cauillis eius autoritatem et famam labefacta-  
 re conatus est, Ait igitur in eodem libello. Primum, ut à summo  
 exordiamur, pulchre contigit, ut Sathan iste Misnensis exaltar etur  
 per Papam Adrianum. Quanquam enim audio de illo Adriano,  
 quod fuerit splendidæ ac laudatæ uitæ, fuit tamen (ut huiusmodi  
 hypocritæ solent) pessimus hostis Dei & eius uerbi, Propter ipsum  
 duo admisit homicidia Bruxellis duosq; martyres Christo parauit,  
 ac eos ignorans nolensq; uere sanctos exaltauit. Et post pauca. Agi-  
 tur hic admodum Papaliter, Quemadmodum & Constantiæ in  
 Concilio actum fuit, ubi Ioannes Hufs et Hieronymus Pragensis,  
 dānati & exusti sunt, uere sancti filij & martyres Dei. Contra uero  
 Thomas Aquinas, fons & sentina omnis hereseos, errorisq; et ex-  
 tinctionis Euangelij (sicut indicant libri eius) exaltatus fuit: Ita &  
 nunc facere oportet Magistrum Adrianum, Veros sanctos, Ioan-  
 nem & Henricum, exusit Bruxellis: nunc contra exaltat Benno-  
 nem, immo ipsummet Diabolū, Singulare Ro, Pontificū officium

Blasphemiae Lut. in  
 sanctos  
 Dei.

Calumniæ  
 in Adrianū  
 VI. PP. &  
 in S. Tho-  
 mam.

H ij est,



est, oportet eos ita agere, ueros sanctos interficere, falsos sanctos exaltare: uerbum Dei damnare, suam propriam doctrinam confirmare, ac deinde dicere, Totum fieri in honorem Dei & sancto-

*Dilutio Calumniarū.* rum eius &c. Cæterum ad huiusmodi eius calumnias graui-  
ac erudite respondit Teuthonice Hieronymus Emser, qui & uitam  
B. Bennonis longe prius elegantissime descripserat libro Latino,  
antequam Lutheri nomen fuisset orbi cognitū. Et Adrianum Pa-  
pam à Lutheri calumnijs uindicare poterant uerba omnium Prin-  
cipum, & Statuum Imperij, quæ Nurenbergæ in Comitijs respon-  
derant Nūcio Apostolico: Nempe, quod nouerint illum ex nobi-  
lissima Germanica natione originem traxisse & natum esse, eiusq̃  
eximias ac præstantes animi & corporis dotes uirtutesq̃, toto fere  
orbe, etiam dum in minoribus fuisset, celebratas, iam pridem per-

*Card. Campegius Legatus Clementis VII.* spicuas habeant &c. Mortuo autē Adriano Papa, post longam  
in conclauis consultationem, electus est Iulianus de Medicis, Agna-  
tus Leonis X. Florentinus, Cui inditum est nomen CLEMEN-  
TI Septimo. Qui cum audisset, Imperialia Comitia rursus celebra-  
ri Nurenbergæ, transmisit eo insignem inter Cardinales, integri-  
tate sapientiæq̃ & eruditione uirum, Reuerendissimum Domi-  
num Laurentium de Campegijs Bononiensem: Qui post obitum  
uxoris suæ, ex Academia Bononiensi, ubi Patri suo Clariss. Iurif-  
consulto, in publica Iuris professione successerat, Romam euoca-  
tus, mox Auditor Rotæ factus fuit, & breui sic inter cæteros Rotæ  
Auditores sciētia et probitate emicuit, ut dignus uideretur, qui in ar-  
duissimis Papæ negocijs mitteretur in Germaniam ad MAXI-  
MILIANVM Imperatorem. Apud quem ita se gessit, ut eius  
fauore fieret primum Episcopus Feltrensis, deinde & Ro. Ecclesiæ  
Cardinalis. Is igitur non solum Papæ, uiro alioqui prudentissimo,  
uerum etiam toti Cardinalium cœtui, quorū iudicio nihil exactius  
habet orbis: apertissimus uno omnium uoto uisus est, ut mitteretur Le-  
gatus de Latere, non solum ad Germaniam, uerum etiam ad Un-  
gariam & Bohemiam. Nam ultra eruditionem multamq̃ & lon-  
gam rerum experientiam, habebat etiam familiarem cum plæ-  
risq̃ Germaniæ Principibus notitiā & amicitiam. Ille ergo Ro-  
mam egressus Calendis Februarij, per Italiæ urbes iter faciens, ac  
honorificentissime ubiq̃ exceptus, Bononiæ in patria sua (ubi &  
Episcopus erat) diebus aliquot substitit in domo paterna, & Missa  
solenniter in Cathedrali Ecclesia celebravit, præsentem maximam  
populi multitudinem. Vbi uero Germaniæ fines attigisset, acceptis  
Principum ex Nurenbergæ literis, properantius ad illos perrexit.  
Cumq̃ illuc peruenisset, obuios quidem extra portā habuit omnes  
fere

*Aduentus  
Legati ad  
Comitia  
Nurenber-  
gæ.*

fere Principes (nam unus aut alter mala ualitudine retinebatur) Germaniæ, simul cum ipso Imperatoris locum tenente, Archiduce Austriæ FERDINANDO. Verum ab illis benigne admonitus, urbem illam non eo habitu intrauit, quo solent Legati Apostolici Cardinales, propter circumfusam plebem Lutheranam, quæ assiduis concionibus à suis Prædicatoribus, concitabatur in odium & contemptum Papæ totiusq; Cleri. Ne igitur in summo honore despectui, risuq; fieret per habitum sollennem, & illi populo insuetum, communi habitu, quo per sylvas & campos ierat, per mediam urbem usq; ad hospitium suum, cui nomen erat Aureæ Cruci, inter conducentes Principes processit, sine Clero & sine præuia cruce. Clerus nanq; qui occursum illi, conuenerat in æde Diui Sebaldi, retentus est ibi clausis ualuis, ita ut ne uidere quidem illum potuerit intrantem. Posteaquam datus ei fuerat Senatus & confessus Principum in Curia urbis, gemina ibi oratio habita est: Vna ab Episcopo Scarense, Ordinis minorum, Italo Potentino, uiro disertissimo, qui in comitatu et familia Legati erat: Altera ab ipso Legato, qui summa grauitate, post captatam ex paterno Papæ erga Nationem Germanicam affectu, suoq; in Germanos multiplici officio & obsequio, beneuolentiam, orabat Principes & Ordines Imperij, ut gliscenti Lutherane factioni, quæ machinaretur non modo religioni & Sedi Apostolicæ: uerum etiam uniuersæ Reipublicæ legibus bene constitutæ, ultimum exitium: fortiter obfisterent, serio contrairent, ac efficaciter Papæ Cæsarisq; sententias exequerentur. Se pro antiqua erga ipsos beneuolentia & diuturna cum Germanis familiaritate, præstiturum omnia pollicebatur, quicquid honeste à Sede Apostolica impetrari possit: maxime quantum ad Nationis grauamina spectaret, modo darent ipsi operam, ut extincta hæresi Lutherana, crudelissimis Turcarum conatibus bellisq; & irruptionibus potenter obuiari queat. Post paucos deinde dies, aduenerunt item à Rege Vngariæ & Bohemiæ LUDOUICO, cui nupta erat soror Cæsaris Maria, Oratores, qui in publico Principum Legatiq; Apostolici confesso, eruditam quidem, sed flebilem ac supplicem habuere Orationem: qua lachrymabiliter orabant & obsecrabant Principes & Ordines Imperij, ut Regi Regnoq; Vngariæ in extremo periculo constituto, contra Turcarum impressiones, opem ferrent. Quia Vngari diuturnis bellis fatigati et exhausti, non sufficerent amplius suis tantum modo uiribus, tam potenti hosti resistere. Post habitas orationes multa deliberatio Principum, uariisq; tractatus, totum Quadragesimo tempus sibi desumpserunt. Tandem uero decretum est communi Prin-

Duæ orationes ad Principes

Tertia ad eosdē per Oratores Regis Vngariæ.

cipum Statuumq; Imperij consensu, ut per intercessionem Cardi-  
 nalis Legati, consentiente item Cæsare, summus Pontifex quàm-  
 primum indicat liberum et Generale Concilium in Germania cele-  
 brandum, per quod dissensio Lutherana sopiatur, radicitusq; tol-  
 latur: Interim uero, ut scire posset unusquisq; quid agere aut credere  
 debeat, alia indicerentur Comitata, mox post festum S. Martini Spire  
 habenda, propter quæ, ut eo efficacius salubriusq; in illis agi ac de-  
 cerni posset, unusquisq; Principum ac Statuum Imperij, doctis in  
 sua ditione uiris id curæ & negocij committeret: ut ex Lutheri libris  
 alijsq; nouis doctrinis, bonum à malo seligerent, ne bonum cum  
 malo pariter supprimeretur, atq; etiam grauamina Germanicæ  
 Nationis, quæ inferuntur ei tum à Sede Romana, tum ab Ecclesia-  
 sticis Germaniæ, quàm diligentissime expenderent, atq; ad tolera-  
 bilem modum redigerent. Cuncq; instructio Cæsaris, quàm Ora-  
 tori suo Ioanni Hannardo inter Secretarios suos supremo, ad  
 Principes & Status perferendam tradiderat, instanter deposceret,  
 ut Edictum Vuormaciense, quod cōsensu omniū cōmuni promul-  
 gatum fuerat, efficaciter demandaretur executioni, factisq; appro-  
 baretur, non solū uerbis: Additū est in Decreto Nurenbergensi, ut  
 omnes Principes ac Status Imperij, Edictū illud, quātū eis possibile  
 sit, exequerentur, eiq; & obedirent & conformarent sese. Præterea  
 de ope Regi Vngariæ contra Turcas ferenda, cum summa & ine-  
 uitabilis posceret necessitas, ut Turcæ conatibus in tempore, &  
 quàm primum potenti manu resisteretur: decretum fuit, ut iuxta  
 notulam cōtributionis generalis, unusquisq; Principum & Statu-  
 um, cum quoq; articulū summa deliberatione expenderet, ut de eo  
 pariter concludi ac efficaciter in proxime futuris Comitijis Spire  
 decerni possit. Dum uero Nurenbergæ consisterent Principes  
 & Status Imperij, grauis & periculosa facta est in Germania No-  
 bilium coniuuratio, autore Francisco de Sicking, quem ad res nouas  
 impellebāt seditiosis suggestionibus Apostata, præsertim Oecolā-  
 padius & Bucerus, Monachi uxorati & excucullati, ut sub Euāgelij  
 defensandi prætextu, Ecclesiasticorū principatus & bona occuparet.  
 Indixit itaq; bellum Archiepiscopo Treuerēsi, sed ita, ut mox post  
 missas ad eum literas hostiles, armato exercitu subsequeretur, atq;  
 unum ex oppidīs eius inuaderet, quo capto, protinus ad moenia  
 Treueris, ciuitatis Metropolitanæ, exercitum recta duxit & admo-  
 uit. Et nisi Archiepiscopus ipse opportunè in ea tum urbe fuisset,  
 & sua industria (ut erat uir prudens, ac laborum tolerans) omnes  
 illi aditus præclusisset, actum fuisset, non modo de ciuitate illa: ue-  
 rum etiam de toto illo Archiepiscopatu: immo de omnibus (ut mul-  
 torum

Cōiuratio  
 Nobilium  
 per Francis-  
 cum de Sicking.

Obsidio  
 Treueris.

torum erat metus) Episcopatibus Collegijsq; & Monasterijs Germaniæ. Nam ex urbis illius direptione, totus eius exercitus ditari potuisset, ac mox innumera seditiosorum turba, ad illius fame odorem se illi coniunctura fuisset: haud secus, atq; solent corui & uultures ad cæsa congregari cadauera. Cæterum ubi primus irrupentis impetus est fortiter ab Archiepiscopo repressus, additus est obsessis animus & propugnandi alacritas, ut nulla deinceps obsidentibus esset spes urbis potiundæ. Intra paucos itaq; dies, dum frustra obsideret urbem, & uicinorum Principum auxilia metueret Franciscus, obsidionē soluit, exercitumq; in glorius dimisit. Archiepiscopus uero, cū cœdus iniisset cum Duce Bauariæ Ludouico, Comite Palatino Rheni, Principe Electore, & cū Principe Philippo Lantgrauio Hasiæ, quorum uterq; non cōtemnendis pollebat uiribus opibusq;, & cæteris ad bellum necessarijs rebus: ut eam ulcisceretur iniuriam, opem illorum implorauit. Tres itaq; Principes isti, coniunctis in unum uiribus, primum profecti sunt per Francofordiam, urbem Imperialem (quæ super Mogonum fluuium pontem habet lapideum, operose constructum) aduersus Hartmannum à Croneberg. Cuius munitissima arx, in ædito colle sita, cum subiecto oppido eiusdem nominis, nempe Croneberg, non multum ultra Germanicū militare unum, à Francofordia distabat. Is enim Hartmannus, uir pulcher, fortisq; & opibus florens, quum literis libellisq; à Luthero illectus in sectã, sanguine item & familiaritate Frãncisco cōiunctus, aduersus Archiepiscopū Treuerensem palã auxiliatus illi fuisset: dignus uisus est, qui primus daret pœnas. Verum ubi uidit Principes illos magno cum apparatu belli, cum curribus & equitibus peditatuq;, & magnis Bombardis aduentare, relicto in arce ualido præsidio, clam aufugit. Principes igitur admotis machinis & Bombardis, cœperunt horribili fragore ferreos globos eiaculari è Bombardis magnis & oblongis, quibus ualidissime quatiebantur & muri & petræ: adeo, ut sonitus ille etiam Francofordiæ in ædibus ciuium exaudiretur. Obsessi autem, uidentes se neq; uiribus resistere, nec uim fragoris & oppugnationis diu sustinere posse, pacti uitam, tradiderunt arcem, qua tradita, incolumes dimissi sunt. Per eum ergo modum pulcherrima est exutus possessione honorū auctorum Hartmannus ille, quam Hasiæ Lantgrauius in hodiernum usq; diem obtinet. Cæterum iidem tres Principes impetum belli conuersuri erant in Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum, non quod ille ullam bello causam per sese dedisset: sed quod Nobiles nonnulli, qui officiales & stipendiarij eius erant, Franciscum adiuuissent contra Treuerensem. Ne ta-

Oppressis bello & arce sua exutus Hartmannus à Croneberg.

Tractatus de pace Triū Principum, cū Cardinale Moguntino

men temere bellum ei inferri uideretur, conuentum est utrinque, ut Francofordiæ prius res per colloquium discuteretur. In quo sane tractatu, excusata quidem fuit etiam ab aduersarijs ipsius Cardinalis persona, tanquam per sese innocens ab omni culpa. Verum incusati fuerunt Nobiles aliquot: utpote Frobenus ab Hutten, Curie Archiepiscopalis Prefectus, Casparus Lerchus Marefcalcus, & quidam alij. Quin etiam de Capitulo Maioris Ecclesie Moguntinæ nonnulli Canonici habebantur suspecti, quod consilio & auxilio Franciscum illum adiuuissent. Nisi igitur Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus reos illos dederet, trium Principum arbitrio puniendos, fore dicebant, ut ei bellum inferretur. Dum autem super ea re consultaret Cardinalis & Franciscus, qui nondum profligatus, sed adhuc potens erat, magna polliceretur auxilia: Quemadmodum & alij Nobiles, atque etiam frater eius Germanus, Dominus IOACHIM, Marchio Brandenburgensis, Princeps Elector &c. Qui omnes suadebant, bellum potius suscipiendum esse, quam faciendum iuxta uoluntatem illorum trium Principum: ipse Cardinalis, qui pacem maxime amabat, ut humani sanguinis effusionem præcaueret, maluit uel innocens pecuniaria pœna mulctari, quam bello experiri fortunam. Conuentum est igitur post uarias interloquutiones, ut propter damna, per Franciscum auxilatoresque eius Treuerensi Archiepiscopo illata, Cardinalis numeraret XXV. Milia aureorum, Nobilesque eius & ueniam peterent, de auxilio iam præstito, & bona fide promitterent, se de cetero nullum Franciscum aduersus Treuerensem, consilium auxiliumue præstituros. Quod cum recusarent facere illi, relictus sunt arbitrio suo. Ceterum Cardinalis non poterat eos contra pacis pacta retinere apud se. Alij uero Principes habuerunt illos pro hostibus. Itaque Lantgrauius Hallsie in itinere, quo domum reuertebatur, uel occupauit arces & oppida Domini Frobeni ab Hutten, Equitis Aurati, Magistri Curie Moguntinensis: uiri alioqui prudentissimi, ac magnæ tum autoritatis, tum opulentie: Qui postea in tumultu rusticorum, multa enituit uirtute, ac bona sua recuperauit. Instabat autem iam hyems, que sua asperitate prohibebat, uel castra metari in campo, uel obsidere arces aut oppida. Tres itaque Principes aduersus Franciscum confederati, dimisso exercitu, domum redierunt, ut primo Vere rursus in arma conuenirent. Fauerat gratiose Franciscum Princeps Elector, Palatinus Rheni, multis retro annis: Atque etiam interposuit se, uelut sequestrum & arbitrum pacis, inter Archiepiscopum Treuerensem, & Franciscum illum. Verum ubi uidit Franciscum æquas pacis conditiones recusare, suisque uiribus auxiliisque nobilium confidere plus æquo

æquo, relicto eo, cœpit adiutare partes Archiepiscopi. Cœpit igitur inde labare fortuna Francisci, qui ad eam usq; diem multis successibus bellicis clarus habebatur. Nam grauissima intulerat damna Hassiæ Lantgrauio, dum puer esset ille, patre adhuc infans orbatu: & urbem Metensem obsidens, florentissimam ciuitatem ad dispēdiosas pacis conditiones coegerat, multisq; alijs formidabilis extiterat. De quo scripserat occulte ad Vricum Huttenum suum Lutherus, se plus confidentiæ erga illum gerere, maioremq; in eo spem habere, quàm habeat in ullo sub cœlo Principe. Dolens ergo Lutherus Francisci aliorumq; Nobilium, qui maxime Evangelici dicebantur, casum: nactus ex Decreto Nurenbergensi cauillandi occasionem, furiosissimis conuitijs in Principes, uindictæ libidine, debacchatus est. Etenim ædidit libellum Teuthonicum, cui hunc in frōtispicio dedit titulum. Duo Cæsarea mandata, discordia & contraria ad Lutherum spectantia. Intus uero in libello premisit Epistolam ad omnes Christianos Germaniæ, & eā usq; adeo atrocē, ut in modum rabidi canis, irasci ac lethaliter (si Deus permisisset) mordere uideretur. Postquam, ceu præfationem quandam, subiunxit Edictum Vuormaciense, cui mox adiunxit Mandatum Nurenbergense, quod scriptum fuit ad Comites à Mansfelt. Ad cuius finem rursus euouit in Principes, quicquid in præfatione reliquum iræ suæ fecerat. Ait igitur in præfatione. Hæc Duo Imperialia Mandata imprimi curauī, ex magna compassione super nos miseros Germanos, si forte Deus per hoc Principes quosdam & alios tangere dignetur, ut palpare ac sentire possint (non enim opus est uidere, porci & asini uidere possent) quàm cæcè ac obstinate agant. Turpe quidem est, Cæsarem & Principes manifeste mendacijs niti: at turpius est, eos simul ac semel contraria ædere mandata, sicut hic uides, ubi præcipitur, ut mecum agatur iuxta Edictum Vuormaciense: contrarium nihilominus mandatum recipiatur, ut in futuro Conuentu Spirensi primū tractetur, quidnam boni & mali sit in doctrina mea. Hos certe oportet esse ebrios ac uasanos Principes. Et infra. Boni Principes (inquit) & domini, uos nimium festinatis mecum, homine paupere et unico, ad mortem: & ubi hoc factum fuerit, iam uicistis. Si autem haberetis aures, quæ audirēt, aliquid rari uobis dicturus essem. Quid si Lutheri uita apud Deum tanti æstimeretur, ut nisi uiueret, nullus uestrum uitæ aut domini sui certus foret, eiusq; mors omnium uestrum calamitas fieret: non iocandum est cum Deo. Pergite modo alacriter, occidite & exurite, ego non cedam, si Deus uult: hic sum, & uos perquam amice rogo, cum occideritis me, ne me suscitatis iterum, ac denuo occidatis.

Gesta Francisci de Sic king.

Seditiosa scripta Lutheri, in Principes.

Luth. cōtra duo Mandata Imperialia.

datis. Deus dedit mihi, ut uideo, negocium non cum rationalibus hominibus, sed Germanicæ bestię debent me occidere, si dignus sim, perinde ac si lupi aut porci me dilaniarēt. Item. Et si occiderint me, talem facturi sunt necem, quam nec ipsi, nec filij eorum, superare poterunt. De quo eos malle premonitos, et certe eis non opto, sed nihil prodest. Deus excecauit & obstinauit eos. Et rursus. Vere uere pre manibus est infortunium quoddam, & ira Dei inualefcit, quam uos non effugietis, si sic perrexeritis. Quid uultis boni Domini? Deus uobis nimis prudēs est, statim effecerit uos stultos. Nimis itē potēs est, statim uos interfecerit. Pars una eius Diēterij dicitur. Deposuit potentes de sede. Hoc & uobis nunc dictum sit, boni domini, si non attenderitis. Hęc ille in sua præfatione. In peroratione uero adhuc uehementius seditiosusq; in illos inuectus est. In fine (inquit) oro omnes pios Christianos, dignētur simul precari Deū pro eiusmodi miseris & excæcatis Principibus, quibus nos Deus tribulauit in magna procul dubio ira: Ne sequamur eos, ad proficiscendum aut ad contribuendum contra Turcas. Quandoquidem Turca decies & prudentior & probior est Principibus nostris, Quid huiusmodi fatuis contra Turcā prospere succedat, qui Deum tam alte tentant & blasphemant? Hic enim uides, ut miser mortalis uermium seu tarniorum saccus, Imperator, qui uitę suę nec uno ictu oculi certus est, impudenter se iactitat uerum et supremum Catholicę fidei defensorem. Et infra. De his conqueror ex imo corde cunctis probis Christianis, ut mecum commiserentur super eiusmodi stolidos, fatuos, insanos, furiosos & amentes Moriones. Aliquis decies potius mortuus esse deberet, quam tales blasphemias & contumelias Diuinę Maiestatis audire. Immo promeritū est premiū, quod persequuntur uerbum Dei: ideo debent sic palpabili cæcitate puniri ac impingere. Deus nos ab ipsis liberet, aliosq; nobis ex gratia det Regentes Amē. Hęc est irati Lutheri conclusio. Lutheranis aut ciuitabus non adeo displicebat Nurenbergense Decretū. Nam cum multos haberent Concionatores disertos, linguarumq; peritos, sperabant, ubi res in examen deduceretur, eos scripturis præuoluituros esse. Mense igitur Iulio congregati Spirę Oratores Imperialium ciuitatum, quorum magna pars Lutheranę erat sectę: Decretum illum explanando, sic inter sese decreuerunt, ut liberę ac Imperiales ciuitates: eę præsertim, quę apud se haberent sacrę scripturę honestas, doctas, expertas ac intelligētes personas, ipsis summa diligentia cōmittant, ut super punctis & articulis, nostram sanctam fidem Christianā tangentibus: & ijs præcipue, qui summe ad malū intellectu disputabiles sunt: fideliter ac cū diligētia cōsidentes debite

Cōuitia in  
Principes.

Cōuitium  
in Cæsare.

Decretum  
ciuitatum  
Lutherana  
rum Spirę.

debite perpendant, suamque consultationem in scriptis offerant Senatui, qui eam suis Oratoribus ad futurum conuentum Imperialem destinandis tradat, ubi omnibus omnium ciuitatum consultationibus in unum collatis, una ex omnibus communis fiat consultatio, qua ibi utantur. Hinc operosa scripturientium Apostatarum diligentia, suas in urbibus passim iactabat lucubrationes, per quas uincendi essent Papistæ indocti. Interim tamen & Principes, iuxta Decreti tenorē, suis Theologis præcipiebant, ut Luthericos libros diligenter examinarent. Hinc illi Quingenti articuli, quos Ioannes Cochlaeus ex 36. sermonibus Lutheri excerptos confutauit, ut breui opusculo illo Principibus indicaret, quanta foret damnabilium articulorum sylua, si ex omnibus Lutheri scriptis, rigido examine, in unū uolumen colligi deberēt: Cum tantus numerus eorum, ex paucis breuibusque & popularibus sermonibus collectus sit, & iuste reprobatus. At uero Imperator CAROLVS, in Hispanijs tunc degens, ubi accepisset Decreti Nurenbergensis exemplar, suoque consilio prudentissimo cuncta mature ac diligenter expendisset, mox rescripsit Principibus & Statibus Imperij Epistolam, bene quidem longam: sed multo acerrimam, grauitatisque & autoritatis plenissimam. Qua non modo Decreti formam reprobauit & reiecit, uerum etiam conuentum Spirę habendum, modumque tractandi, seuerissime inhiuit, Sic enim inter cætera ibi ait.

Cumque nos in proximis Vuormacię habitis Comitijs, in Principum Electorum aliorumque Principum, & omnium Ordinum sacri Romani Imperij, generali congregatione, unanimi illorum consilio, scitu et consensu, Lutheranam doctrinam ac hallucinationem, uelut hæreticam, malignam ac uenenosam, sub magnis graui-  
 busque multis & pœnis, publice denunciari ac interdici, omnesque præterea scripturas librosque Luthericos, posteaquam à Sanctitate Apostolica iure ac ordine Christiano legitime reprobati ac dånati fuissent, deleri atque comburi curauimus: Vos & cõmunes Status in nouissimis Nurenbergæ actis Comitijs, solum propter iniuriosos & conuictiosos Lutheri libellos, indecorasque Impressiones & picturas, ordinationē proposuistis atque dedistis, eam unicuique, quantum ei obseruare possibile sit, imposuistis: Quasi nos in prioribus nostris Mandatis & Edictis aliquid noui, onerosi, aut iniqui proposuerimus ac constituerimus, & non facilius equiusque foret, in prioribus antiquis, laudabilibus Catholicisque ritibus & ordinationibus permanere, quam ita alienos ac inauditos abusus acceptare ac tenere. Et infra. Quod autem uos & Status pariter, tanquam pro uobis ipsis proposuistis, ac decreuistis ad proxime futurum diem S. Martini,

Epistola  
 Caroli Imp  
 pe. ad Prin  
 cipes cõtra  
 Decretum  
 Nurenber  
 gense.

Martini,



Inhibitio  
Dietae Spi-  
rensis.

Grauis-  
sima prohi-  
bitio.

Martini, in nostra & Imperij urbe Spira, generalem ac uniuersalem Germanicae Nationis conuentum celebrare, atq; in eo uias, media, et ordinationes cōsyderare ac proponere, qualiter, quibusq; modis & formis, cum cultu diuino, alijsq; Ecclesiasticis officijs & Ordinationibus, constitutionibusq; & consuetudinibus agendum seruandumq; sit, usq; ad futurum generale Concilium: Vt interea periti sacrarum literarum, aliaq; erudita personae, quicquid fidei non consonum, sed contrarium uideatur, in scriptis comprahendant, dubiaq; & alia pro uiribus determinent. Talia nos neq; possumus neq; uolumus ullo pacto uel admittere uel permittere, Sed sicut nos, tanquam defensorem ac Protectorem Sedis Apostolicae, in primis decet ac conuenit, maxime praecauere, ne Dei omnipotentis ac sanctitatis Apostolicae iram & indignationem per hoc in nos concitemus. Quanta enim iniuria, contumeliaq; & dedecus sanctae, diuinae ac Catholicae Ecclesiae irrogaretur, si pius Dei timor & obediētia eo modo laederetur ac minueretur, ut Germanica Natio sola, quae haec tenus timoratissima iudicata est: quae & Catholicae Ecclesiae mandata, constitutionesq; obediēter continue obseruauit, tale quid praesumeret ac moliretur, quod omnes alij Principes Christiani, simul cum ipso Papa, neq; incipere neq; intendere auderent: ut diuinas ac laudabiles Catholicas ordinationes, consuetudines, constitutiones ac ritus, qui tot annis haec tenus in tota Christianitate, in solatium omnium fidelium animarum & hominum, perfecte ac sine contradictione obseruati sunt, reijceret ac aboleret: A quibus sane nullus unquam recessit, quem iustum Dei iudicium ob hoc non grauius punierit. Quamuis inhumanus & impius Lutherus illis praesumat solus obsistere, ac dulci suo ueneno, quantum queat, inficere, atq; in anima & corpore perdere mortales, seq; per suam astutam malitiam coram hominibus magnum & conspicuum reddere. Et rursus. Cum igitur nos (inquit) ex supra memoratis alijsq; bene fundatis rationibus, eiusmodi uestram & communium Statuum intentionem, actionemq; uelut iniquam cognoscamus, comperiamusq; nisi id in tempore praeuiremus ac prospiceremus, quantum damni, abusionum, turbationum, seditionumq; in uniuersa Christianitate, praesertim uero in Germanica Natione, inde sequi possit: petimus a uobis, & iniugimus uobis, sub iuramento, quo uos nobis ac sacro Imperio estis obstricti, & sub uitando crimine laesae Maiestatis: sub nostro & Imperij Banno ac Rebanno: sub priuatione item ac destitutione omnium gratiarum ac priuilegiorum, quae ab Antecessoribus nostris Romanis Imperatoribus ac Regibus, a nobis quoq; & sacro Imperio obtinuistis:

Ad

Ad hæc, sub pœnis, in nostro Imperiali Edicto propter hoc Vuormaciae edito, contentis: Ex Imperiali potestate serio mandantes, ut uos ab illo nostro Mandato & Edicto nulla uia aut forma discedatis, nihilq; contra illud agatis aut faciatis, sed illud, quantum possibile ad uos spectat & attinet, omnino ac simpliciter obseruetis & exequamini: Præsertim uero in prædicta Statuum intentione, de Concilio alijsq; disputationibus, declarationibus & interpretationibus, quæ Catholicam fidem concernunt, nequid ullo pacto, absq; Apostolicæ Sanctitatis nostræq; aut Generalis Concilij autoritate, ordinatione ac admissione, attentetis, agatis, aut peragatis: sed id totum in proximam generale Conciliū, quod sanctissimi Patris nostri Papæ autoritate et consensu, ut dictum est supra, indici debet ac indicetur, differatis, atq; in his omnibus uos exhibeatis obedientes: Quemadmodum iuxta conscientiam obligationemq; uestram, Deo Omnipotenti, Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Apostolicæ Sanctitati & nobis, tanquam uestris, à diuina prouidentia præordinatis, Superioribus capitibusq; facere tenemini, et quam charum uobis est, nostram & Imperij grauem indignationem ac supradictas multas & pœnas euitare. Hæc serio dicta uolumus. Data in urbe nostra Burgis in Castilia. XV. Die Iulij, Anno &c. XXIII. Imperij nostri Romani Sexto. Hæc Cæsar Teuthonice.

Cum autem dissoluto Conuentu Imperiali Nurenberge, Legatus Apostolicus ob securitatem cum Sereniss. Principe et infante Hispaniæ, Austriæ Archiduce &c. FERDINANDO, fratre & locum tenente Cæsaris, inde abiisset Stutgardiam, ibi ambo communicatis consilijs, particularē quorundam Principum Conuentum Ratisponæ celebrandum instituerunt ad certum diem, nempe Natiuitatem Ioannis Baptistæ. Conuenerunt itaq; illuc die præfixo: personaliter quidem Cardinalis Campegius, Legatus de Latere, cum Archiduce & locum tenente prædicto. Item Matthæus Cardinalis et Archiepiscopus Saltzburgensis, Duces utriusq; Bauariæ Illustriss. Principes, Viihelmus et Ludouicus: Bernardus Episcopus Tridentinus, Ioannes Administrator Ecclesiæ Ratisponensis: Natalibus Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ. Per Oratores uero & Consiliarios suos, pleno mandato instructos, comparuerunt hi Episcopi. Vii Gandus Bambergensis, Georgius Spirensis, Viihelmus Argentinenis, Christophorus Augustensis, Hugo Constantiensis, Christophorus Basiliensis, Philippus Frisingensis, Sebastianus Brixinensis, & Ernestus Administrator Patauiensis, supradictorum Ducum, Viihelmi & Ludouici frater Germanus. Hi sane omnes pio fidei Catholicæ zelo accensi, ut Lutheranae fa-

Dieta particularis Ratisponæ.

Decretum  
Ratispo-  
nense Ca-  
tholicum.

ctioni efficacius resistere possint, ultronea cōfoederatione sese con-  
strinxerunt atq; etiam corroborauerunt. Antequam igitur acre  
illud Cæsaris Rescriptum in Germaniam uenisset, immo & ante  
quàm factū fuisset, Principes isti ultro concluderunt ac decreuerūt,  
ante omnia, ut Cæsaris Edicto Vuormaciensi obediretur. Deinde,  
ut Euangelium interpretaretur iuxta eorum, qui ab Ecclesia pro-  
bati & recepti sunt, expositionem patrum: Vt cōcionari nemini li-  
ceat in Ecclesia, nisi ei qui ab Ordinario loci, aut eius Vicario seu  
Officiali, examinatus prius sit et admissus: Vt in sacratissima Missa  
Sacramentorumq; administratione, & uniuersaliter in Catholice  
Ecclesie Ceremonijs, Ieiunijs, Orationibus, oblationibus, ceterisq;  
ritibus antiquis, nihil immutetur: Vt sacerdotū Monasticorumq;  
illicita coniugia prohibeantur & puniantur, Vt Typographi nihil  
excudant, nisi rite prius examinatum ac probatum. Atq; inter alia  
multa, insigni prouidentia & seueritate constituerunt, ut filij sub-  
ditorum suorum, qui Vuittenbergæ literis operam darent, intra  
tres Menses inde auocarentur, & studendi gratia illuc non redirēt,  
sub pœna amissionis omnium beneficiorum & hæreditatum: Nec  
ad ullum deinceps beneficium Ecclesiasticum, in terris suis ullum  
Vuittenbergæ Studentem admitterent, neq; in Gymnasijs suis ulli  
lectioni præficerent. Item, Ne quis Lutheranum, quem aliquis eor-  
um ob excessus & demerita proscripsit, in terris suis recipiat: sed  
proscriptus ab uno, a b omnibus habeatur proscriptus. Deniq;  
ut si quis eorum ob ista ullam a subditis suis rebellionem aut sedi-  
tionem pateretur, reliqui ei forent auxilio & consilio.

Cōstitutio  
Legati, pro  
reformati-  
one Cleri.

Legatus præterea Apostolicus, cum intelligeret Laicorum ani-  
mos grauiter offendi improbis Clericorum abusibus & perditis  
moribus, heresimq; Lutheranam non paruam inde habuisse occa-  
sionem: egit cum Principibus illis, ut ex Consiliarijs suis delectu  
quodam deputarent uiros expertos, qui articulatim consignarent  
excessus & defectus, scandala item et abusus Clericorum Germa-  
niæ. Ipse quoq; ex suis in eum delectum deputauit Ioannem Coch-  
læum, quo & interprete utebatur in ijs, quæ Germanice propo-  
nebantur. Insignem itaq; ex oblati per Delectum articulis, fecit ac  
promulgauit Cōstitutionē, qua remoueret abusus, uitāque refor-  
maret Clericorum, q̄ & reliqui Principes gratā ratamq; habuere.

in oratione / 13

Edictum  
Ducis Sa-  
xonie Ge-  
orgij.

Dux insuper Saxonie Georgius, Princeps per omnia Catho-  
licus, cum accepisset Mandatum Cæsaris signatum, simul cum E-  
dicto Vuormaciensi, publicauit utrunq; per omnem ditionem su-  
am: seuerissime præcipiens cunctis subditis suis, ut Cæsaris Edicto  
& Mandato in omnibus punctis & articulis parerent: atq; etiam  
acerrime

acerrime comminans, se omnem ibi transgressionem ulturum esse. Est enim Princeps, non modo pius & religiosus, uerumetiam Cæsaris & amantissimus pariter & obseruantissimus, Exemplo gloriosæ memoriæ Patris sui, Ducis Saxonix ALBERTI, quo non aliud fuit Maximiliano Cæsari, huius Cæsaris auo, in bellis aut utilior aut fidelior: maxime in prima illius iuuenta, quando filio suo unigenito, Principi Phillippo, Imperatoris nostri parenti, adhuc paruulo armis recuperaret prouinciâs auitas, quas Francorum Rex, mortuo clarissimo ac bellicosissimo Principe CAROLO, Duce Burgundiæ, materno eius auo, Cæsarisq; nostri Proauo, inique occupauerat: priusquam nuptias cum filia eius unica, MARIA celebrasset Maximilianus ille, Friderici III, Imp. filius.

Dux Saxoniae Albertus,

Cæterum soluto Conuentu Ratisponensi, frater Cæsaris, Princeps Ferdinandus, & Legatus Apostolicus, per Danubium secundo flumine descenderunt inde in Austriam: Viennæ aliquandiu residentes, ubi Princeps longe ultra iuueniles annos maturus & seuerus, disertus item et ingeniosus, fratris sui, Cæsaris, Edictum quam animosissime est exequutus: In duobus præsertim hæreticis, Iacobo Peregrino, presbytero Patauiensis Diocesis, & Casparo Taubero, ciue Viennensi: Quorum utrunq; de hæresi Lutherana suspectum, conuictum et confessum, ac legitimo iuris processu condemnatum, per uiros eruditos, tum Theologos tum Iureconsultos, ad reuocationem & pœnitentiam clementer induxit. Vbi uero ciuis ille in hæresim, quam publice abiurauerat, recidisset, ultimo affectus est supplicio. His enim uerbis reuocationem suam ipse Teuthonice concluderat.

Executio Edicti in hæreticos Viennæ.

Cum igitur ego, Casparus Tauber, aliquos libros à damnato hæretico Martino Lutero æditos, contra Imperiale Edictum, & cōtra Clementissimū Principis mei Domini Ferdinandi mandatū retinuerim, atque etiam proprios ipse tractatus perscripserim, & in hęc multas iniurias & scandala, multiplicescq; hæreses & errores damnatos complexus fuerim: Quibus & ego & alij Christi fideles, sub Euangelij colore, ab omni obedientia, tum diuina tum alia, ad omnis generis mala & temeritates, contra Deum animarumq; nostrarum salutem seducti fuimus: uoueo & promitto, me de cætero, quo ad uixero, eiusmodi damnatos libros, seu magnos seu paruos, nunquā lecturum aut retenturū, nec supradictos errores, omnesq; damnatas hæreses prædicaturum, disseminaturum, defensurum aut asserturum esse. Si uero ista transgressus fuero, tunc iuxta formam iuris, ego à sæculari potestate, tanquam conuictus hæreticus, puniar. Hoc totum confiteor in conspectu Ecclesiæ

Reuocatio Caspari Tauberi.

Luth. cōtra Mercator- res. his literis, quas ego manu propria subscripsi. Lutherus autem; ut alia quoque ratione plebē et sibi conciliaret, & Principibus infensam redderet, scripsit Teuthonice libellū, De negociatione & usura. In quo sane, permulta recensuit grauamina Germaniæ à nimia Mercatorum auaritia, ut uideretur plebi & patriæ amantissimus, & publicæ utilitatis erga populum communem studiosissimus: Sed eo tendebat popularis auræ captator, & seditionum machinator nequissimus, quo plebem egenam fortius in Principes, propter Mercatorum grauamina, tanquam in socios furum & lucrorum iniquorum participes, concitaret. Sic enim ibi inter multa alia discernit. Reges (inquit) & Principes deberent hic attendere, & secundum ius strictum talia prohibere. Sed audio eos habere ibi & caput & partem. Atque euenit iuxta dictum Esaïæ i. Principes tui facti sunt socij furum. Interim uero fures, qui florenum unum aut dimidium furati fuerint, suspendunt, & negociantur cum illis, qui totum mundum spoliant, & plus furantur, quam omnes alij: Ut uerbum illud permaneat uerum. Magni fures, paruos fures suspendunt: Et sicut Romanus Senator Cato dicebat, Priuati fures iacent in turribus & carceribus: Publici uero fures incedunt in auro & serico. Quid autem Deus ad hæc tandem dicet? Ipse faciet sicut per Ezechielem dicit. Principes et Mercatores, unum furem cum altero conflagrat in unum, sicut plumbū & æs: Quemadmodum comburitur urbs aliqua, ut neque Principes neque Mercatores amplius sint, Sicut timeo, iam ante fores esse, &c. Rursus ubi alia ei daretur occasio, quantumuis impudens leuisque & inhonesta, alium ædidit libellum Teuthonicū, Cui iste erat titulus. Factum quoddam, quomodo Deus quandam honestam Monialem eripuit: Cum epistola quadam M. Lutheri ad Comites à Mansfelt. Contigerat sane in oppido illorum Comitum, cui nomē est Isleben, ubi admodum insigne erat sacrarum uirginum Monasterium, ut quædam Florentina, Lutherico fermento infecta, respiceret retro in mundum, diceretque occulte uni ex cognatis suis, se nolle diutius in Monasterio degere: quia status ille naturæ conditionique suæ contrarius esset. Illa rem ad Abbatissam detulit: Abbatissa uero multis admonitionibus eam erudiens, cum nihil proficeret, posuit eam captiuam. Cum uero altera, quæ captivæ curam agebat, semel ianux claudendæ oblita fuisset, Florentina clam se proripuit e Monasterio, atque ad Lutherum confugit. Cum autem Abbatissa & uerbis & literis quereretur, illam esse periuram, profugamque ac uoti fracti ream: Lutherus ædidit libellum, quo probaret, maximum fuisse miraculum Dei, per quod illa esset ex Inferno erepta. Hæc sane sunt eius uerba,

in

Cōtra Prin-  
cipes.

Ezech. 27.

Lut. de qua  
dā Monia-  
li profuga.

Isleben patria  
Luth.

in Epistola præliminari ad Comites, sub quibus & ipse natus erat. Non dubito (inquit) incredulos, ubi de hac Florentina audierint, eam mirabiliter à Deo ereptā esse ex faucibus Diaboli: Quosdam, qui Monialium statum existimant bonum, dicturos esse, Diabolus inuit eam, ut exiret: Alios, qui nec Deum, nec Diabolum multifaciunt, dicturos esse, Ecce, nunquid miraculum est, ut Monialis aliqua excurrat è Monasterio: Ita cūenire oportet. Quando autē tumultuans quispiam spiritus peregrinationem aliquam institueret, faceretq; unum ex miraculis, de quibus Paulus ait 2. Theff. 2. Homo peccati per falsa signa & prodigia ueniet. Aut quando Diabolus sineret se cruciari aqua benedicta, & fingeret se in ea magnam pati angustiam: Quemadmodum nuper hoc anno quodam in loco factum est: hoc oporteret esse miraculum Dei. Nos autē, qui Euangelium iam scimus, & ueritatem agnoscimus gratia Dei: neq; debemus, neq; audemus eiusmodi miracula, quæ ad confirmandum Euangelium fiunt, illudq; promouent, sic dimittere. Et infra.

Quid facitis (inquit) uos Principes & Domini, ut homines ad Deum compellatis absq; eorū uoluntate: tamen hoc non est uestri uel officij uel potestatis ad faciendum. Ad externam probitatem compellere debetis: Sinite uota uota esse, Sinite præcepta præcepta esse: Attamen Deus ea non uult, nisi uoluntariè & cum iocunditate obseruentur. Ipse dicit, Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Nonne hoc satis clarum est, Bone Deus: Patrem trahere oportet, & homo uult compellere. Quod Deus non conatur, id miser uermis uult conari, idq; per quendam alium inuitum facere, quod ipsemet facere non potest. Non uultis cogi ad Euangelium nostrū, quare ergo nos compellit ad uestrū? Cum insuper omnes scholæ, tum uniuersales tum particulares, ut uocantur, per Lutheri Euangelium in Germania euacuarentur, ac fœda imminutione & solitudine sua ingens ubiq; in urbibus dedecus parerent: male audire cœperunt ob id Lutherani: Quorū nonnulli eo demeritæ prolapsi fuerant, ut uellent, solum Hebraica Germanicāq; lingua utendum esse, eliminatis Græcis & Latinis. Quidam uero & illas contemnerēt, afflatum sancti spiritus sibi arrogantes: Lutherus, ut eam inuidiam à se suisq; in Vniuersitates & in Monachos retruderet, scripsit Teuthonice libellum generaliter ad omnes Senatores, omnium Ciuitatū Germaniæ, pro erigendis scholis Christianis. In quo sane libello mox à principio multis laudibus iactat, suos conatus suamq; doctrinam ubiq; præualere & increfcere, inuitis & frustra repugnantibus Tyrannis, ut omnes intelligant Dei opus esse, non Lutheri. Inter cætera enim multa uanæ

Miraculū  
Luthericū,  
si Monialis  
excurrat.

In Principes pro re-  
fugis.  
Sacra scriptura,  
Canonēq;  
& leges iubet  
seruare uota,  
Quis est Lu-  
therus, ut pro-  
hibeat?

Solitudo  
in scholis.

Iactantia Lu-  
theri de se  
ipso.

Calūnia in  
Vniuersita-  
tes.

Iactantia de  
uerbo Dei.  
verbū Dei nō  
reuertitur ua-  
cum. Esai. 55.  
Verbū Luthe-  
ri omnem fru-  
ctum bonū eua-  
ngel.

Iactantia de  
spiritu.

gloriæ uerba, sic ait. Sim ego qualiscunq; uere tamen coram Deo cum uera conscientia gloriari possum, quod in hoc non quæ mea sunt quæro, quæ tacendo possem multo melius acquirere: sed ex corde fideliter intendo & uestrum & totius Germaniæ bonum: In quod me destinauit Deus, siue credat siue non credat quisquis uelit, idq; charitati uestræ libere ac confidenter dixerim. Quisquis obedierit mihi, is procul dubio non mihi, sed Christo obediet. Et qui mihi non obedierit, is non me, sed Christum contemnit. Ego enim scio utiq; & certus sum, quid & quorsum ego loquor aut doceo. Vnusquisq; item bene per se sentiet, si doctrinā meā recte uoluerit intueri. Et infra. Nonne præ oculis est (inquit) quod nunc intra trienniū sic institui potest puer quispiam, ut in XV. aut XVIII. ætatis suæ anno plus sciat, quam hætenus omnes Vniuersitates & omnia Monasteria sciuerunt? Immo quid didicerūt hætenus in publicis Gymnasijs & Cœnobijs, quam ut fierent asini, stipites & trunci? Quispiam XX. aut XL. annis studuit, & tamen nec Latine nec Teuthonice loqui sciuit, ut taceam turpem ac sceleratam uitam, in qua nobilis iuuentus tam miserabiliter perditā est. Verum quidem est, antequam uelim Vniuersitates & Monasteria permanere, sicut hætenus fuerunt, ut non alius modus docendi ac uiuendi pro iuuentute acceptaretur: mallem omnem puerum esse mutum, ac nihil unquam discere. Seria enim intētio precatioq; ac petitio mea est, ut hæc Asinorum stabula, ac dæmonum Gymnasia, uel in abyssum demergantur, uel in Christianas scholas commutentur. Et post pauca. Inspiciamus (inquit) priorem miseriam nostram & tenebras, in quibus fuimus. Arbitror Germaniam nunquam antea tantum de uerbo Dei audisse, quantum nunc. Certe in historijs nullum de hoc reperitur uestigium. Quod si illud sic sine gratia & honore transire sinimus, uerendum est, ne adhuc horrendiores tenebras plagasq; patiamur. Chari Teuthones, emite, dum præ foribus sunt nundinæ: Colligite, dum lucidum est cœlum & aura serena: Utimini gratia & uerbo Dei, dum adest. Hoc enim scire debetis, uerbū gratiamq; Dei esse Imbrem transitorium, qui non reuertitur, ubi semel fuit. Neq; nos (inquit) impedire debet, quod aliqui gloriantur de spiritu, et scripturas parui faciūt. Aliqui etiam, ut fratres Vualdenses, linguas non existimant utiles. Sed bone amice, spiritus huc spiritus illuc, Ego quoq; fui in spiritu, atq; etiam uidi spiritus (si omnino de proprijs gloriandū est) forte plus quam illi ipsi adhuc intra annum uidebunt, quantūcunq; etiam glorientur. Et spiritus meus etiam in aliquo se ostendit, cum tamen spiritus eorū in angulo sit tacitus, & nō multo plus faciat, quam ut gloriam suam

suam iacitet. Eadem de re ad Rigenses quoque Liuaniae populos scripsit, grauissime conquestus de Germanorum socordia, quod non dent iusta nouae suae doctrinae praedicatoribus stipendia, qui antea Papistis tam larga & ampla dederint perniciosae doctrinae salaria. Nunc uero, quando Deus nobis mittit, bonos fidosque & doctos homines, qui ad disciplinam castitatemque & uerbo & opere promouent, & per diuinum coniugium fornicationem minuunt: Ad haec, omni studio nobis & in corpore & in anima seruiunt, uerumque nobis ad caelum uiam demonstrant, illos relinquimus: & quos omnibus impensis a finibus mundi adducere deberemus, eos tractamus in eum fere modum, quo diues homo pauperem Lazarum tractabat. Vbi uero accepisset, Henricum Sudphanum, Apostatam Ordinis Augustiniani: qui quondam in Coenobio sui Ordinis Antuerpiae Prior fuerat, & ad Bremenses propter relapsum & perfidiam profugus uenerat: a Diedmaris (alij Thietmarcos uocant) Daniae uicinis populis exustum esse, Lamentabilem scripsit Epistolam ad Bremenses, qui ab illo peruersi, a suo in fide & religione deficiebant Archiepiscopo, & toto ciuitatis suae Clero. Historiam uero in haec uerba exorsus est.

Querela  
de paruis  
stipendijs.

Henrici Sud  
phani A-  
postatae ex  
itus.

Anno Domini M. D. XXII. Henricus Sudphanus Breman uenit, non ut ibi concionatorem ageret: sed quod in animo habebat Vuittenbergam proficisci, tanquam Antuerpiae a Tyrannis propter Euangelium expulsus &c. Sed tam uere descripsit eam passionem Lutherus, quam uere ille beatus Martyr est: homo Apostata, uir inutilis, immo perniciosus, qui ore peruerso gradiens, omni tempore iurgia seminabat, inter Laicos et Clericos: primum Antuerpiae, Deinde Bremae, nouissime Meldorpiae apud Thietmarcos, ubi tandem uoti fracti, perfidiaeque & periurij sui poenas iusto Dei iudicio dedit. Antuerpiae enim, propter heresim Lutheranam comprehensus, eam publice & reuocauerat & abiurauerat, ac paulo post relapsus, ultimo afficiendus erat supplicio, nisi effracto carcere aufugisset. Nam & reliquos Coenobij sui fratres ita infecerat Lutherico fermento, ut nulla esset remedij spes: Vnde & solo aequatum esse ferunt totum illud Monasterium.

Vera Hi-  
storia de il-  
lo Henrico.



Dissidium  
inter Luth.  
& Carolsta-  
dium.



Ruperat iam in apertas inimicitias dissimulata  
 æmulatio inter Lutherum & Carolstadiū: Quo-  
 rum hicaliquid, ille totū esse uolebat, uterq̃ uanæ  
 gloriæ cupidus ex æquo. Præstabat ingenio, fa-  
 cundia, styloq̃ Lutherus: Carolstadius rude inge-  
 nium suum, uelut cotem duram, multo studio atq̃  
 labore sic excoluerat, ut Luthero ipsi semper uisus sit magnus &  
 eruditus Theologus, antequam in quibusdam aduersari cœpisset.  
 Etenim tantus apud Vuittenbergenses erat, priusquam aduersaretur,  
 ut uetitas & sacrilegas nuptias eius summo studio ac maxima  
 celebritate promouerint ac decorauerint. De quibus & propriam  
 confingebant Missam, quam & in lucem ædere non sunt ueriti,  
 Cuius sane Introitus sic habet.

Missæ pro-  
pria de nu-  
ptijs Carol-  
stadij.

Dixit Dominus Deus, non est bonum, hominem esse solum:  
 faciamus ei adiutorium, simile sui.

Versus.

Adhærebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Oratio uero seu Collecta sic.

•• Beatum quo  
nihil miserius  
paulo post u-  
sum est.

Deus qui post tam longam & impiam sacerdotum tuorum cœ-  
 citatem, •• Beatum Andræam Carolstadium ea gratia donare  
 dignatus es, ut primus, nulla habita Papistici iuris ratione, uxorem  
 ducere ausus fuerit: Da quæsumus, ut omnes sacerdotes, recepta  
 sana mente, eius uestigia sequentes, eiectis concubinis aut eisdem  
 ductis, ad legitimum consortium thori conuertantur. Per dominum  
 nostrum Iesum &c.

Prosa de  
Andræa  
Carolsta-  
dio.

Prosa item seu Sequentia sic.

Deus in tua uirtute Andræas Carolstadius gaudet & lætatur  
 thalamo copulatus.

•• Fornicato-  
res seu seruos  
fornicationum

Piscatio Episcopi ipse primum factus piscator est uxorū.  
 Sacerdotes •• Pornolatræ diu ad normam reduxit matrimonij.  
 Is legibus ius Romanum tuis Deus uictor strenuus subiugauit.  
 Consilium Pauli tui sequens, & iam bonum se ostentans con-  
 iugem.

Mirantibus inuitisq̃ Papistis, uxorem quæsitam ædibus nuper  
 suis intulit.

Atq̃ magno decore sacerdos inscripsit titulos coniugatus  
 Domine.

Illum sacerdotem uere tuum credimus.

Christi

Christi filij tui atq; fraterculum.

Nos ergo concubinis nostris grauati te Deus poscimus,  
 Ut illius, qui patres nostros sectatus antiquos tibi placet;  
 Nos imitatione gaudeamus in æternum.

Item Secreta sic.

Sacrificium nostrum quæsumus Domine benignus suscipias,  
 ut quod tuę Maiestati in Andree Carolstadij nuptialibus primitijs  
 deuote offerimus, eius efficacia à cunctis scortationis defendamur  
 periculis. Per D. N.

Postremo Complenda sic.

Sint nobis Domine auxilio sumpti Sacramenti mysteria, & si-  
 cut Andree Carolstadij cõnubiali celebritate letamur: Ita fac quæ-  
 sumus, sacerdotum coniugia toto orbe foeliciter auspicientur, foeli-  
 cius succedant, & quàm foelicissime finiantur, Per Dominum no-  
 strum Iesum &c.

Quam uana uero spes & nefaria precatio illorum, & quam in-  
 foelix fuerit earũ nuptiarum auspiciũ, ex subsequẽtib; planius  
 intelligetur. Ferunt illum à uicino quodam Principe carnes ferinas  
 ad nuptiarum celebritatem petiisse, qui mittere statuerit ei carnes  
 asininas pro ceruinis, mactato & excoriato asino molitoris, cuius  
 partes in frustra dissectę, atq; uasi inclusę, pro ceruinis comederen-  
 tur, donec aures & ungułæ asini in medio uasis reperirentur.

Cæterum absente in Pathmo cõficta Luthero, Carolstadius Vuit-  
 tenbergæ nitebatur re exequi quæcunq; uerbo doceret Lutherus. Inuidia Lu-  
theri in Ca-  
rolstadium  
 Sauebat itaq; in sanctorum Imagines, & in priscum Missæ ritum,  
 undemagnam nactus famam, ipsi Luthero pene par esse uideba-  
 tur. Lutherus aut ex Pathmo sua domum reuersus, inuidia tactus,  
 ut famam illius obscuraret, facta eius publice pro concione repro-  
 bavit, illumq; in conspectu populi palam redarguit: Eo sane pretextu,  
 nõ quod facta secundum se mala essent, sed quod non fuissent  
 Principis autoritate attentata. Ille, cum esset facundia impar Lu-  
 thero, coram populo confusus, eam iniuriam alta mentẽ reposuit,  
 necunquam postea ex animo Luthero fauit. Cum autem Vuit-  
 tenbergæ, obstante Luthero, nõ posset opiniones suas uulgo com-  
 municare, abiit tandem illinc Orlamundam: Quod sane oppidum Gesta Cas-  
rolstadij.  
 ad Salam fluuium situm, eiusdem erat Principis, cuius & Vuitten-  
 berga. Nactus ibi ex fauore populi scribendi libertatem, aperte re-  
 præhendit Lutherum, non modo de Missa & de Imaginibus: ue-  
 rum etiam de Sacramento Eucharistiæ. Lutherus id ægre ferens,  
 Domi quidem per Vniuersitatem: In aula uero Principis per Ge-  
 orgium Spalatinum A secretis satagebat, ut Vuittenbergam reuo-  
 caretur

Proscri-  
ptio in eū  
per Luthes-  
rum procu-  
rata.  
Hic Princeps  
factus postea  
Electōr, à Ca-  
rolo Cæsari-  
tus et captus  
est Anno 1547  
Reditus  
eius in Sax-  
oniam.

Miseria Ca-  
rolstadij.

Miseria  
eius uxoris

caretur Carolstadius, per iuramentum Vniuersitati præstitum, ut prædicaret, prælegeret ac disputaret, iuxta officium suum, sicut fecerat prius. Vbi uero ille cunctaretur, & per literas populi excusaretur, missus est ipse Lutherus ad oppida Principis sui ad Salam sita, ut concionando auerteret à Carolstadianis opinionibus eos populos. Cum aut parū proficeret, & multi ex plebe quoque in faciem eius resisterent, et contra Imagines ex ueteri Testamento scripturas obijcerent: ipse per Iuniorē Principem, Ioannem Fridericum, qui erat filius fratris Friderici Electoris, effecit tandem, ut cunctis Ducum Saxonie oppidis & finibus interdiceretur Carolstadio. Ille itaque proscriptus, miserrime cum infelicissima & illegitima uxore sua, inter turbas & seditiones tumultuantium in Franconia rusticorum uagatus, nunc Rotenburgi ad Tauberum fluuium latitabat, nunc ad maternos lares Carolstadium, Franconie oppidum Mogono adiacens, confugiebat, nusquam tuto consistens. Tandem uero cæcis ubique seditiosis rusticis, cum pessime audiret ac suspectus haberetur infelix Carolstadius, tanquam autor seditionum, tumultuumque incensor, & rusticorum ductor, eo necessitatis & miserie redactus est, ut inimici sui infensissimi Lutheri opem implorare coactus fuerit. Qui sane, aucupandæ hinc gloriæ occasionem nactus, ut non solum uerbo: sed & facto maxime Euangelicus uideretur, preces inimici sui exaudiuit, eiusque excusationem Teuthonicam per Typographos euulgauit, cui adiecit ipse præfationem. In qua non solum gloriabatur se suo summo inseruire inimico, sicut Christus docuit, uerum etiam petebat, ut illius excusationi acquiescerent, tum Principes, tum populi: licet ipsemet eum antea æditis libris de seditione maxime suspectum reddidisset. Effecit præterea, ut pateret illi reditus in Saxoniam: Ea tamen lege, ut is suas contra Lutherum opiniones, neque uerbo neque scripto, publice assereret. Ille igitur Vuittenbergam reuersus, cum præ pudore conspectus eorum hominum, apud quos antea opibus honoribusque & dignitate florisset, ferre non posset: secessit inglorius in proximū oppidulum atque in circumiacentes uillas: Vbi aliquandiu uitam miserrime sustinuit, factus ex Theologie Doctore & Archidiacono Vuittenbergeni, miser agricola & rusticus indoctus, qui arare nesciens, per inopiam arare cogebatur: equos habens indociles, quorum unus hac, alter illac ante aratrum pergebat, aut procedente uno, stabat aut retrocedebat alter, ut cunctis risui atque etiam commiserationi esset arator uicinis. Quibus & uxor eius merito miserabilis uidebatur, ut quæ ex Nobili familia orta ac nobiliter educata, pessimo exemplo et infelicissimo auspicio nupsisset, contra ius & phas, sacerdoti: homini ignobili & alienigenæ,

alienigenę, tot deinde modis infami, proscripto, inopi et abiecto, apud quem ne rustico quidem aut cibario pane faciari posset: Cuius maritum falsum falso in nuptijs beatum dixerant Vuittenbergenses, & præ omnibus grauissime accusauerat eum seditionis Lutherus, non solum priuatim per literas: uerum etiam publice per duos bene prolixos libros. In quorum priore sic ait.

Luth. contra  
coelestes pro-  
phetas lib. 1.

Etiamsi iam uerum esset, & me credere oporteret, Doctorem Carolstadium non intendere neq; cædes neq; seditiones: attamen dicere me oportet, eum habere spiritum seditiosum atq; audidum cædis, sicut Alstetensis: quamdiu in uiolenta imaginum demolitione perseuerat, temerariumque uulgus ad se allicit. Et post pauca. At dixeris, Non erit sic obstinatus, sinet se doceri, & ab huiusmodi cœptis desistet. Quis? Doctor Carolstadius? Verba quidem pulchre scit dicere, et scriptis euulgare, quod uelit doceri, ac melioribus acquiescere. Si autem serio intendit, ego aureus sum. Quando audiuit aut celsit ulli? Quoties monuit eum Philippus Vuittenberge, ne sic tumultuaretur cum Moyse, cum imaginibus, cum Missa & cum Confessione? Cumq; ego redirem, & contra eius Iconomachiam & Missam prædicarem, quare non destitit, nec auscultauit? Item. Quando Doctor Iustus Ionas, & Dominus Theodericus de Bila, inter nos tractarent, quam pulchre cedebat, seq; moneri sinebat: ut me etiam ad extremum citaret iudicium super Missa tumultuantium. Et infra, Ista quoq; causa non leuis est, quod cum cœlestibus conuersatur Prophetis, e quibus Alstetensis spiritus prouenit, ut constat: ab his discit, ad hos coniungitur: hi occulte serpunt in terra uagantes, & congregantur in unum ad Salam, ubi nidificare intendunt. Impotens Diabolus nusquam uult proficisci, nisi ad loca nostra, ubi nos prius per Euangelium spacium & securitatem parauimus, et nostrum solummodo nidum uult defœdare ac perdere, sicut upupa cum merula ludit &c. Et in Epistola Teuthonica ad Argentinenses. Quod me (inquit) criminatur D. Carolstadius, quod expulerim eum, ferre possem, rem ita habere: uellẽ & bene, Deo uolente, excusare. Gaudeo autem, eum abisse ex terra nostra: Opto quoq; ut apud uos non esset, eicq; consulendum fuisset, ut ab eiusmodi querela abstinuisset. Vereor enim ne mea excusatio eum perquam duriter sit accusatura. Caueat a fallaci illo spiritu, quisquis potest, hoc suadeo: hic nihil subest boni. Mihi ipsi sane propemodum persuasisset Ihenę, propter quandam scripturam, ut eius spiritum non commiscerem cum spiritu Alstetensi illo seditioso ac cædium audido. At, ubi uenirem Orlamundam, ad Christianos eius, Principum iussu: bene comperi, quid seminis ipse

Carollsta-  
dius saepe  
monitus  
audire no-  
luit.

Id est, Munces-  
ri secta.

Cauendum  
a spiritu  
Carollsta-  
dij.

ibi

ibi feminauerit, ut gauderem me non lapidibus & stercoribus eiec-  
tum fuisse. Vbi nonnulli ex eis talem mihi dabant benedictionem,  
Abscede in Mille Diabolorum nomine, ut collum frangas prius-  
quam oppidum exieris &c.

Furor &  
immanitas  
Tho. Mun-  
ceri.

Luth. in episto-  
la ad Duces Sa-  
xonie.

Muncerus  
euarijs op-  
pidis eie-  
ctus fuit.

Gesta Mū-  
ceri in Mul-  
husen.

Tonitrua  
& sesquipe-  
dalia uerba  
Munceri.

Turbulentissima uero fax belli seditionisq; fuit Thomas Mun-  
cerus presbyter, qui maiori uasania quam Carolstadius, Lutheri  
uerba in opus deducere parabat. Quippe nō solum imagines san-  
ctorum, sed etiam ipsa Templā et Monasteria diruere, Sacramenta  
penitus abolere, Episcopos, presbyteros & Monachos occidere,  
atq; etiam Principibus omnem gubernandi potestatem eripere,  
conabatur: Homo sane inquietissimus iuxta & audacissimus, qui  
nullo defatigatus labore, nullo absterritus periculo, longe lateq;  
discurrendo seminabat discordiarum zizania: populum undiq;  
concitās primo in Clerū, deinde & in Principes. Aperuit primum  
ipsi Luthero sua consilia Vuitenbergæ, quæ cum ille nō probaret  
(ut affirmabat) alio conuersus, omnia tentauit, donec simpliciores  
Turingiæ populos in omnem pertraxit calamitatem. Antea ta-  
men longe permultas discurrens prouincias, plebem concitauit,  
ubicunq; ad concionandum fuisset admissus. In plæriscq; autem lo-  
cis, mox ut notabatur eius intentio pessima, eiectus fuit, antequam  
occulta seditiosę machinationis scintilla in apertū prorumperet in-  
cendium. Sic eiectus fuit ex Praga Bohemię, sic ex Gutterbach op-  
pido Marchiæ, sic ex Zuiccauia oppido Electoris Saxonie, sic ex  
Hallis in Alpihus oppido Comitatus Tyrolis, sic ex Alstet, ubi ficta  
fuerat Lutheri Pathmos. Nam cum ibi pastorale sibi usurpasset  
officium, Lutherus uehementer incusabat eius conatus, per Episto-  
lam Teuthonicam ad duos fratres Saxonie Duces, atq; effecit tan-  
dem, ut inde pelleretur. Pulsus aut peruenit Mulhusen, oppidum  
Imperiale Turingię, atq; ibi & in circumiacentibus pagis & castel-  
lis, tam ciues quā rusticos ad nefandissimas quasq; impietates con-  
cionando pertraxit: Nempe, ut abolerent omnem cultū diuinum,  
eijcerent Clericos & Monachos, spoliarent templa & Monaste-  
ria: diffringerent Imagines, Ciboria & Baptisteria: conculcarent  
diuina Sacramenta, aliāq; id genus multa committerent dictu ne-  
fanda & pijs auribus abominabilia. Nec hęc facinoribus & sacrile-  
gijs contenti, processerunt ultra ad opprimendas Potestates seculares,  
ad rapienda bona aliena: ad subiugādos sibi Comites à Stol-  
berg, à Suartzeburg, à Honsteyn, à Mäsfelt &c. ad opprimendos  
Nobiles, ad diruendas arces &c. Operæ precium sane fuerit  
ipsiusmet impulsoris apponere tonantia ac sesquipedalia uerba. Sic  
ergo scripsit Teuthonice ex Mulhusē ad rusticos Turingię. Purus  
timor

timor Dei in primis. Chari fratres, quam diu dormitis? Quam diu uoluntati Dei nō astipulamini, eò quod uobis uideatur deseruisse uos? Ah quoties uobis dixi, quomodo esse oporteat. Deus nequit se diutius manifestare, stare uos oportet. Et post pauca. Cauete igitur, ne sitis meticulosi, negligentēs: Nolite adulari diutius peruersis fatuis, impijs Nebulonibus: Incipite et bellate bellū Domini, rēpus est ualde: Instruite omnes fratres uestros, ne diuinum irrideant testimonium, alioqui omnes peribitis. Tota Germania, Gallia, & Italia in motu est: Magister incepturus est ludum, Nebulones perire oportet. Fuldae in hebdomada Paschali Quatuor Monachorum Collegia deuastata sunt, Rustici in Klegau, Hegau, & Nigra sylua sunt in armis, Trecenta Milia, & cumulus sit indies maior ac maior. Id unum timeo, ne stulti homines consentiant in falsam aliquam concordiam. Et infra. Supra modum summe summe necessarium est, Pergite Pergite Pergite. Nolite misereri, si bona uerba uobis Esau proponat, Genesis 33. Nolite respicere calamitatem impiorum. Ita uobis supplicabunt benigne, flebunt, obsecrabunt, sicut pueri: Nolite misereri, Quemadmodum Deus per Moysen Deut. 7. mandauit, atq; id ipsum manifestauit & nobis. Sollicitate in Pagis & oppidis, praesertim Metallarios, aliosq; bonos compotores pariter, qui ad ista ualebūt. Non oportet nos diutius dormire, &c.

Mendacia eius.

Cruelitas animi.

Imperiosissime praeterea & iniuriosissime scripsit quibusdam Comitibus de Mansfelt, seq; iactabat seruum Dei cum gladio Gedeonis contra impios. Fiebant ista. Quarta hebdomada Paschae, quo tempore diem sibi ultimum clausit Dux Saxoniae Fridericus Elector. Caeterum frater eius Dux Ioannes, ad tanta facinora uelut dissimulans aut desperans, cunctabatur. Patruelis autem eius, Dux GEORGIVS, quam primum de tantis malis certior factus est, mox facinorosis turbis obuiam iturus, conscripsit exercitum, Equites & Pedites, ac tormentorum bellicorum uim ingentem. Vocauit insuper in auxilium quosdam Principes, Generum suum, Philippum Hassig Lantgrauium, Ducem Henricum Brunswicensem, atq; etiam Duos Electores, Moguntinum & Brandenburgensem, fratres Germanos. His omnibus ultimum imminabat exitium, nisi cōiunctis uiribus, festinanter seditiosas turbas aggrederentur. Nam & eorum rustici in rebellionē & motu erant.

Apparatus belli cōtra rusticos.

Venerat Muncerus ex Mulhusen in Franckenhusen, ubi collecti erant seditiosi, quos adeo iactanter confortabat in scelere, ut diceret, se omnes Bombardarum globos excepturū esse sine damno in manica sua. Verū longe aliter accidit. Principes enim quam primum uenerunt in conspectum seditiosorum, ita terruerunt eos,

Iactantia Munceri.

K ut

ut mox literas deprecatorias ab eis missas acceperint, In hæc uerba.

Literæ ru-  
sticorū ad  
Principes  
& illorum  
responsum

Nos confitemur Iesum Christum. Non sumus hic, ut noceamus cuiquam, sed propter diuinam iustitiam conseruandam. Neq; sumus hic, ad effundendum sanguinem. Si uos quoq; uultis id ipsum, nihil mali faciemus uobis. Secundum hæc sciat unusquisq; quid agat. Quibus ita responsum est à Principibus. Cum uos ex deliberata iniquitate, ac seductoria doctrina falsi uestri Euangelij, multipliciter contra Redemptorem nostrum, Iesum Christum, cædibus, incendijs, uarijsq; in Deum impietatibus, præsertim in uenerabile Sacramentum, alijsq; blasphemijs uos contamineris: Ideo nos, tanquam ij, quibus à Deo gladius commissus est, hic congregati sumus, ad puniendum uos, tanquam blasphematores Dei. Nihilominus autem, cum arbitremur, plerosq; miseros homines male ad hæc seductos esse, ex Christiana charitate decreuimus, si tradideritis nobis falsum prophetam, Thomam Muncerū, simul cum complicibus suis, uitium foras, uosq; dederitis & clementiæ & indignationi nostræ, nos in hunc modum uos recipiemus, & ita geremus nos erga uos, ut iuxta qualitatem causæ, clementiam nostram intellecturi sitis. De his uestrum petimus responsum festinanter.

Cædes ru-  
sticorū in  
Francken-  
husen.

Rustici uero Muncerū tradere nolentes, cum præoccupassent collem extra oppidum, tormentorum ictibus inde pulsi, ad oppidum confugiebant. Principes autem insequuti ac simul irrumperes, oppidum ceperunt, trucidatis supra sex milia rusticis, & alijs seditiosis in eo prælio. Infelix autem Muncerus, post prælium in lecto simulata ægritudine repertus, uenit in manus Principum, missusq; in propinquam eamq; munitissimam arcem, Helderung, traditus est in custodiam Domino Ernesto, Comiti de Mansfelt: uiro pio & Catholico, cui miser minacissime paulo ante scripserat intra triduum. Principes autem belli reliquias persequuturi, duxerunt copias ad Mulhusen: quibus post prælium & Dux Saxonie Ioannes iam Elector, fratre mortuo, se cõiunxit. Ciues autem, uidentes se uiribus longe impares, emiserunt Oratores, qui impetrata uenia, urbem dederent. Principes uero non statim ueniam aut impunitatem polliciti sunt, sed uoluerunt ciues habere suæ clementiæ & indignationi obnoxios, iuxta qualitatem causæ singulorum.

Exitus Mū-  
ceri & Fi-  
stulatoris.

Quod audiēs Munceri socius, Monachus Apostata, cui nomen erat Fistulator, noctu clam cum socijs 400, aufugit. Verum circa Isennacum compræhensus, reductus est unde fugerat. Muncerus tamen longe melius clausit diem suum, quam Fistulator. Hic enim Apostaticè obduratus, sine confessione & contritione, tanquam bestia

bestia mortē ictu gladij suscepit. Ille uero magna fertur fuisse ductus pœnitentia, summa deuotione & errores reuocauisse, & uenerabile Sacramentū pœuia confessione ritu Catholico, sub una specie accepisse, priusquam ictū gladij subiret. Hic est Munceri exitus, & hæc præmia seditiosorum in Turingia. Lutherus ubi ista Vuittembergæ accepisset, mox ædidit libellum Teuthonicum, cum isto titulo. Terribile factum & iudicium Dei in Thomam Muncerum, in quo Deus manifeste illius spiritum mendacij arguit ac damnat. Et in præfatione sic ait. Hic uides, quomodo iste cædium spiritus sese iactat, Deum loqui & agere per ipsum, eiusq; esse uoluntatem: & agit, perinde ac si omnia cum ipso sint uictoriæ. Et antequam circumspicit, iacet cum aliquot milibus in luto. At si Deus per eum loquutus fuisset, id non contigisset. Deus enim non mentitur, sed firmiter tenet uerbum suum. Cum igitur Thomas Muncerus fallat: constat, eum sub Dei nomine per Diabolum, & locutum esse, & egisse. Hæc quidem uera est sententia, sed non minus in Lutherum, quam in Muncerum competit. Nam & Lutherus multa falso prophetauit, ac seipsum multosq; alios fefellit. Et ne longe diuertamur, in hoc ipso negotio tumultuum & seditionum, per sæpe inuentus est falsus uates & Pseudopropheta. Nam in ea epistola Teuthonica, quam inscripsit, Fidelem admonitionem ad omnes Christianos, pro seditione & rebellionem præcauenda, sic ait. Quanquam non inuitè audio, Ecclesiasticos in eo stare timore & sollicitudine: Videor mihi tamen certus esse, nec ullus mihi metus est, de ullo tumultu aut seditione futura, ea præsertim, quæ penetret ac totam turbam inuadat. Et infra. Inspice (inquit) facta mea. Nonne ego Papæ, Episcopis, presbyteris & Monachis, solo ore absq; omni ictu gladij, plus ademi, quam illi hætenus omnes Imperatores, Regesq; & Principes, cum tota potentia sua ademerunt? Quare? Quia Daniel s. cap. dicit, Hunc regem absq; manibus conterendum esse. Et Paulus. Iste destruetur ore Christi. Ego utiq; certus sum, uerba mea non esse mea, sed uerba Christi. Oportet igitur & os meum illius esse, cuius uerba loquitur. Idcirco non opus est, petere corporalem seditionem, Christus ipse iam quandam incepit ore suo, quæ Papæ nimis grauis erit. Vide igitur, ut exerceas, & promoueas sanctum Euangelium: doce, loquere, scribe, & prædica, quomodo leges humanæ nihil sunt. Prohibe & dissuade, ne quis fiat sacerdos, Monachus, aut Monialis, & quisquis in eo statu sit, ut exeat: nō præbe amplius pecunias pro Bullis, candelis, campanis, tabulis, templis: Sed dic, uitam Christianam consistere in fide & charitate, & sine, nos ista duos adhuc annos agita-

Verba  
Lutheri in  
Mücerum  
iam inter  
fectum.

Lutherus  
sæpe falsus  
propheta  
fuit.

laçantia  
Lutheri de  
datis dānis.

Intentio ac  
dica spes  
Lutheri cō  
tra Eccles.



Querela  
Lut. de se-  
ditione.

Nō minus  
mēdax pro-  
pheta fuit  
Lut. quam  
Muncerus

Minæ Lut.  
à signis & cœlo,  
prodigijs.

retunc uidebis, ubi Papa, Episcopus, Cardinales, presbyter, Monachus, Monialis, cāpana, turris, Missa, Vigiliæ, cuculla, cappa, rasura, regula, statuta, & totū examen ac cōgeries Papalis regiminis maneat. Tanq̄ fumus euanesceat. Hæc ibi. Sed falsus est uates iste. Iam pridem enim abiit biennium, posteaquā ista scripsit, & per gratiam ac misericordiam Dei, manent illa adhuc omnia, ut ex proprio Lutheri iudicio intelligamus, os eius non esse (ut iactat) os Christi, qui uera loquitur & ueritas ipsa est: sed potius os Diaboli, qui mendax est & pater eius, Ioan. viij. Quod autē de corporali quoq; seditione mentitus sit, ipsiusmet uerba declarant, quibus in funere sui Principis Friderici Electoris usus fuit. Sic enim ait, Communis querela omnium nostrum est, quod bonum Principem perdidimus. Omnium uero pessimum est, quod caput hoc decidit, nunc præsertim his grauib; admirandisq; temporibus, quando tota Germania in seditione est: ut timendum sit, nisi Deus præueniat, totam Germaniam deuastatum iri &c. Sic & in primo libello de seditione rusticorum Sueuiæ, ait per calumniam ad Principes. Primum, inquit, nemini super terram possumus acceptam referre hanc calamitatem & seditionem, quā uobis Principibus & dominis: præsertim uobis cæcis Episcopis, stolidisq; presbyteris, & Monachis. Et quemadmodum falso prophetauit sibi uictoriam Muncerus: ita falso quoq; prophetauit rusticis uictoriam: Principibus cædem, Episcopis & Clericis exterminium Lutherus. Ait igitur in iam dicto libello, quem falso inscripsit, Exhortationem ad pacem, super XII. Articulis rusticorum Sueuiæ: cum re uera esset potius dehortatio à pace ad bellum, & confortatio seditiosorum in scelerato proposito. Gladius (inquit) uobis Principibus super collum iam imminet, adhuc tamen putatis tam firmiter sedere uos in sella, ut nemo uos excutere possit. Hęc securitas & obstinata præsumptio, franget uobis collum, hoc uidebitis. Ego uobis antea per sæpe prædixi, ut caueretis ab illo dicto Psal. 104. Effundit contemptum super Principes: Vos ad hoc luctamini, & uultis super caput percuti, contra quod nulla iuuat admonitio nec ulla exhortatio. Cum sitis igitur causa huius iræ Dei, in uos procul dubio exundabit, si nondum uos cum tempore emendaueritis. Signa in à signis & cœlo, & prodigia in terra destinantur uobis, boni domini, nihil prodigijs, boni uobis portendunt, nullum quoq; bonum uobis contiget. Et paulo post. Hoc enim sciatis, boni domini, Deus ita procurat, ut non possint, nec uelint, nec debeant, uestram Tyrānidem diutius ferre. Oportet uos alteros fieri, & uerbo Dei cedere. Si non feceritis amico uoluntarioq; modo, facere oportebit uos per uolentiam perniciosamq;

perniciosamq; deordinationem. Si non fecerint rustici isti, oportebit alios facere. Et si omnes occideretis, adhuc tamen innocisi sunt, Deus alios exuscitabit. Vult enim uos percutere, & percutiet: Non sunt rustici, boni domini, qui se uobis opponunt, Deus ipse est, qui se opponit contra uos, ad uisitandam uestram Tyrānidem, &c. Hæc neq; minora, neq; uaniora sunt, quā quæ iactauerat Muncerus. De signis cœli prodigijsquæ terræ contra Principes, nihil dixit Muncerus, nec usquā dixit. Non rustici sunt, sed Deus ipse est, qui se opponit contra uos, ad uisitandam uestram Tyrannidem. Quis ergo credat Luthero, iactanti se certum esse, quod uerba sua sint uerba Christi, & os suum os Christi? Sed adhuc multo impudentius egit paulo post, quando rusticos ubiq; succumbere audiuit. Protinus enim contrarium ædidit in eos libellum, cui titulum hunc fecit Teuthonice. Contra latrocīnantes, tumultuantes ac homicidales rusticos, qui sub prætextu sancti Euangelij, fallaciter contra omnes superiores resistunt & insurgunt. Et in ipso libello inter alia multa sic ait. Debet igitur hic percutere, occidere, perfodere, seu clam seu palam, quisquis potest, & cogitare, nihil esse uenenosius, nocentius magis Diabolicum homine seditioso. Perinde atq; si rabidus canis interficiendus sit. Si non feris eum, ferit te & totam prouinciam tecum. Et infra. Arbitror (inquit) nullum esse amplius in Inferno Diabolum, sed omnes prorsus in rusticos ascendisse. Nam insania ista omnem & modum & mensuram excedit. Et rursus. Rustici non amplius iam pro Euangelio pugnant, sed palam facti sunt perfidi, periuri, rebelles, seditiosi, latrones, raptores, blasphematores. Item. Tam admiranda nunc sunt tempora, ut Princeps aliquis sanguinis effusione cœlum promereri queat, melius quam alij orationibus &c. Cui sane libello respondit protinus Ioannes Cochlæus, omnia in Lutherum ipsum retorquens ex proprijs eius scriptis, quæcunq; rusticis ille imputauit, qui cuncta ex libris eius didicerant, quæcunq; iniuste attentabant.

Crudelitas  
Lutheri in  
miserè sed  
ductos &  
occisos ru-  
sticos.

Cum autem propter eam asperitatem & libellum usq; adeo sæuum & cruentum, male à plerisq; audiret Lutherus: tertium quoq; de rusticis ædidit libellum. In quo mox obtendit minas, ut & ij pro seditiosis haberi debeant, quicumq; dixerint, priorē suum libellum nimis esse durum, aut quibus ulla sit erga occisos rusticos commiseratio, quibus Deus ipse nolit misereri. Iubebat igitur cauere unumquenq;, ne quid mussitaret contra, alioqui mox in corde suo seditiosus haberetur, & capite plectendus esset. Pugno (inquit) eiusmodi, blateronibus respondendum est, ut cruor è naribus prorumpat. Nihil hic neq; audire neq; scire uolo de misericordia, sed confyde-

K ij rare

rare, quid uelit uerbum Dei. Idcirco oportet libellum meū & esse & manere iustum, etiam si totus Mundus in eo scandalizaretur. Quid mea refert, si tibi displiceat, quando placet Deo? Ipse enim uult iram & nō misericordiam. Quid tu igitur agis cum misericordia? Nonne Saul peccauit misericordia erga Amelec, quod non exequabatur iram Dei, sicut ei mandatum fuerat? Et in fine. Velim (inquit) in pace dimitti: in me nemo lucrabitur, & rectum permanere oportet quicquid ego & doceo & scribo, etiā si totus mundus ob id dirumperetur. Quod si omnino mirabiles esse uolunt, ego quoq; mirabilis ero, & uidebo, uter tandem recte sentiat. Mira profecto & miserabilis erat tunc Germaniæ superioris facies, inaudita & irrecuperabilis calamitas, terror et tremor maximus, quando uno eodemq; tempore omnium fere Principum (qui Lutherico fermento minus caute ac nimis leniter & negligenter obstiterant) subditi, uel apertam intendebant uim, uel occultam in corde rebellionem fouebāt. Multa igitur Milia rusticorū insurrexerunt in Sueuia, multa in Alsatia, multa in Franconia, multa in ripa Rheni, multa in Turingia, profligato uno cuneo, mox obijciēbat aliis.

Quāta turbatio tunc in Germania fuit.

Antequam uero iustos conscriberent exercitus Principes, a tumultuantibus turbis grauissima passim & undiq; illata fuerunt damna, in diripiendis diruendisq; Monasterijs, templisq; & arcibus. Et intra unū mensem Maium, maiores clades cædesq; & uastitates passa est superior Germania, quam Decennali bello tum a Gallis & Hispanis passa sit Italia. Scribit enim D. Conradus Vuimpinat: uir grauis & eruditus, homo senex & Francus, in una Franconia<sup>†</sup> deuastata esse Monasteria & Arces 293. Et unus Lothoringie Dux Antonius, in una Alsatia supra 26. Milia rusticorum occidit. Quot aut occidit Liga Sueuica multis in Sueuia & Franconia prælijs & conflictibus? Quot Elector Palatinus? Quot Marchio Casymirus? Quot alij? Nam longe aliud erat hic pugnae genus, quam in iustis bellis esse solet, ubi rex cōtra regē, aut Princeps cōtra Principē instructis ordinibus et aciebus pugnare solet. Hic enim rustica turba, rei militaris ignara, inermis & inordinata prouens, aut in globū sese agglomerans metu, non tam pugnam quam cædem instructis Principum exercitibus obtulit. Vnde factum est, ut quam plurimi rusticorum cæsi fuerint: ex parte autem Principum perquam paucissimi. Quia neq; dimicare, neq; stare in prælio sciebant rustici.

† Seu Francia Orientali.

Seditiones in ciuitatibus.

Et non solum in rure, uerum etiam in ciuitatibus multæ eo tempore oriebantur seditiones, ubi plebs in Clerum atq; etiam in Senatum cōsurrexit: sed ita, ut non cædibus & armis ac uastationibus desauiret, sicut desauiebant rustici, sed impijs ac fatuis legibus, in gratiam

gratiã noui Euãgelij, suam exerceret temeritatẽ & insaniam. Verbi gratia, Francofordiẽ ad Mœnum seu Mogonũ, plebs, quam duo præcipue seditiosorũ ductores: quorũ unus erat sartor, alter sutor: ad seditionem excitabant, in ferijs Paschalibus magno impetu insurrexit: undiq; ad arma concurrens, quando audiebat, non longe abesse rusticorum contra Archiepiscopatum Moguntinum insurgentium cuneos, ut eo maiorem incuteret metum & terrorem tum Clero, tum Senatui. Primus itaq; seditiosorum concursus & impetus fuit in Monasterium Prædicatorũ, citra tamen direptionem ac deuastationem ullam: uinum duntaxat ad bibendum imperiose postulatum est. Duo Decani, Fridericus Martorff ad S. Bartholomæum, & Ioannes Cochlaus ad B. Virginem, haud ignorant, quam insensam in se præcipue haberent plebem: hic quidem quod in Lutherũ quædam scripserat: ille uero, quod in Parochiali Ecclesia nouos Lutheranorũ ritus nõ admitteret: aufugerũt priusquam clauderẽtur portę. Plebs ubi in apertam seditionem transijt, mox clausis portis, nutu suo agebat omnia: Senatus non minus metuebat uim & bonorum direptionem, quam Clerus. In maximo autem periculo fuissent duo Decani, si remansissent. Facto igitur in domos eorum impetu, ubi eos non repererunt seditiosi, in solum uinum ira transijt, & Cochlæo quidem minus damni fuit illatum, eo quod mater eius decrepita, domi cum sua ex filia nepte sola derelicta, commiserationem promeruit anili eiulatu. Deinde regimen sibi plebs arrogans, potestate Senatui abrogata, nouam constituit Curiam, in Aedibus & Curia S. Antonij. In qua XXIII, ex plebe delecti, summam potestatem ac ius omne totius ciuitatis sibi usurpauerũt. Conscripserũt itaq; XLVII. Articulos, quos pro legibus haberi uolebãt, nec a minis & terroribus destiterũt, donec et a Clero & a Senatu consensum uniuersalem extorquerent. Sed & absentibus Decanis, minaciter scripserunt, ni consentirent & redirent intra proximum mensem, sua amissuri essent sacerdotia, alijs qui consentirent conferenda. Quibus sane minis, ab altero, cui frater Germanus in Senatu erat, & quidem uir optimus, extortus est tandem cõsensus. Cochlaus uero rescripsit, se consentire non posse absque superiorum suorum consilio & uoluntate. Petebat igitur longiores inducias: nõ sane quod consentire unquam intenderet, sed ut iratę plebis animos a ui & spoliatione suspenderet, donec Deus aliter prouideret. Quod & paulo post factum est.

Fuga elapsi Duo Decani Francofordiæ.

Minæ seditiosorũ in illos Decanos.

Nam cæsis ac profligatis in Franconia rusticis, plebs Francofordiensis, per duos Principes Electores, Archiepiscopum Treuerẽsem & Comitẽ Palatinum Rheni, redacta est in priorem statum, re-

Compressa seditio plebis Francofordiæ,

Articuli  
47. plebis  
Francofor-  
diensis.

Seditio ple-  
bis Mogū-  
tia.

uocatis & cassatis cunctis temeritatibus, quas uane attentauerat: discisis item literis & sigillis, quas à Clericis inique per minas extorserat. Ex eo tamen die Cochlaeus Francofordiæ nunquam resedit amplius, sed exulans aliquandiu Coloniae, post annum aliud, beneficio Papæ, sacerdotium obtinuit Moguntiaë ad S. Victorem, ubi resedit pacificè, donec mortuo Emsero, in locum eius euocatus fuit in Misniam, à Pio & Catholico Principe, Saxoniae Duce Georgio. Seditiosi autem ex plebe Francofordiensi, ut suo exemplo alias quoque plebes commouerent, descriptos suos articulos transmiserunt, non solum ad uicinam Moguntiaë plebem, uerum etiam ad longius distantem Coloniae populum: pium alioqui & religiosum: Vbi & per Typographos in multa exemplaria, ut disseminarentur latius, multiplicati sunt egregij illi articuli. Inter quos sane isti quoque habebantur uelut præcipui: Nempe, ut de cætero potestas eligendi & instituendi Pastores & Plebanos, esset apud Senatum ac plebem, qui purum uerbum Dei & Euangelium sine humanis additionibus docerent. Item, Ut omnes Clerici cuncta portent onera ciuilia, in angarijs, uigilijs, custodijs, uectigalibus &c. Item. Ut nulli Monachi amplius permittantur mendicare, prædicare, aut confessiones audire. Item, Ut de cætero, neque Monachus neque Monialis ulla, in eorum Monasteria ibi admittatur aut recipiatur. Qui uero intus essent, exire possent quancumque uellent. Item. Ut omnes census, de quibus non extant certe literæ & sigilla, aboleantur, & possessorio nomine nemo amplius obligatus sit. Item. Ut Ecclesiastica beneficia posthac, non externis aut Curtisanis, sed solis ciuium filijs conferantur: & quæ ex his necessaria non sunt, ut census & decimæ eorum tradantur in communem cistam, pro sustentatione pauperum ciuium, ne quis mendicet. Item. Ut omnes donationes ex testamētis, & aliæ Eleemosynæ, in cōmunem cistā conferantur: abolitis cunctis Anniuersarijs, Fraternitatibus, & Exequijs mortuorū in Ecclesijs &c. Eiusmodi ergo articuli, quos à Vuittenbergenſibus didicerant seditiosi, mox & Moguntiaë in Clerū concitauerūt plebem, quæ in die S. Marci, per acta solenni processione, simili tumultu portas urbis clausit, & Clero extrema quæque comminabatur, & ex carceribus tres ui eripiebat sacerdotes Lutheranos. Cuncque toto triduo clausis portis tumultuaretur, ac stans in armis plebs tonitruis Bombardarū Clerū territaret, atque minaces iniret tractatus cum Canonicis Maioris Ecclesie: tandem illorū Decanus, Dominus Laurentius Truchses, pacē iniquissimis conditionibus à plebe præscriptā, totius nomine Cleri acceptauit. At paulo post, cæsis rusticis, illæ quoque literæ & pollicitationes

tationes cassatae sunt & reuocatae, capitibus seditiosorum eiectis ac perpetuo proscriptis. Nam & rustici Rincauiæ in proximo rure tunc tumultuabantur, & opulentissimum ibi Monasterium Erbacense, plurimis uexabant deprædationibus. In quo sane perquam grande ac memorabile habetur uas, quod continere potest uini plaustra 84. Illud ergo tunc plenum rustici aggressi, sic ebiberunt, ut tantum triginta in eo relinquerent plaustra, à quibus deterruit eos superueniens à Liga Sueuica Capitaneus, Frobenus ab Hutten, qui & graubus mulctis eam seditionem, tum in ciuitate tum in rure, ultus est. Cæterum uas illud hodie uacuum manet, non sine graui Monasterij damno. Nec multo post Colonia quoque in ferijs Pentecostes insurrexerunt artifices, ut tam Senatam quam Clerum, ad condiciones pacis iniquas terroribus & minis compellerent. Erant itaque in armis circiter XIII. dies. Archiepiscopus Colonien- sis, Princeps Elector, per Consiliarios suos eum tumultum sedauit & composuit, sed non sine graui totius Cleri dispendio, cui multae immunitates & libertates in sex annos fuerunt per eam pacem ad- emptae. Cæterum ex ductoribus seditiosorum paulo post à Senatu comprehensi tres, plexi capite, publice cæteris in exemplum poenas dederunt. Nec unquam potuerunt ullis practicis efficere Lutherani, ut eis liceret ibi publice concionari. In plerisque præterea ciuitati- bus Imperij, ne Senatus à plebe consimili audacia opprimeretur, magnis impensis oportuit à Senatu conducimilites in sui praesidium, ad reprimendos motus noui Euangelij in plebe. Exulans tunc Cochlaeus, qui primo Francofordiam, deinde Moguntiam, propter se- ditiones reliquerat, Coloniae hospes erat. Ad quem & D. Ioannes Eckius uenit, dum in Angliam tenderet, eique de stragibus rustico- rum multas nouitates impertitus est, quas ille ibi cum reliquis qui- busdam libellis suis addidit, qui ad rem pro temporis qualitate face- re uiderentur. Adidit autem Quatuor libros, De Petro & Roma contra Velenum, Breues item confutationes, contra Quingentos articulos Lutheri ex 36. sermonibus eius excerptos. Cõmentarium quoque breuem in libellum Lutheri, quo infelices Agricolas gladio Infernoque deuouit ac tradidit is ipse, à quo maxime seducti fuerant. Et Catalogum seditionum, per diuersas Germaniae prouincias exor- tarumque terram sanguine miserorum repleuerant. Quamuis uero Lutherus per scripta sua uere esset omnium eiusmodi malorum mi- seriarumque & calamitatum causa, aut saltem origo & occasio, usque adeo tamen non condoluit, nec ullum compassionis indicium, ne ad oculum quidem, exhibuit, ut Erynni quadam percitus, de com- munis patriae malis exultare, & de occisis rusticis triumphare, atque

Maximum  
uas uini in  
Rincauia.

Seditio ple-  
bis Colo-  
niae exorta.

Nuptiae  
Luth.

de

de Principis sui morte lætari uideretur. Nam paulo post, ubi ille mortuus, & rustici occisi essent, ac tota Germania in luctu confusioneq; & mœrore misere conficeretur: ipse omnia ista dissimulans, Monialem duxit uxorem, ac lætas celebrauit publice nuptias, incestu & uotifragio sacrilegas, ac tot milibus occisorum funestatas.

In quas sane nuptias satis elegans (ut amœni erat uir ingenij) ædificauit carmen Hieronymus Emserus. Quod & Quatuor uocum contentu decorauit. Inter cœtera sane, personam agens Lutheranorum sic ait.

Epithalamium Emseri in nuptias Lutheri.

*His magistris licet nobis omne nefas, licet probis, omnibus obstrepere. Cum iubilo,  
Conculcare iura, leges; infamare licet Reges, Papamq; cum Casare. Cum iubilo.  
Sed & ipsos irridemus, Christi sanctos, & delemus eorum imagines. Cum iubilo.  
At Priapum Lampfacenum, Veneramur & Sylenum, Bacchumq; cum Venere. Cum iubilo.  
Hi sunt ueteres Coloni, nostri ordinis patroni, quibus ille militat. Cum iubilo.  
Septa claustrum dissipamus, sacra uasa compilamus, sumptus unde suppetat. Cum iubilo.  
I Cuculla, uale Cappa, uale Prior, Custos, Abba, cum obedientia. Cum iubilo.  
Ite uota, preces, hora, uale timor cum pudore, uale conscientia. Cum iubilo.  
Io Io Io Gaudeamus cum iubilo Dulces Lutheriaci. Cum iubilo.*

Et in alio Carmine.

*Vos etiam scurræ, Lurcones & Parasiti,  
Quos male delectant populi ieiunia Christi,  
Vos quoq; Lenones, periuri, sacrilegiquq;  
Virginitas quibus est flocci, uotumq; sacrumq;  
Deniq; Thraiones, linguaces Ardeliones,  
Quiq; diu accisi Christumq; Fidemq; negastis.  
Impuri, quorum deprauat lingua sodales,  
Perfida, & in sensum reprobum, quos crimina ducunt.  
Tu quoq; fex uulgi, cui sunt nunc dura supernæ  
Frena potestatis, iuga quæ furibunda resoluis.  
Cuncti Legifragi celebrate Hymenea magistri,  
Cuius uos faciunt uotis documenta potiri.  
Tu noua nupta tuo uelum depone marito.  
Rumpe pudicitiaæ zonam uotumq; fidemq;  
Tam bene, q̄ Christo uestrum sacrauit uterq;  
Conspurate torum, mentemq; & corpora uestra  
Sacrilego incestu; per uos generabitur illa  
Pernicies mundi, certissimus Antichristus.*

Hæc pius Emserus, in quem multi iuuenes Poëtæ Vuittebergen-  
ses iam pridem frustra conspirauerant. In mortem enim usq; con-  
stantissime uir ille piam patrum religionem contra eos defendit.  
Eo item tempore multos Coloniae libros enulgauit insignes Egre-  
gius

gius ciuis, Typographus Coloniensis, Petrus Quentel, Quos summi duo Theologi, eruditione iuxta ac integritate celeberrimi, Ioannes Fischerus, Episcopus Rossensis in Anglia, et Iudocus Chlichtoueus, Doctor Parisiensis in Gallia in Lutherum grauissime pariter & solidissime scripserant atq; etiam ædiderant. At Lutherus cuncta eorum scripta dissimulans, neutri eorum ullo unquam uerbo respondit, eò quod solidior sit eorum doctrina, quam ut sophisticis Lutheri fucis labefactari queat: & eorum uita longe probatior bonisq; omnibus notior & cõmendatior, quam ut ullis illius conuictis aut calumnijs denigrari aut suggillari possit sine lectoris offensa. Neq; uero respondit quicquam ad grauem & eruditam, licet breuem, orationem Andræ Critij, Episcopi Premisliensis in Polonia (qui postea Plocensis Episcopus, ac tandem Archiepiscopus Gnesnensis factus est) ad Regem Poloniae Sigismundum habitam, atq; in lucẽ æditam. Cuius hoc sane initium est. Qui res Ecclesiasticas memoriae prodiderunt, Maxime & Sapientissime Rex, in numeros hæreticos & Apostatas recensent: Qui sensu suo & spiritu superbiæ transuersum acti, Ecclesiam Dei deuia & pertinaci doctrina scindere ac turbare consueuerunt. Quorum monstrorum, cum semper Romana Ecclesia domitrix, ceu claua Herculis, extitisset, in eam potissimum hæc Dæmoniorum zizania ferebantur, atq; hi turbines, hi fluctus eam cum primis nauiculam obruere nitentur. Et infra. Inter tot autem actam uarios, qui hæctenus fuerunt, hæreticos, nemo fuit, qui non ex Euangelio basim doctrinæ suæ statuisset, non uerbi Dei prætextum et illicem ueneni sui fecisset.

Opuscula  
Rossensis  
& Chlichto  
uei Colo  
niæ excusa.

Andreas  
Critius Po  
lonus.

Sicut in præsens agit, nouũ sui anguli numen, Lutherus. Quod ita humiliter, ita caste, ita mansuete & pacifice, iuxta doctrinam Christi & Apostolorum, tractat, ut nihil arrogantius, nihil impudentius, nihil seditiosius ac uirulentius, dici uel excogitari possit. Ut qui nedum Reges carnifices, scurras & nebulones: Pontifices Antichristos, Lenones & Idola uocet, sed & sanctos atq; adeo ipsam Deiparam uirginem, lingua facerrima, ut ex plerisq; eius argumentis constat, uilipendit ac eleuat. Et in fine. Interim (inquit) Inuictissime Rex, quia tibi curæ esse intelligo, ut eam labem in uicina serpentem, à regno & dominijs tuis arceas: hæc præludia quoquo modo in præsens effudi, quæ dum alia nostra & aliorũ adornantur, benigno animo suscipe, & quod facis, rem Christianam, non solum à Turcis & Tartaris alijsq; Ethnicis, sed etiam à Domesticis hostibus Apostatis & hæreticis tueare. Huic orationi, dum æderetur, uaria multorum adiecta erant carmina Polonorum, & quidem ingeniosa & acria, Quorum primum erat in Imaginem Lutheri, Cuius initium sic habet.

Quale E  
uangelium  
Lutheri.



Ille Lutherus ego, toto iam notus in orbe,  
Cui uulgi improbitas nomina tanta dedit.  
Quicquid enim dictum damnatumq; extitit ante,  
Nunc renouans iactor spiritus esse Dei.  
Concilijs, patribus, mori contraria scribo,  
Aclus & huc, consto non ego sæpe mihi.  
Mystica scripta uolo, cum res mea postulat, esse:  
Nuda eadem, cum res exigit, esse uolo.  
Nil credens, seruansq; nihil, Christi effero leges,  
Prætextu quarum carpere cuncta licet. &c.

Deinde aliud carmen in conditiones Lutheranorum.

Dic male sacrificiis, Superos contemne, probatis  
Moribus obtrecta, ieiunia sacra precesq;  
Ride, Concilijs obsta, Patrumq; relictis  
Ritibus illude, ac Venias, Anathemata, Vota,  
Non assis facias, absit confessio culpæ.  
Absit religio, cedant delubra popinis.  
Plus persuade tibi de te, q̄ sit deceatq;  
Pontifices, Reges præ te ceu stercora pendas.  
Scripturasq; sacras, ut uis, intellige, priscos  
Doctores, leges, sanctorum & gesta negato.  
Sis bonus impostor, Sis ad conuitia doctus.  
Præfectos traduc populo, retinacula rumpe.  
Ordinis & fidei, cieasq; per omnia turbas.  
Sic age sectator, qui uis probus esse Luthero. &c.

Et aliud item in monstrum Cucullatum ex uacca.

Vacca cucullatum produxit Saxica foetum,  
Designans monstrum, terra quod illa fouet.  
Saxe miser uigila, monstrumq; hoc confice, semper  
Exitium terris monstra tulere suis.

Et rursus aliud in eius conuitia.

Stercora cum præ se ducat quoscunq; Lutherus,  
Oreq; spurciloquo nil nisi stercus habet,  
Non, rogo, stercoreum dices hunc esse prophetam?  
Qualia uerba uiri, talis & ipse uir est.

Ad hæc & id genus multa Polonorū carmina, mirum fuit silen-  
tium Lutheranorum & Poëtarum Vuittenbergensium, qui antea  
non solum respondere & talionem irritati reddere; sed sæpe ultro  
incessere

inceffere & petulanter prouocare solebāt, forsitan exemplo infortunato deterriti. Nam cum doctissimus eorum, Philippus Melancthon, antea respondisset Accusationi, quā Thomas Radinus Todefco Placentinus, uir eloquens ac Theologus, grauiissime simul & eruditissime in Lutherum, ad Principes Germaniæ scripserat: Ille autem falso putasset à Hieronymo Emsero scriptam fuisse, à Radino illo ita repulsus est altera oratione, ut contra ne mutire quidē auderet. Misere enim fuerat suo de autore iudicio deceptus, & statu causæ maxime prægrauatus, tacere maluit, quam dedecora sua dedecorosius in literas referre aut defendere. Lutherus, cum uideret se ab exteris tam ualide impeti, tot eruditis libris urgeri, tot argumentis ueris conuinci ac traduci: omnia eorum scripta serpentino astu dissimulans, ad ea, uelut ad carmina sapienter incantantium, tanquam aspīs surda, nō modo aures suas obturauit, ne forte audiens illorum uoces, & contradicere nesciens, uictus uideretur: Verum etiam linguam procacem stylumq; petulantem ita cohibuit, ut illos aduersarios suos externos, usq; adeo acres & ualidos, ne nominare quidem unquam ad populum ausus fuerit.

Phil. Melancthon misere confutatus à Radino.

Silentium Lutheri ad scripta Latina.

Liber Lutheri contra Canonem Missæ.

Cumq; premeretur graui apud Germanos quoq; inuidia, propter tot seditiones cædesq; & calamitates, ex eius Euangelio nuper natas, statuit se nouo contra Clerū libello Teuthonico egregie uindicare. Validissimo igitur furoris & iræ impetu insurgens, titulum libello dedit, De Abominatione Canonis Missæ. Deinde longum præmittens prologum, sic orsus est. Ego multum ac sæpe iam prædicauī & scripsi, de Papisticis sceleratis Missis, quomodo conandum sit, ut ab ea abominatione liberaremur. At oportet nos à Dominis nostris Papistis audire, quod culpā tribuunt nobis: conquærentes, nos intendere seditiones suscitare. Sed & hoc transeat, sine eos & istud in nos mētiri, bene plura quàm istud mētiti sunt. Cum enim ausint diuinam Maiestatem impudenter omni hora blasphemare, ac uiolare suis abominabilibus Missis & Idolatrijs, quid nocet, si nos pauperem hominē arguunt mendacijs: Et post pauca. Hæc toties prædicauimus & inculcauimus, ut unusquisq; scire & inde concludere queat, omnia opera nostra, quæ intenduntur ad agendam pro peccatis pœnitentiā, mortemq; effugiendam, esse blasphema, quæ Deum abnegāt, ac sacrificiū Christi uiolant eiusq; sanguinē. Quia id facere uolūt, quod solum sanguinē Christi facere oportet. Hæc & id genus multa, impie ac seditiose scripsit in prologo. Ceterū in libelli processu totū recitat Canonē Teuthonicū, eumq; non solum impie peruertit, sed et scurriliter multis calumnijs falsisq; expositionibus, impietatis & blasphemiæ accusat, ut mirari

Scurrilitas Lutheri in Canonem Missæ.

L liceat,

liceat, quomodo possit cor humanum, quod illis sacris à puero af-  
suetum, atq; etiam usu & actione sacra XV. annis imbutum, exer-  
citarumq; & mansuefactum fuit, tanta malignitate deprauari, ut  
sciens uolensq; tam scurriliter in res sacratissimas & in maxime  
tremenda mysteria inuehi nō uereatur. Verbi gratia, ut dicere sic  
ausit. Debemus ne Deo buccellam panis et uini offerre, ut acceptet  
pro Christianitate: ac præterea dicere, esse sanctum & immacula-  
tum sacrificium: Nonne tātundem est dicere, ut Deus pane & uino  
placetur, quod tamē nihil amplius est, quam alius panis, quo unus-  
quisq; uescitur. Item. Tu ne pro iustis Christianis ores, cum sis ipse  
nebulo & blasphemator Dei: Et nihil agis amplius, quam quod  
buccellā simplicis panis et uini offers. Siquis recte aperiret oculos,  
atq; abominabilem Dei blasphemiam intueretur, quæ quotidie fit  
in toto mundo, cor certe dissiliret ei. Tantundem enim est, ac si di-  
cerent Deo, Tu mentiris in os, Nos opitulari oportet Christiani-  
tati pane & uino, & tu dicis, solum filij tui sanguinē id facere oportere.  
Hæc nos (inquit) ferre oportet, ac quotidie audire atq; uidere  
&c. Huic incredibili eius malitiæ, ac nunquam prius auditæ ca-

Quantum  
hic distat à  
Zuinglio  
Lutherus?

Liber Em-  
seri pro sa-  
cro Cano-  
ne Missæ  
cōtra Lut.

calūniæ, acriter atq; intrepide respondit Teuthonice Hieronymus  
Emserus, inter aduersarios eius uicinitate loci illi proximus. Qui &  
antea eundem sacrum Canonē fortiter asseruerat, Latine quidem  
contra Vlricum Zuinglium Tigurinum in Heluetijs: Teuthonice  
uero, contra Duos Præpositos Nurenbergenses. Partitus est itaq;  
responsionem suam in partes Duas: In quarum priore, seditionum  
autorem demonstrauit Lutherum, ex quam plurimis ipsius libris  
uarijsq; scriptis. Et adeo clare ex ipsiusmet Lutheri uerbis ostendit  
ac deduxit Emserus, ut hæctenus nemo diluere attētauerit. In alte-  
ra autem libelli parte, confutauit paucis omnes Lutheri calumnias,  
quas ille in Canonem euomuit: Nam pluribus eundem antea de-  
fenderat contra Lutheri complices. Eo enim audaciæ & impieta-  
tis progressi iam fuerant pleriq; ut nihil magis quam Missam &  
cœlestia religionis nostræ mysteria cōtemnerent ac detestarentur.

Ausus itaq; fuit Argentinæ quidā Pætotriba, Sapidus: Poëta  
Insipida & profecto nimis insipidus, ac ferali sacrorum contemptu impius:  
impia car- carmina ex meris conuitijs & blasphemijs in Missæ monumen-  
mina Sapi- tum, uelut in sepulturam & exequias eius, contexere. Quorum sane  
di contra initium sic habet.  
Missam.

*Missæ malum, peius quo sæcula nulla tulerunt*

*Isud propudium, Dedecus exitium.*

*Fel, odium, sacrilegium, monstrum, scelus, ulcus.*

*Prostitulum,*

*Prostitulum, uirus, excidium, barathrum.*  
*Spectrum, flagitium, tormentum, nausea, labes,*  
*Quisquiliæ, tenebræ, carnificina, metus.*  
*Naufragium, latrocinium, uis, præda, Tyrannus,*  
*Clades, poena, dolor, mors, furor, horror, onus.*  
*Nequitia, insidiæ, impostura, infamia, terror,*  
*Illuues, sanies, merda, cloaca, putor.*  
*Larua, superstitio, impietas, iniuria, nullo*  
*Missæ unquam inuiso nomine nota satis.*  
*Nec cruce, nec ferro, nec peste, nec igne, nec unda:*  
*Sed sola Christi uoce perempta iacet.*

Hæc criminosa & impia Sapidi carmina, in laudem & uictoriam Missæ, conuertit uir Doctissimus ac trium linguarum peritissimus Theologus ac Philosophus insignis, Arnoldus Besaliensis Coloniae, In hunc sane modum.

*Missæ bonum, melius quo sæcula nulla tulerunt.*  
*Missæ Decus populi, uita, medela, salus.*  
*Fellis homo plenus, nebulo, peculator & osor,*  
*Et meretrix, Missam dilacerare solent.*  
*Crimina Missæ fugat, labem, tormenta repellit,*  
*Quisquilias, tenebras disijcit atque metus.*  
*Hanc latro insequitur, prædo fugit atque Tyrannus,*  
*Clades, poena, dolor, mors, furor, horror abest.*  
*Absunt insidiæ, impostura, insania, terror:*  
*Candor, mundicies & decor omnis adest.*  
*Relligio, pietas, ueri custodia & æqui,*  
*Missæ triumphanti nomine nota satis.*  
*Quam crux, quam ferrum, quam pestis & ignis & unda,*  
*Suspiciunt, Christo quo stabilita uiget.*

Carmina  
pia Arnol-  
di Besalien-  
sis pro  
Missæ.

Circumfertur insuper & Dialogus quidam Teuthonicus, de ægritudine & obitu Missæ, quo nihil insulsius, nihil impudentius habet orbis. Quare hæc una in tremenda Missæ mysteria impietas Lutheranorum, tam execrabilis merito & uidetur & est, ut si tota Germania cœlesti ultione intereat funditus, reliquæ Nationes iustum Dei iudicium cum timore ac tremore, & agnoscere & collaudare possint: iuxta illud Moyse Deut. 29. Et dicent omnes gentes. Quare sic fecit Dominus terræ huic? Quæ est hæc ira furoris eius immensa? Et respondebunt. Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum &c. Quod forsitan iam

L ij pridem

3 Reg. 19. pridem contigisset, nisi superessent adhuc plures in ea quam septem  
 Gen. 18. Millia, qui genua sua isti Baal Saxonico non flexerunt. Pro qui-  
 bus Abraham orans, ac stans coram Domino ait. Nunquid per-  
 des iustum cum impio: Cui respondeat (ut sperandum est) Do-  
 minus. Si inuenero Quinquaginta iustos in medio Germaniæ, di-  
 mittam omni loco propter eos, scilicet, ut superexaltet misericordia  
 iudicium. Lutherani uero, ad propagandam sectam suam cal-  
 lidi ac seduli, ubicunq; sciebant ullos esse factioni suæ fauentes, lite-  
 ris & nuncijs accurate sollicitabant ac satagebant, ut iacto funda-  
 mento ibi nidificarent: maxime uero in regionibus Aquilonis.

Epistola  
 Lutheri &  
 Pomerani  
 ad Liouones

Quippe uno eodemq; tempore Vuitenbergæ & scripserunt & per  
 Typographos ædiderunt tres epistolas, in Liuoniam destinan-  
 das, Martinus Lutherus, Ioannes Pomeranus, & Melchior Hof-  
 mannius, & quidem Germanice, non solum ad confortandos Li-  
 uones: Verum etiam ad gloriandum apud Germanos de latitudi-  
 ne sectæ suæ. Et tamen tertius ex ijs postea contra Pomeranum di-  
 sputauit in Flensborg, Carolstadianam sectam amplexus. Po-  
 meranus autem Latinam quoq; scripsit epistolam ad Sanctos (ut  
 habet titulus) qui sunt in Anglis. Cui Coloniae respondit Ioannes  
 Cochlaeus. Et Lutherus itidem Latine scripsit ad Ducem Sa-  
 baudia CAROLVM: Principem sane Catholicum ac multo  
 in literis eruditorem, quam ut à Luthero tam facile subuerti aut se-  
 duci queat. Satis tamen astute, secundum morem serpentis antiqui,

Epistola  
 Lutheri ad  
 Ducem Sa-  
 baudia.

ad captandam beneuolentiam, ait ueterator. In primis ueniam  
 abs tua Clementia peto, Illustriss. Princeps, quod ego sex homi-  
 num, neq; iussus neq; uocatus, ad tuam Celsitudinem audeo scri-  
 bere prior. Facit id gloria Euangelij Christi, in qua & ego glorior  
 & gaudeo, ubi ubi illam uidero & audiero clarere aut surgere. Da-  
 bit igitur tua Celsitudo iq; Euangelij causæ, quod præ gaudio tuam  
 Dominationem Illustrissimam saluto prior. Peruenit enim ad nos  
 fama, eamq; confirmauit Annemundus Coctus, Eques auratus  
 Gallus, incredibiliter feruens in gloriam Euangelij: Esse scilicet  
 Ducem Sabaudiae syncerae pietatis uehementer studiosum, rarissi-  
 mo certe inter Principes dono Dei &c. Sed usq; adeo nihil effe-  
 cit astu illo adulatorio Lutherus, ut eo nihil foret miserius, si in  
 illius Principis manus ueniret, cum sit nouis ijsce sectis infensissi-

Epistola  
 Lutheri ad  
 Brabandi-  
 nos & ad  
 Hollandos

mus. Et simili astutia scripsit ad Antuerpienses quoq; Epistolam,  
 & alteram item ad Christianos, qui sunt in Hollandia, Brabantiaq;  
 & Flandria, ut saltē Saxones credant, Lutherū Euangelio suo totū  
 pene mundum replese, latius etiam, quam S. Paulus repleuit, qui  
 ait se ab Hierusalem usq; in Illyricum replese Euangelium. Satis  
 autem

autem constat Lutheri Euangelio, nusquam publice patere locum in cunctis iam dictis prouincijs, nisi quantum furtiue ac raptim fit per audaces Apostatas in angulis. Et tamen Lutherus callide dissimulans, Euangelium suum ibi publice interdictū & proscriptum esse: scribit amplo & generali titulo, perinde ac si tota Hollandia Brabantiaq; & Flandria suarū essent partiū, cum nihil sint minus.

Frater Cæsaris, Archidux Austriae Ferdinandus, tanq; locum tenens Imperij, indixerat Imperialem Conuentum Augustae celebrandum, sub Festum S. Martini. Quem, cum pauci ex Principibus per sese comparuissent, cito dissoluit, alium Conuentum Spirae, in primum diem Maij indicens: Ea sane spe proposita Principibus, ut Cæsar ipse illuceo tempore uenturus esset. Quantum uero ad religionem attinet, præcepit, ut Concionatores, absq; scandalo & seditione interpretarentur Euangelium & scripturam, iuxta sanum sensum approbatorum Ecclesiae Doctorum. Deinde constituit, ut omnes Principes & Status, essent præparati armis & præsidijs, si quis nouus oriretur tumultus. Deniq; temperauit iuris rigorem circa seditiosos, ne n̄, qui à Superioribus suis in gratiam recepti, propter seditionē præteritam, in iudicijs pro infamibus habeantur;

Constitutiones Ferdinandi locū tenentis Cæsaris Maiestatis,

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini*

*M. D. XXVI.*



Lutherus, ubi uidit se contra Principes nec minis nec conuitijs, neq; etiam excitatis tumultibus & seditionibus ita præualere, ut eius Euangelium acceptarent, aut saltem tolerarent: cepit serpentine astu aliam excogitare decipiendi uiam, nempe, ut pro minis preces & deprecationes, pro conuitijs laudes et blanditias, et pro seditiosis irritamētis et uirulentis dulces & tranquillās admonitiones scribendo proponeret, ac mitteret priuatim & clandestine, ad eos maxime Principes, quos omnium grauissime offenderat ac publice traduxerat. Cū igitur non ignoraret, in Aula Ducis Saxoniae Georgij, haud ita paucos existere, qui occulte, contra Principis sui mentem & decretum, Lutherico contra Clerum fauerent Euangelio (Atq; ex h̄sce quendam esse etiam Consiliarium eius, & non paruæ in administratione rerum autoritatis: Qui et postea pessimo facinore in Principem optimum perfidus factus, seipsum turpissime prodidit) Vana spe illectus ab illo alijsq; Lutherus, blandas ac deprecatorias ad eum Principem, quem Tyrannū & mendacem prius dixerat, scripsit, si forte blan-

Astutia Lut. in blanditijs ad Principes.

D. Otto Pak.

L iij ditij

ditijs muliebriter euincere ac expugnare possit fortem animum, ac robustæ constantiæ uirile pectus: Quemadmodum à Dalila meretrice fortissimo Samsoni factum fuisse legerat, Quod minis calumnijsq; & conuitijs antea non poterat. Sic ergo inter cætera Teuthonice scripsit.

Blanda uerba Lut. ad Ducem Georgiū.

Venio nunc, & procido cum corde ad Illustrissimæ Clementiæ uestræ pedes, & oro perquam humillime, ut Ill. Cle. uestra adhuc desistere dignetur ab inclementi proposito, ad persequendum doctrinam meam: Non quod mihi multum damni fieri queat per Ill. Cle. uestræ persequutionem. Non plus amittere habeo, quam hunc miserum saccum uermium, qui tamen quotidie nunc ad sepulchrum properat. Habeo item bene maiorem hostem, nempe Diabolum cum omnibus angelis suis: Attamen Deus hætenus eum mihi dedit animum (quamuis miser fragilisq; peccator sim) ut ab illo tutus permanerem. Et si meum quærere deberem cõmodum, non potest mihi melius cõtingere, nisi ut grauius persecutionibus impetar. Quam insigniter enim hætenus mihi profuerit persequutio, commemorare non possum, ut propter hoc hostibus meis merito gratias agere debeam. Quod si mihi gratũ foret Ill. Cle. uestræ infortunium, ego Ill. Cle. uestram ulterius quoq; irritare, atq; optare uelim, ut me semper continue persequeretur. At satis fuit, Ill. Cle.

Iactantia Lutheri de sua doctrina.

uestra bene sese ostendit. Nunc tẽpus est aliter agendi. Quamuis enim Ill. Cle. uestra non uelit credere, doctrinã meam esse uerbum Dei (Tunc enim seipsam bene informare sciret, & admonitione mea non egeret) Cum autem, ego sciam & certus sim, oportet me sub animæ meæ periculo, pro Ill. Cle. uestræ anima curam gerere, orare, obsecrare, atq; exhortari, an aliquid efficere queam. Ill. Cle. uestra non intueatur modicam personam meam: Deus enim semel per asinam quoq; locutus est. Increpat item in Psalmo XIII. eos, qui consilium inopis contemnunt. Neq; tamen Ill. Cle. uestra nec ullus hominum, doctrinã meam extinguet aut impedit: oportet eam progredi, sicut & hætenus fecit. Non enim mea est. Id unum doleo, quod uidere debeam, quomodo Ill. Cle. uestra tam horrendè impingat in lapidem Angularem Christũ: Cum Deus alioqui Ill. Cle. uestræ multas bonas uirtutes & proprietates alijs in rebus dederit. Det Deus omnipotens, ut bona hora uenerim, ac scriptura mea gratiosum inueniat locum in Ill. Cle. uestræ corde. Si enim Ill. Cle. uestra (quod Deus auertat) eiusmodi meam humilem accordialem admonitionem non acceptaret, oporteret me Deo committere. Volo autem his conscientiam meam & coram Deo & coram Ill. Cle. uestra, excusatã habere, quod fecerim quantum

tum in me est, & ad faciendum ac omittendum omnia uoluntarius ac præsto sim, quicquid scire Ill. Cle. uestræ beneplacere: Excepta doctrina mea. Eam deserere non possum apud conscientiam meam. Aliàs uero oro & subijcio me, ac gratiam quæro, ubicunq; offendi Ill. Cle. uestram, siue scriptis siue uerbis. Remitto item ex corde omnia, quæcunq; Ill. Cle. uestra contra me egit. Rogabo præterea & certissime impetrabo remissionem apud dominum meum Iesum Christum super omnibus, quæcunq; Ill. Cle. uestra contra uerbum eius facit ac fecit: Solummodo emolliri se sinat Ill. Cle. uestra in hoc uno articulo: Et omnia sunt plana, ut uerbum Christi, quod per me in lucem uenit, liberum sit. De quo absq; dubio gaudebunt omnes angeli in cælo super Ill. Cle. uestra. Hæc Lutherus. Cui fortis, pius, & grauitate uirili semper constans, Princeps in hæc uerba respondit.

Literæ tuæ aduenerunt nobis die Natalis Christi, Cuius gratiam Responsum & pacem nos tibi optamus, quemadmodum tu nobis, & tui ipsius in Ducis Ge- super agnitionem. Et primum quidem id pactum uolumus, ac sci- orgij ad mus quoq; nos coram Deo redemptore nostro in conscientia no- Luth. stra liberos, nos, dum à te nunc scriptis prouocamur, responsionem nostram non facere animo infenso, sed uoluntate propensa, ad reducendum te in tui ipsius agnitionem, idq; absq; omni adulatione: Quando quidem tibi suspecti sumus, tanquam adulationibus circumdati ac repleti. Et hoc tibi damus symbolum, si hac in responsione nostra tibi adulati fuerimus, dicitò liberè, Vinum nostrum à uase odorem contraxisse: At si non fecerimus, tu adultores querito ijs in locis, ubi te uocant Prophetam, Danielelem, Apostolum Germanorum, Euangelistam. Hic certe adulatorem non reperiēs. Iniurie Lu- Et post pauca. Quod autem nos asperere, contra institutum diu- the. contra næ & Euangelicæ legis inuaseras, uerum dicis. Scis enim quomodo Ducis Ge- Deus tibi dixerit, quid agas, si quid aduersus proximum tuum habes. orgium. Tu uero nos mendaciter, in tergum, & nominatim ad Hartmannum à Cronberg (cuius acta eo tempore quam laudabilia fuerint, satis cõpertum est) inculasti, uelut Tyrannum & hostem Euangelij, cõtumeliosis agnominibus personæ nostræ: detestationibus & corporis & animi nostri, multisq; uerbis probrosis & argutis, quæ neq; in Euangelio, neq; in scriptura, cui eiusmodi cõuitia tua æquiparas, usquam inuenisti. Nos ad te iuxta qualitatem causæ satis clementer scripsimus, ad intelligendam tuam siue culpam siue innocentiam: ac longe potius innocentiam, quam aliud comperire uoluissimus. Tu uero, ex furore & inciuilitate tua, adeo uehemens nobis dedisti responsum, ac pluribus insuper mendacis nos inua-

L iij listi,



Iniuriæ in  
Cæsarem.

Asylum ge-  
nerale A-  
postatarū.

Pessimi  
fructus  
Euangelij  
Lutherani.

sisti, ac tanquam inclementem tibi dominum nos acceptasti: tamen si nos ad ea tibi nullam dederimus causam, neque simplici scripto nostro, neque ulla re alia. Et infra. Vt autem tibi, quod Clementissimum Dominum nostrum, Romanum Imperatorem, cui fide & iure iurando obstricti sumus, tam contumeliose ac scelerate criminaris, eiusque mandatum tam procaciter contempnis, clemens dominus esse debeamus, quo pacto id nos deceat: Ad hæc, Vuittenberge quoddam instituisti Asylum, ut omnes Monachi ac Moniales, qui nobis Templâ ac Monasteria nostra deprædantur furtis & direptionibus, apud te habeant refugium ac receptaculum: Perinde ac si Vuittenberga foret ciuilitè nominanda, Arx quædam Communis omnium Apostatarū prouinciæ nostræ. Nec ullum nobis dubium est, Sanctissimum patrem nostrum Papam, nunquam ullas dedisse Indulgentias, quas maioris feceris tu, quam eas, quas tui Vuittenbergenses promererentur raptu Monialium, quæ ex Monasterijs nostris ad te perductæ sunt. In quâ uero calamitatē miseriamque damnabilem tu eas redegeris, & quomodo tractetur, & ad quid, satis constat. Vt Diabolus ob hæc tibi inimicus existat, non credimus sane. Si enim ob ea tibi mali aliquid faceret, nisi permissio- ne ac potestate Dei facere cogeretur: posset inculsari, quod id tibi premij daret, quod licitor solet suo ministro. Quodque ista tibi nostram concilient clementiam, non est. Nam si minimo rusticorum ex terris nostris uel uacca abigeretur, nobis displiceret: Multo minus, cum simus seruus Christi, tolerare possumus, ut proprius grex eius, & corpore & anima pariter abalienetur. Et rursus. Affirmare item possumus, nobis Euangelium tuum curæ parum esse, cum sit à Capitibus Christianitatis pro reprobo iudicatum. Id unum curauimus, ut, ne à nostris acceptaretur, pro uirili præcaueremus.

Ad hoc nobis causas dedere mali fructus, inde producti. Neque enim tu, nec alius quispiam, uere dicere potest aliud, quam blasphemiam sancti uenerabilis Sacramenti, sanctissimæ Dei Genitricis, omniumque sanctorum, ex tua doctrina originem habere. Ex tua enim tuorumque discipulorum doctrina, omnes antiquæ ac reprobatae hæreses renouantur: omnis Dei cultus honestus oboletur. Quod sane à temporibus usque Sergij tam late nunquam factum est. Quando plura facta sunt sacrilegia Deo consecratarum personarum, quam post productum Euangelium tuum: Quando plures, rogo, factæ sunt rebelliones contra Superiores, quam factæ sunt ex Euangelio tuo: Quando plures factæ sunt deprædationes sacrarum domuum: Quando plures factæ sunt rapinae ac furta: Quando plures fuerunt Vuittenbergæ excucullati Apostatae Monachi, ac Moniales, quam  
nunc

nunc sunt? Quādo maritis ademptæ sunt uxores alijsq; traditæ, q̄  
quod nunc in tuo reperitur Euangelio? Quando plura facta sunt  
adulteria, nisi posteaq; tu scripsisti, si mulier à uiro suo fœcundari  
nequeat, ut ad alium transeat, à quo fœcundetur, & uir fœtū illum  
alere teneatur: & contra, uir itidem quoq; faciat? Hæc tuum  
Euangelium, quod sub scamno latens produxisti, attulit. Et rectum  
quidem ei nomen imponis, quod sub scamno latens produxeris.  
Bonum profecto foret, illud adhuc sub scamno latere. Nam si ad-  
huc alterum tale produxeris, nos nullum conseruabimus rusticum.  
Si Christus tale uoluisset Euangelium, non tam sæpe dixisset, Pax  
uobis. Petrus & Paulus non dixissent, Superioribus obediendum  
esse. Idcirco illi ipsi fructus nobis ingentem & nauseam & horro-  
rem faciunt tuæ doctrinæ tuicq; Euangelij. Euangelio Christi nos,  
uolente Deo, assistemus corpore, anima, substantia ac dignitate:  
Id quod nos sua adiuuet gratia. Tu nos admones mortis, cuius  
certi sumus. Quid autem fieret, si tuum amplexi Euangelium mo-  
reremur? Nonne Deus dicere posset. Unde hic, qui nouum Euan-  
gelium cum tot fructibus malis secum affert? Nonne dixi tibi, ut ar-  
borẽ ex fructibus cognoscas? Si diceremus, Lutherus dicebat, esse  
Euangelium, quod sub scāno latebat: Deus aut diceret. At aliter tibi  
dixit Ecclesia Catholica. Cum igitur quotidie dicas, te credere Ecclē-  
siā Catholicā: Quare ergo Luthero credis, & nō Ecclesiæ? Nequaq;  
Luthero. Serua tu Euangelium tuum, quod sub scamno latēs pro-  
duxisti. Nos permanebimus apud Euangelium Christi, sicut recepit  
illud Ecclesia Catholica, ac seruat: Id quod Deus nos adiuuet, &c.

Euangelium  
Lutheri de  
subtus scā-  
no pro-  
ductum.

Lutherani  
corā Deo  
inexcusabi-  
biles.

Lutherus, ubi hanc tulisset repulsam, aliam tentandi uiam, mul-  
to maligniorem ingressus, blandissime scripsit ad Cardinalem &  
Archiepiscopum Moguntinū ac Magdaburgensem: Principem  
Electorem, Dominum ALBERTVM Natalibus Marchio-  
nem Brandeburgensem. Cui multis argumentis persuadere nite-  
batur, ut abiecto celibatu duceret uxorem, & Archiepiscopatus  
suos in sæculares conuerteret Principatus, alijsq; Episcopis & Pre-  
latis esset exemplo, ad funditus tollendum è medio Statum Ecclē-  
siasticum. In hunc igitur modum exorsus est Teuthonice.

Gratiam & pacem à Deo patre & Domino nostro Iesu Chri-  
sto. Illustrissime ac Generosissime Princeps, Clementissime Do-  
mine, Ego aliquoties Illustriss. Dominationi uestræ scriptis hactē-  
nus molestus fui propter alios: Nunc cogor propter ipsammet  
Illustriss. D. V. scribere. Et rogo admodum subiectè, Illustriss.  
D. V. ita acceptare dignetur in bonum, sicut fideliter ego intendo.  
Inter cæteras curas ac sollicitudines, cum me perturbet hæc quoq;  
infesta

Epistola  
Lutheri ad  
Card. Mo-  
guntinum.

Scopus to-  
tius Episto-  
lae, ut Epi-  
scopus du-  
cat uxore.

infesta & horrenda seditio, ut sedetur, quæ per Sathanã, tanquam  
plaga Dei excitatur, uenit in mentem, ut Ill. D. V. exhorter ac im-  
plorem, magna sane spe atq; fiducia, quod Ill. D. V. possit sciaturq;  
modo uelit, multifariam auxilio esse, simul cum deuota ad Deum  
prece, ut res melius habeat. Et hic breuiter est scopus, ut Ill. D. V.  
dedat sese in statum Matrimonij, atq; Episcopatum in sæcularem  
Principatum conuertat, ac falsum nomen prætextumq; Ecclesia-  
stici status abijciat ac dimittat. Et hæ sunt rationes meæ. Primum,  
ut per hoc ultio diuina præueniatur, ac Sathanæ eripiatur causa se-  
ditionum. Nunc enim luce clarius est, Statum Ecclesiasticum ma-  
nifeste contra Deum eiusq; honorẽ esse. Idcirco simpliciter nullo  
pacto sperandum est, Deum ab ira ultioneq; cessaturũ esse, quam-  
diu à tam manifesta abominatione contumeliæq; sui sancti nomi-  
nis non cessatur. Domine Deus. Si uos Episcopi ac Principes in  
tempore rem adiuuissetis, atq; Euangelio spacium dedissetis, ac in-  
cepissetis mutare id, quod manifesta est abominatio: quàm pulchre  
ac tranquille hoc per ordinatam potestatem legitime foret institu-  
tum atq; erectum, quod nunc Diabolus cum furore confundit.  
Quum autem neq; uidere neq; audire uellent, sed cum temeritate  
manifestam abominationem sustinere conarentur, dimisit illud  
Deus nihilominus cadere funditus cum indignatione, ut osten-  
dat, uerbum suum potentius esse cunctis rebus, ac progredi oportere,  
etiam si millies amplior esset mundus. Deinde, quod com-  
munis populus nunc eo usq; eruditus est, ut intelligat iam, Ecclesia-  
sticum statum nihil esse: Sicut id satis superq; ostendunt tam uaria  
Cantica, dicteriaq; & scõmata derisoria. Vbi in omnibus parietibus,  
in omniuarijs schedulis, postremo etiam in Chartiludio,  
Presbyteri Monachiq; depinguntur, & uelut ludibrium ac por-  
tentum habetur, ubicunq; Ecclesiastica persona uidetur auditurue.  
Quid ergo conducit, contra fluminis impetũ pugnare, ac tenere,  
quod neq; uult neq; potest teneri? Hoc certe uel palpari potest,  
Cum Ecclesiasticus status ex cordibus hominum abierit, ac usq; a  
deo contemptus sit: non esse sperandum, ullam fore uel requiem  
uel cessationem, nisi ex oculis quoq; abeat. Sed quanto magis tene-  
tur ac reputatur, tanto plus irridetur ac paruipenditur. Quid ergo  
prodest, tali pertinacia homines eo magis incitare, ac irritare con-  
tra seipsum: præsertim, cum Deus ipse sententiam ultionemq; ur-  
geat, Ecclesiasticos eradicaturus. Sicut ait Psal. X. Perdis impios,  
ut etiam nomen eorum in æternum pereat. Actum est, Ecclesiasti-  
cus status permanere non potest, multo minus ad honorem redire.  
Deus tetigit eum, oportet ipsum interire. Hoc, & non aliud.

Pseudo-  
propheta.

Hæc

Hæc potest Ill. D. V. præuenire, ac per seipsam auxilio esse, ut ultro aboleatur. Et spes est, Deum affore, rem quoque cum gratia peragendam esse, ne cogatur cum indignatione hanc ad rem Diabolo uti. Et Ill. D. V. grandem ad hoc præ cæteris habet causam: Quandoquidem ipsa in Deum præuaricata, ad manutenendum statum Ecclesiasticum, magnas contulit impensas, ut confortaretur. Quod si homines aliud iam uiderent, cor quoque eorum pulchre conuerteretur. At si Ill. D. V. adhuc restiterit, aut rem suspenderit, uerendum est, non diu posse perdurare. Corda enim non desistunt, quemadmodum nec ira Dei desistit. Et habet Ill. D. V. pulchrum exemplum, Magnum Magistrum Prussiæ, quam pulchre ac gratiose Deus talem immutationem disposuerit, quæ ante Decem annos, neque speranda neque credenda fuisset, etiam si Esaias aut Paulus annunciasset. Quum uero ille Euangelio & spacium & honorem daret, ipsum ei multo plus gloriæ atque honoris reddidit, quam optare fuisset ausus. At longe maius exemplum foret Ill. D. V. Quæ in medio Germaniæ, ex maximis Capitibus unum quoque existit, hic multos homines tranquillos redderet atque lucraretur, aliosque Episcopos subsequenter alliceret. Tunc & Deus se uidentem præberet in gloria, dum se Ill. D. V. erga eum humiliaret, eiusque Euangelio et nomini cederet, locumque daret: Sicut promittit ipse Ioan. 5. Qui honorificauerit me, hunc honorificabo & ego. Qui autem inhonorauerit me, inhonorabitur & ille. Super eiusmodi tam potenti consolatoriaque promissione attentet alacriter Ill. D. V. eripiatque se ex scelesto impioque statu, in beatum diuinumque statum Matrimonij, ubi Deus propicius se faciet inueniri. Quod si tanta utilitas publica Germaniæ (quam ego magnifacio, opusque ualde primum est) Ill. D. V. non permoueat: hoc tamen uel solum sufficeret, quod Ill. D. V. comperit ac fateri cogitur, se à Deo uirilem personam factam esse. Iam uero utique opus ac uoluntas Dei est, ut uir habeat mulierem, Gen. 1. Non est bonum (inquit Deus) uirum esse solum, faciam ei adiutricem, quæ circa eum sit. Vbi igitur Deus non facit miraculum, Angelum ex homine faciens, non possum uideri, quomodo uir queat, absque ira indignationeque Dei, solus ac sine muliere manere &c. Hæc serpens antiquus per Lutherum.

Rationes  
malesuade.

Exemplum  
à magno  
magistro  
Prussiæ.

Suasio ex  
creatione.

Cæterum Princeps ille hominis improbam leuitatē audacizque Constantia  
& uanitatem contemnens, ad eas literas dissimulando prudenter Card. con-  
tacuit: licet in publicū ædiderit eas Lutherus. Ad quas sane respon- tra tenta-  
surus fuisset Ioannes Cochlaus, Moguntia tunc degens, nisi tar- tores.  
dius æquo uenissent in manus eius, quando iam sopita & elanguida erat illarum fama, quam & Principis illius grauitas & constan-  
tia

Alia tentā-  
di uia ad  
Angliam.

Nouum  
Test. Luth.  
in lingua  
Anglicana

Opuscula  
Ruperti  
Abbatís  
Tuitiensis  
tunc ædita.

tia ultro contemptibilem reddebant. Eiusmodi enim Syrenas iam-  
pridem audierat multas, & quidem nobilitate conspicuas. Equibus  
bona pars erant in occulto, tum Principes tum Comites & Baro-  
nes, qui eius lenitate ac mansuetudine freti, familiari admonitione  
rem uxoriā tanto Pontifici suggerere clam non sunt ueriti. Quibus  
sane temeritatibus effectum est, ut uulgus Lutheranorum uana  
spe delusum, sæpe mendacem cōfinxerit famam, Principem illum,  
abiecto Pontificatu, duxisse uxorem. Sed multo adhuc impuden-  
tiori audacia Lutherus aggressus est Regem Angliæ, HENRI-  
CVM VIII. Quem publice prius tot probris lædorijs, sannis,  
atq; calumnijs, ad populos & Nationes traduxerat. Ipse quidem  
affirmabat se illectū fuisse à Rege Danie Christierno (qui è regnis  
suis profugus, exul, per Germaniam uagabatur) ut ad ipsum scribe-  
ret Regem Angliæ. Verum Duo Angli Apostatæ, qui aliquandiu  
fuerant Vuittenbergæ, non solum quærebant subuertere Merca-  
tores suos, qui eos occulte in exilio fouebant & alebant: Verum  
etiam cunctos Angliæ populos, uolente nolente Rege, breui per  
nouum Lutheri Testamentum, quod in Anglicanam traduxerāt  
linguam, Lutheranos fore sperabant. Venerāt iam Coloniam  
Agrippinam, ut Testamentum sic traductum, per Typographos  
in multa Milia multiplicatum, occulte sub alijs mercibus deucherēt  
inde in Angliam. Tanta enim eis erat rei bene gerendæ fiducia, ut  
primo aggressu peterent à Typographis, Sex Milia sub prælum  
dari. Illi autem subuerentes, ne grauissimo afficerentur damno, si  
quid aduersi accideret, tantum Tria Milia sub prælum miserunt:  
Quæ si foeliciter uenderentur, facile possent imprimi denuo. Iam  
litteras ad Sanctos, qui sunt in Anglis, præmiserat Pomeranus, &  
ad Regē quoq; scripserat ipse Lutherus. Cuncq; nouū Testamen-  
tum mox subsequutum crederetur, tanta ex ea spe lætitia Luthe-  
ranos inuasit, ac uanæ fiduciæ uēto inflauit, ut gaudio distenti, ante  
diem ruperint secretum uanis iactationibus. Exulabat eo tempo-  
re Coloniae Ioannes Cochlaeus, Decanus Ecclesiæ B. Virginis  
Francofordiensis, Qui per hospitem suum, Georgium Lauer,  
Canonicum ad Apostolos, Abbati Tuitiensi redditus familiariter  
notus, ubi audisset opera quædam Ruperti Tuitiensis quondam  
Abbatís, mittenda esse Nurenbergam, ut à Lutheranis æderentur  
in publicum: cœpit summo studio eam rem & dissuadere & impe-  
dire. Nam Lutherani in eum usq; diem, cum omnes Bibliothecas  
antiquas diligentissime exquisiuisent ac discussissent, nullum pror-  
sus autorem ex cunctis tot sæculorum Doctoribus Ecclesiæ inueni-  
re potuerunt, qui Lutheri dogmata comprobasset. Inuentum tan-  
dem

dem illius Ruperti, qui ante 400. annos uixerat, opusculum, cui titulus erat, De Victoria uerbi Dei, mox Nurenberge à Lutheranis euulgatum est. Quod suo titulo ita mox placuit omnibus Lutheranis, ut nihil uideretur eo autore desiderabilius. Interim ex Tritemio intelligebāt, illum cōplura scripsisse opuscula, sed duo tantum paruula inuenerant: Quorum unum de potentia, alterum de uoluntate Dei inscriptum erat. In eorum æditione multa Lutherice apposuerat Osiander, uxoratus presbyter & prædicator, quibus pium autorem impiæ sectæ patronum facere tentabat. Et iam dudum egerant cum ipso Abbate Tuitiensi, ut reliquæ Ruperti Opera Nurenbergam excudenda, transmitteret. Ille uero, ut à Cochlæo audiuit, quantum periculi foret ea in re, si pium autorem traderet in manus impiorum, qui eum non solum impijs præfationibus, & annotationibus foede contaminaturi essent: Verum etiam integros & sanos illius sensus deprauaturi, ex Catholico antiquo facturi essent hereticum nouum, qui uideretur cūcta Lutheri dogmata ante annos 400. approbasse. Abbas igitur ille, uir bonus, mutata sententia, uolumina iam in grandem fascem compacta, uelut Nurenbergam transmittenda, apud se retinuit. In quo sane fascere erant XIII. libri in Euangeliū Ioannis, XII. libri in Apocalypsim eiusdem, & XII. libri, de Diuinis Officijs. Cum autem Monachi quieturi non essent, nisi æderentur opera illa: Cochlæus Petro Quentellio, & Arnoldo Berckmanno sedulo suasit, ut communibus inter se impensis & lucris ea opera susciperent ædenda. Persuadere tamen non potuit, donec tandem omnem suam operam ad æditionem illam eis pollicitus esset. Cuncq; æditio illa satis questuosa eis existeret, non egebant amplius impulsore Cochlæo, sed ipsimet ultro plura illius opuscula desiderabant; rogantes nunc Abbatem, nunc Cochlæum, ut undecuncq; plura cōquirerent. Abbas itaq; ex uetustis S. Benedicti Monasterijs perquisiuit XXXII. libros in XII. prophetas minores, & VII. libros in Canticum Cantorum. Cochlæus uero inuenit Coloniae in Bibliotheca Maioris Ecclesiae IX. libros, De glorificatione Trinitatis, & processione Spiritus sancti. Et in scholis Artiū grande uolumen, quod de operibus Trinitatis inscriptū, XLII. cōplectebatur libros. E quibus in Genesim erāt IX. In Exodum III. &c. Cuncq; sciret Rupertū olim Leodijs ad S. Laurētium fuisse Monachū, scripsit Theoderico Hezio, Canonico Leodiensi, quem Romæ post obitū Adriani VI. (cuius ille à Secretis intimus extiterat) familiariter cognouerat, obsecrans, ut is in eo Monasterio perquireret, quidnam ex Ruperti libris extaret. Ille ergo repperit maxime desideratum opus, XIII. libros in

Opuscula illius Coloniae retenta & excusa.

Plura eiusdem opuscula post inuenta.

M Matthæum,

Matthæum, de Gloria & honore filij hominis. Verum transmittere Coloniam non potuit Archetypum, nisi ipse cum duobus alijs Canonicis, pro restituendo exemplari, cuncta bona sua in hypothecâ Monachis obligarēt. Ea igitur uolumina uniuersa Cochleus, Moguntiam euocatus, secum detulit, atq; ibi residens, ad ædificationem preparauit, Coloniâq; edenda remisit. Hinc Typographis Anglicorū Colonienſibus notior ac familiarior factus, audiuit eos aliquando Apostatarum uino reuelatum, inter pocula fiducialiter iactitare, Velint Nolint Rex & Cardinalis Angliæ, totam Angliam breui fore Lutheranam. Audiuit item, duos ibi latitare Anglos, eruditos linguarumq; peritos et disertos, quos tamen uidere aut alloqui nunquam potuit. Vocatis itaq; in hospitium suum quibusdam Typographis, posteaquam mero incaluissent, unus eorum in secretiori colloquio reuelauit illi arcanum, quo ad Lutheri partes trahenda esset Anglia. Nempe uersari sub prælo Tria Milia Exemplarium Noui Testamenti Lutherani, in Anglicanam linguam translati, ac processum esse iam usq; ad literam Alphabeti K. in ordine Quaternionum. Impensas abunde suppeti à Mercatoribus Anglicis, qui opus excusum clam inuecturi per totâ Angliam latenter dispergere uellent, antequam Rex aut Cardinalis rescire aut prohibere possit. Cochleus intra se metu & admiratione uarie affectus, foris mirabundus mororem dissimulabat. Altero autem die, periculi magnitudinē tristis secum expendens, cogitabat, quò nam pacto possit commode pessimis illis conatibus obsistere. Abijt igitur clam ad Hermannum Rinck, Patricium Colonienſem, ac Militem Auratum, qui & Cæsari & Regi Angliæ familiaris erat & Consiliarius, ciquis rem omnem, ut acceperat uini beneficio, indicauit. Ille, ut certius omnia constarent, alium misit exploratū in eam domum, ubi opus excudebatur iuxta indicium Cochleæ. Cūq; ab illo accepisset rem ita habere, & ingentem Papyri copiam ibi existeret: adiit Senatū, atq; effecit, ut Typographis interdiceretur, ne ultra progredierentur in eo opere. Duo Apostatę Angli, arreptis secum Quaternionibus impressis, aufugerunt, nauigio per Rhenum ascendentes Vuormaciam, ubi plebs pleno furore Lutherizabat, ut ibi per alium Typographum ceptum perficerent opus. Rinck uero & Cochleus de his mox admonuerunt literis suis Regem, Cardinalemq; & Episcopum Roffensem, ut quàm diligentissime præcauerent in omnibus Angliæ portibus, ne merx illa perniciosissima inueheretur. Ferunt Dominum Cuthbertum Tunstallum, uirum disertissimum, Episcopum tunc Londinensem, nunc Dunelinensem, cum adeptus fuisset unum ex illis exemplaribus, in maxima concione ad populū Londini

Hermānus  
Rinck  
Colonienſis  
Patriæ  
eius.

*Nona*

*Evangelium op  
p. in p. in p. in p.  
in p. in p. in p.  
in p. in p. in p.*

Londini publice affirmasse, supra duo Milia deprauationum atq; peruersitatum se in uno opere illo deprehendisse. Dum hæc agerentur, peruenit tandem in manus Regis Angliæ epistola Lutheri, quam is anno superiore scripserat Vuittembergæ, prima die Septembris. Eam itaq; præmissa salutatione in hūc modū exorsus est.

Quanquam uereri merito debuerim, Serenissime Rex Illustrissimeq; Princeps, literis Maiestatem tuam tentare, ut qui mihi conscius maxime sum, grauissime offensam esse Maiestatem tuam libello meo, quem non meo genio, sed incitantibus ijs, qui Maiestati tuæ parum fauebant, stultus & præceps ædidi. Tamen spem & ausum mihi facit, non modo Regia illa tua Clementia, sic mihi literis & uerbis in dies cātata à quàm plurimis, ut cum mortalem sese nouerit, immortales inimicitias seruaturum esse non credam: Verum etiam, quod fide dignis testibus didici, libellum sub Maiestatis tuæ nomine in me æditum, non esse Regis Angliæ, ut uideri uolebant subdoli Sophistæ, qui Maiestatis tuæ titulo abusi, non senserunt, quantum sibiipsis periculum in regia ignominia pararent: præsertim illud monstrum & publicum odium Dei, & hominum, Cardinalis Eboracensis, pestis illa Regni tui: Ita, ut uehementer nunc pudefactus, metuam oculos coram Maiestate tua leuare, qui passus sum leuitate ista me moueri in talem tantumq; Regem, per malignos illos operarios, præsertim, cum sim fex & uermis, quem solo contemptu oportuit uictum aut neglectū esse. Accidit ad hæc, quod me serio cōpulsit, quantumuis abiectum scribere, Maiestatem tuam cœpisse fauere Euangelio, & non parum tædere istius generis hominum perditorum. Hoc sane nuncium fuit uere Euangelion, id est, lætum nuncium, cordi meo. Quare his literis prosterino me pedibus Maiestatis tuæ, quantum possum humillime, & per Christi crucem & gloriam oro & obsecro, Maiestas tua dignetur sese submittere, & ueniam donare, in quibuscunq; Maiestatem tuam læsi, sicut Christus orauit, & dimittere debita nos quoq; inuicem iussit.

Deinde si Maiestati tuæ Serenissimæ nō uidebitur contemnedum, ut alio libello publico Palinodiam cantem, & nomen Maiestatis tuæ rursus honorem: Det mihi clementem aliquam significationem. Tum in me mora non erit ulla, faciā illud libentissime &c. Rursus sub finem sic ait. Quid mirū uero, si Cæsar & aliquot Principes in me sæuiunt? Nonne, ut Psalmus secundus dicit, aduersus Dominum & Christum suum fremunt gentes: meditantur populi, conspirant reges terræ, & conueniunt Principes: ut mirandum potius sit, si aliquis Principum ac Regum Euangelio faueat. Huic miraculo in Maiestate tua, quàm opto ex totis medullis aliquando

M ij gratulari;

Epistola  
Lutheri ad  
Regē An-  
gliæ depre-  
catoria.

Offert Re-  
gi Palino-  
diam Luth.



gratulari. Et ipse dominus (quo præsente & uolente hæc scribo) cooperetur uerbis meis, ut Rex Angliæ breui fiat perfectus discipulus Christi, Euangelijq; professor, tum Lutheri Clementissimus Dominus Amen. Responsum, si uisum fuerit Maiestati tuæ, expecto clemens & benignum, Vuittenberge prima Septembris anni Domini M. D. XXV.

Responsio  
Regis Angliæ  
cōtra  
Luth.

Huic epistolæ Rex ille extemplo respondit, cum satis olfaceret, quo tenderet subdola eius oratio. Cæterum cum responsio illa bene prolixa eruditionisq; & grauitatis plena sit, multis modis ac uicibus est per Typographos euulgata, atq; etiam per Emserum & Cochlæum in Germanicam linguam uersa: Hic satis fuerit, pauca in memoriam reduxisse. Primum igitur ita respondit Rex. Quod ais, libri te tui pudere, nescio quàm tu istud uere dicas. Verum hoc unum scio, satis esse causæ, cur debeat non illius modo libri pudere te, sed tuorum etiam ferme omnium. Quippe, qui nihil pene complectantur aliud, quàm errores turpissimos, & insanissimas hæreses, nec ratione fulcitas, nec eruditione subnixas: sed quas asserit & offirmit tantum pertinax impudentia, dum tantus autor haberi postulas, quantus nec hodie quisquàm sit, nec antehac usquàm fuerit. Nec satis uideo, qui uerum sit, ut ad ædendum in me libellum tuum sis ab ijs incitatus, qui parum fauebant mihi: Cum res ipsa doceat, ab ijs incitatum potius, qui parum fauebant tibi. Quippe quum liber tuus sit eiusmodi, ut nec aliud quicquàm, quàm probum conciliare possit auctori, & librum honestet meum. Cui tuus declarat ne uerbum quidem sani capitis ullum repperisse, quod aliquando possis opponere. Quæ res satis, ut opinor, indicat, uter

Liber Regis de Sacramentis.

nostrum causam habeat meliorem. Iam quantumuis te fingas credere, æditum à me libellum non esse meum, sed meo nomine subornatum à Sophistis subdolis: Tamen & meum esse, multi maiore fide digni, quàm sunt tui illi fide digni testes, cognoscunt. Et ego, quanto tibi minus placet, tanto magis libenter agnosco. Nam quod eum mihi scribis ignominiam parere, nemo certe non intelligit, quantumlibet tu dissimules, quàm ægre habet animum tuum, quod libellus meus tanto bonorum & doctorum omnium consensu comprobatus est. Tum eius Sedis honorifico calculo: Quæ tuas condemnavit hæreses, ita sanctissimo uiro Hieronymo tantæ fuit autoritatis, ut satis esse duceret, si suam illi Sedi fidem approbaret. Et post pauca.

Card. Eboracensis.

Iam, quod pestilente (inquit) lingua scurraris in Reuerendissimum in Christo Patrem, Cardinalem Eboracensem, Primarium Consiliarium nostrum, & Angliæ Cancellarium: magis perspectam habeo singularē eius prudentiam, quàm

ut

ut eum quicquam commoueri credam scurrilibus eius linguæ con-  
 uitijs, quæ in totam scurratur Ecclesiam, quæ sanctissimos proscin-  
 dit patres, quæ nullos nõ blasphemat Diuos, Christiçq; contemnit  
 Apostolos, quæ sanctissimam Christi matrem inhonorat, quæ  
 Deum ipsum, uelut scelerum fontem, autorem, impulsoremçq; blas-  
 phemat. Quæ blasphemiarum tuarum detestanda colluuius, nul-  
 quàm nõ euidenter patet, tum ex omni parte perniciosorum ope-  
 rum, quæ tanto Christiani populi danno conscripsisti: tum ex his,  
 quæ passim in Germania tam furiose patrant, tuis hæresibus effe-  
 ratî rustici. Itaq; Reuerendissimus ille Pater, quanquàm nobis iam-  
 diu fuit, propter eximias eius uirtutes, charissimus: idem tamen est,  
 eritçq; indies tanto nobis charior, quanto illum tibi tuiçq; similibus  
 magis uidemus inuisum. Nam quod eum Regni mei pestem ap-  
 pellas, non est consilium fraterculo rationem reddere, ex eius uiri  
 singulari prudentia, fide, labore, studio, & salubri diligentia, Nos  
 regnumçq; nostrum quanta consequamur commoda. Verum ut  
 omittam cætera, uel hoc satis indicio est, quàm toti terræ nostræ  
 salutaris sit, Quod ex animi nostri sententia demandatum, sibi mu-  
 nus perquàm diligenter exequitur, & ditionem nostram sedulo  
 purgans, hæresum uestrarû pestilente contagio: Quibus interdum  
 intrans Angliam, quidam uehementer ægroti: Nempe ex ijs ue-  
 niētes plagis, quas insalubris oris tui noxius infecit afflatus. Quos  
 tamen ipsos diligenti inquisitione compertos, eiusmodi Reueren-  
 dissimi Patris salubri diligentia, non solum arcuimus, ne quid ad  
 nostros eius lepræ serperet: Verum etiam tractatos commode, &  
 magna cum charitate curatos, fidei integritati reddidimus. Et in-  
 fra. Scribis Luthere uehementer pudere te, oculos in nos attollere,  
 quod te tam leuiter passus sis per operarios iniquitatis, ut ais, ad-  
 uersus nos moueri: Verum ego profecto non paulo magis ad-  
 miror, quod te non pudet serio, leuare palpebras, & uel in Deum  
 uel hominem quenquàm probum oculos intendere, qui te pas-  
 sus sis, instigante Diabolo, in eam ingenij leuitatem cadere, ut  
 ob cænis ineptias & obscenas libidines, quum frater Augusti-  
 nianus esses, Monacham Deo dicatam, scelerato compressu uio-  
 laris. Quid, quod non repressisti solum. Quale flagitium si desi-  
 gnasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram uiua sub-  
 iisset, & tu ad mortē usq; uerberibus esses multatus: Verum etiam,  
 quod nimio est execrabilius, publice pro uxore nuptijs incestissi-  
 mis traduxisti, atq; ita palam summo cum totius mundi stupore,  
 summo per orbem totum opprobrio uestro, summo cum sacro-  
 sancti coniugij contemptu, summa cum sanctissimorum uotorum

Diligēs in-  
 quisiō in  
 Anglia cō-  
 tra Luthes-  
 ranos.

Exprobrat  
 Luthero  
 Rex nup-  
 tias cum  
 Moniali  
 initas.

M iij contumelia,

Rex Luth.  
laudes re-  
cusat: quod  
turpe sit, à  
tali laudari.

contumelia, per nephas abuteris in quotidianum prostibulum. Denique, quod omnium est maxime detestandum, quum te deberet tam execrandi facinoris pudor & dolor obruere, poenitentiae loco praeterea miser impudentem gloriam, tam longe fugiens implorationem ueniae, ut etiam in tui sceleris exemplum, passim per pseudoreligiosos alios literis ac libris prouoces. Et post multa. Iam quod honoris tantum, scilicet tam ciuilitate offers nobis, ut si mihi placitum sentias, alium librum non graueris addere, quo de me largiter meras laudes praedices; simul ea reuocans ac retexens omnia, quae dudum in diuersum scripseras. Hoc te labore toto, Luther, oppido quam libens libero. Neque enim sic incendor gloriae ieiunio, ut tuos libros in meas laudes ambiam, sed opto potius, quod magis in rem sit tuam: Nempe, ut agnitis erroribus & recantatis haeresibus, respiciens tandem & reuersus ad fidem, sic eam scriptis probes & operibus bonis, ut inde laudem possis & gloriam dare Deo. Alioqui si ad istum, quo coepisti, modum, in haeresibus impijs, & improba uita perrexeris, me profecto laudare non potes impensius, quam si uituperes: Nec ediuerso magis odiose traducere, quam si quam maxime potes, extollas: Si uerum est, ut est profecto, quod legitur apud Senecam, Tam turpe tibi sit laudari à

Rex Luthe-  
ri pro ini-  
mico ha-  
bere dignum  
non putat.

turpibus, quam si lauderis ob turpia. Quamobrem cum scribis, libri tui in me aediti uehementer te pudere, culpam transferens in alios, nescio quos, quorum instigationi parueris, & pedibus meis aduolutus suppliciter oras ueniam: sperans, quum me mortalem meminerim, quod immortales inimicitias nolim gerere. Profecto Luther, tamen si tu magnifice & sublimiter de teipso sentiens, pro uiro tanto semper habuistite, ut non puduerit, scriptis etiam tuis profiteri, non esse solum te, sed & futurum semper, ne uiuum modo, sed praeterea mortuum, immo exustis etiam cineribus, & in mille proiectis maria, perpetuum tamen hostem & inimicum Pontifici (cuius fastigio non nescio quam longo Reges interuallo sunt impares) Ego te nunquam tamen aestimaui tanti, ut unquam sim dignatus, esse inimicus tibi: tamen si haereses tuas habeam, quantum alius quisquam, exosas. Sed nec eorum conuictorum quicquam, quibus in me scurriliter debacchatus es, tam ualde me commouit, ut non prece multo minore nobis possis, quam qua nunc es usus, abunde satisfacere, si tibi res ex animo et sincere satis ageretur &c.

Praefatio  
cuiusdam  
Angli in  
despectum  
Lutheri.

In has duas Epistolas sic scripsit in prologo suo quidam Anglus. Regis ingenium & prudentiam ostendunt uel aediti ab eo libri, quibus insana atque impia dogmata Martini Lutheri sic confutauit, sic Lutherum ipsum omni consilio contra differendi denu-  
dauit,

clauit, ut omni rationis loco sublato, ad meretricia iurgia, & scurrilia cōiūtia duntaxat Lutherus cōfugerit. Quod Rex prudentissimus, atq; idē eruditissimus, cū sensisset, nō est dignatus, cum scurrāte impuro nebulone cōnugari: Sed pro magnitudine animi, ea omnia blateramēta nugalia, & frigidi fraterculi scommata, tanq; cachinnantis morionis inconditos gestus contempserit. Nunc uero, quum ausus Lutherus est, tam stolide fauorem eius ambire, quo illius nomine aburi liceat, ad commendandum factionem suam, haud committendum putauit, quin significaret omnibus, nō tam leuem esse se, uti fatui fraterculi leuibus blanditijs inescari aut capi uellet: Nec ita inconstantem, ut ab eo quod uerū & rectum nosset, deduci ullo pacto posset. Et Ioannes Cochlaeus. Si Catholicus es Leuitas  
(inquit) Lector, minime profecto displicere tibi poterit responsio Lutheri  
Regis, cum tantam præ se ferat ubiq; honestatem, eruditionemq; ac pietatem. Sin uero Lutheranus, displicebit forsitan, sic depingi tibi Lutherum. Considera tamen paulisper, dum priorem legis Epistolam, an deceat, eum, qui haberi uult Euangelista, Propheta, Ecclesiastes, Vir Dei, Apostolus Germaniæ &c. tanta uti leuitate, ut & seipsum leuitatis condemnet aduersario: Et quod prius maxime serio scripsit, tantaq; cum certitudine (si ipsi credas) asseruit, ut totum illud se de cælo habere iactitauerit: nunc muliebriter blandiendo, ad emendicandam gratiam ab aduersario, quem tam ferociter ac superbe, contra bonos mores, atq; a deo & contra Euangelicam charitatem ac mansuetudinē, insectatus fuerat, reuocare, ac publico libello Palinodiam cantare libenter uellet, modo id illi placitum esse uel leui indicio intelligat: Non curans, quid Principes ac Politicæ, sapientissimiq; illi homines, quos partium suarum esse gloriatur, dicturi sint, quod ipsos tam nequiter deceperit, ac summo nunc cum rubore eorum recantare uelit, ut eis tandem idem reddat præmium, quod antea Rusticis nequissime seductis ac miserabiliter occisis, reddidit, si modo externum aliquem queat defensorem inuenire &c. Idem Cochlaeus in Bugenhagij Pomerani, Plebani Vuittenbergensis, Epistolam ad Anglos scriptā respondens, dum ille diceret, Se mirari, cur sacrum Christi Euangelium quidam isthic uerētur suscipere, propterea, quod de Lutheranis mala dicuntur, ignorantes, quod oportet filium hominis reprobare à mundo, & stultitiam haberi prædicationem crucis. Ad hæc ita respondit Cochlaeus. Nisi Rex Anglorum uere Christiano Verba  
animo mansuetus ac clemens esset, magisq; ad donandas propter Cochlæi  
Christum, quàm ad ulciscendas gladio ultore iniurias inclinatus: contra Po-  
Iampridem profecto nidum uestrum, simul cum omnibus coruis meranum,

& upupis eius, euertisset funditus. Hoc enim illi haud difficile factum fuisset, cum polleat tantis & uiribus opibusq; & amicis. Quod si gens illa, non minus sane ferox & bellicosa, quam celebris & opulenta, non esset tam longe naturæ terminis à spelunca uestra disiuncta: haud dubium est, quin egregie uindicatura esset, & suas & Regis sui, quas euomistis ex antro illo, teterrimi Caci, iniurias.

Iniuria in  
Anglos.

An uero iniuriosum non est, scribere, esse quosdam in gente illa religiosissima uerèq; Christiana, qui sacrum Christi Euangelium suscipere uerentur? Quod rogo Euangelium Christi, an Matthæi: an Marci: an Lucæ: an Ioannis: At hæc Quatuor susceperunt Angli, semperq; religiose tenuerunt apud se Nongentos (uti ex Gregorio dictum est) annos, quando nidus uester informis adhuc erat sylua. Nec plura recipit Euangelia Sedes Petri aut Ecclesia Christi, Quid igitur calumniaris religiosam gentē, de nō suscepto Euāgelio Christi: Quis det tibi, libros uestros tot hæresibus foedos, recte dici sacrū Euangeliū Christi: Quis deinde æquis auribus accipiat, Quicquid in uos hæreticos dicitur, in filium hominis continuo dicit: Filium certe hominis gens illa utiq; agnoscit, ac reueretur religiosissime: Vos autem, ut nouos Hulsitas & Vuiclephos, ac uelut labes & maculas fidei religionisq; nostræ foedissimas, Angli omnes, cum Papa Regeq; suo, & uniuersa Ecclesia Christi, merito uitant, exhorrent ac detestantur. Vocem enim aliorum non audiunt oues Christi, sed fugiunt ab eis.

Diatriba  
Erasmi de  
lib. arbitrio

Vbi uero Erasmus Roterodamus, uir summæ eloquentiæ eruditionisq; & autoritatis in Germania, de libero arbitrio edidisset libellum, quem modeste Diatribam seu Collationem inscripsit: multis profecto Lutheri dogmata reddidit suspecta, quibus antea uidebantur Euangelica. Sic enim ait in præfatione. Nihil aliud præfabor in præsentia, quam id quod res est, me nunquam iurasse in uerba Lutheri. Proinde nemini uideri debebat indignum, sicubi palam dissentirem ab illo. Nimirum, ut nihil aliud, homo ab homine: tantum abest, ut nefas sit, de illius aliquo dogmate ambigere, multo minus, si quis ueritatis eliciendæ studio moderata disputatione cum illo cōgrediatur. Certe Lutherum ipsum non arbitror indigne laturum, sicubi quis ab ipso dissentiat, quum ipse sibi permittat, non solum ab omnium Ecclesiæ doctorum, uerum etiam ab omnium Gymnasiorum, Conciliorum, Pontificum Decretis appellare. Quod quum ipse palam & ingenue profiteatur, mihi nō debet apud illius amicos esse fraudi, si repeto. Proinde ne quis hanc pugnam interpretetur, qualis solet esse inter commissos gladiatores, cum unico illius dogmate conflictabor, non in aliud, nisi ut, si fieri queat, hac collisione scripturarum & argumentorum,

gumentorum, fiat euidentior ueritas: cuius indagatio semper fuit honestissima studiosis. Res sine conuictis agatur, siue quia sic magis decet Christianos: siue quia sic certius inuenitur ueritas, quæ saepe numero nimium altercando amittitur. Et infra. Iam quando Lutherus non recipit auctoritatem ullius scriptoris, quantumuis approbati, sed tantum audit scripturas Canonicas: sane quam libens complectar hoc laboris compendium. Quum enim, tum apud Grecos, tum apud Latinos innumeri sint, qui uel ex professo, uel per occasionem tractant de libero arbitrio: Non mediocris negotij fuerit, ex omnibus colligere, quid quisque pro libero arbitrio, aut contra liberum arbitrium, dixerit. Et in explicandis singulorum dictorum sensibus, aut diluendis confirmandisque illorum argumentis, prolixam ac molestantem operam sumere, apud Lutherum & huius amicos etiam inane. Præsertim cum illi non solum inter se uariant, uerum etiam ipsi sibi non satis constant aliquoties. Et tamen illud interim Lectorem admonitum uelim, si scripturæ diuinæ testimonijs ac solidis rationibus uidebimur cum Luthero paria facere, ut tum denique sibi ponat ob oculos tam numerosam seriem eruditissimorum uirorum, quos in hunc usque diem tot seculorum consensus approbavit. Quorum plerisque præter admirabilem sacrarum literarum peritiam, uitæ quoque pietas commendat: Quidam etiam doctrinæ Christi, quam scriptis defenderant, sanguine suo testimonium reddiderunt. Et rursus. Si ergo Lector uiderit meæ disputationis apparatus ex æquo pugnare cum parte diuersa, tum illud secum expendat, utrum plus tribuendum esse iudicet, tot eruditorum, tot Orthodoxorum, tot Sanctorum, tot Martyrum, tot ueterum ac recentium Theologorum: tot Academiarum, tot Conciliorum, tot Episcoporum, & summorum Pontificum præiudicijs: an unius aut alterius priuato iudicio. Non quod, ut fit in humanis consensibus, ex numero suffragiorum, aut ex dignitate dicentium metiar sententiam. Scio frequenter usu uenire, ut maior pars uincat meliorem: scio non semper esse optima, quæ plurimis probantur: scio nunquam defuturum in indagatione ueri, quod superiorum adijciatur industriæ. Fateor par esse, ut sola diuinæ scripturæ auctoritas superet omnia mortalium omnium suffragia. Verum hic de scripturis non est controuersia, utraq; pars eandem scripturam amplectitur ac ueneratur: De sensu scripturæ pugna est. In cuius interpretatione, si quid tribuitur ingenio & eruditioni, quid Gregorum ingenijs acutius aut perspicacius? Quid in literis sacris exercitacius? Nec Latinis defuit ingenium, nec literarum sacrarum peritia, Qui si naturæ foelicitate cesserunt Græcis, certe monumentis illorum adiuti,

Lutherus  
contemnit  
Ecclesiasti-  
cos patres.

Præiudicijs  
pro senten-  
tia Erasmi.

Hic non de  
scripturis,  
sed de earum  
expositione  
contro-  
uersa est.

Dilutio argu-  
gularum  
Lutherica-  
rum.

adiuti, potuerunt Græcorum industriam æquare. Quod si in hoc iudicio magis spectatur uitæ sanctimonia, quam eruditio, uides, quales uiros habeat hæc pars, quæ statuit liberum arbitrium: facel-  
fat odiosa (quod aiunt Iureconsulti) comparatio. Nolim enim quosdam istos noui Euangelij præcones cum ueteribus illis confer-  
re. Et iterum. Vnde igitur explorabimus spiritus? Ex eruditio-  
ne? utrinque Rabini sunt. Ex uita? utrinque peccatores. In altera to-  
tus sanctorum chorus, qui statuunt liberum arbitrium. Verum aiunt,  
sed homines erant. At ego iam homines confero cum hominibus,  
non homines cum Deo. Audio, Quid multitudo facit ad sensum  
spiritus? Respondeo, Quid facit paucitas? Audio. Quid facit mitra  
ad intellectum scripturæ diuinæ? Respondeo, Quid facit sagum aut  
cuculla? Audio. Quid facit cognitio Philosophiæ ad cognitionem  
sacrarum literarum? Respondeo, Quid facit inscitia? Audio. Quid  
facit ad intellectum scripturæ cōgregata Synodus, in qua fieri po-  
test, ut nullus habeat spiritum? Respondeo, Quid faciunt conuenti-  
cula priuata paucorum, in quibus uerisimilius est neminem esse, qui  
habeat spiritum. Paulus clamat. An experimentum quæritis inha-  
bitantis in me Christi? Non credebatur Apostolis, nisi miracula fi-  
dem adstruxissent doctrinæ. Nunc quilibet sibi postulat credi, quod  
affirmet se habere spiritum Euangelicum. Apostoli, quoniam excu-  
tiebant uiperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita  
manu dabant donum linguarum: ita demum creditum est, & uix  
creditum est illis Paradoxa docentibus. Nunc quum iuxta cōmu-  
nem opinionem adferant pene Paradoxotera, nullus illorum ad-  
huc extitit, qui uel equum claudum sanare potuerit. Ad eum ue-  
ro libellum diu tacuit Lutherus, cum Latine scripsisset Erasmus, nō  
ad indoctam plebem Germaniæ, cui maxime incubabat Lutherus.  
Multorum autem querelis excitatus, tandem, maxime ubi in Ger-  
manicam quoque linguam ab Emsero & Cochlæo uersus esset libel-  
lus Erasmi, assumptis in auxilium socijs, ædidi librum, de Seruo ar-  
bitrio. In quo Erasmi, ut ei & scientiæ famam & autoritatem adi-  
meret, grauissime onerauit calumnijs, à quibus ille se mox uindica-  
uit in Hyperaspiste suo. Inter conuitia tamen & calumnias, multas  
interim & laudes ac blanditias immiscuit, præter morem suum; siue  
quod adiutores & Consiliarij eius, Jonas & Melancton, ita uel-  
lent: siue quod Erasmus Principibus & Theologis magis redde-  
ret suspectum, uelut amicū Lutheri occultum, propter metum ab Ortho-  
doxis Principibus & Regibus, quos ille Erasmo clemētes ac beni-  
gnos nō nesciebat. In hæc igitur uerba suū de seruo Arbitrio exor-  
sus est librum. Quod tardius Diatribæ tuæ de libero Arbitrio re-  
spondeo,

Lib. Luth.  
de seruo  
arbitrio.

Venerabilis Erasme, præter spem omnium, præterq̄ morē meum accidit, qui hæctenus huiusmodi occasiones scribendi, non solum libenter apprehendisse, sed ultro etiam quæsiisse uisus sum. Mirabitur forte quispiam nouam illam & insolitam, uel patientiam uel fortitudinem Lutheri. Quem nec tot iactatæ uoces & literæ aduersariorū excitauerunt, Erasmo uictoriam cōgratulantes, & Io Pæan cantantes: Scilicet Maccabæus ille & peruiacissimus assertor, inuenit tandem dignum Antagonistam, contra quem hiscere non audet. Verum illos non modo non accuso, sed ipsemet tibi palmam concedo, qualem nulli antea concessi, non solum quod uiribus eloquentiæ & ingenio me longissime superas, qualem nos omnes merito tibi concedimus: quanto magis ego barbarus in barbarie semper uersatus. Sed quod & spiritum meum & impetum remoratus es, & languidum ante pugnam reddidisti, idēq̄ duabus rationibus. Primum, arte, quod mirabili scilicet & perpetua modestia causam hanc agis, qua mihi obstitisti, ne possem in te accendi. Deinde fortuna, uel casu uel fato, quod in tanta re nihil dicis, quod non dictum sit prius: atq̄ a deo minus dicis, & plus tribuis libero arbitrio, q̄ hæctenus Sophistæ dixerunt & tribuerunt (de quo latius dicam infra) Vt etiam superuacaneum uideretur, respondere istis argumentis tuis, antea à me quoq̄ toties confutatis: Conculcatis uero & prorsus protritris, per Philippi Melancthonis de locis Theologicis inuictum libellum, meo iudicio non solum immortalitate, sed Canone quoq̄ Ecclesiastico dignum. Cui tuus libellus comparatus, ita mihi sorduit ac uiluit, ut tibi uehementer compaterer, qui pulcherrimam tuam & ingeniosam dictionem in istis sordibus pollueres: ac materiæ indignissimæ indignarer, quæ tam preciosis eloquentiæ ornamentis ueheretur, tanquam si quisquiliæ uel stercora aureis argenteisq̄ uasis portarentur. Et infra. Summa, hæc tua uerba hoc sonant, apud te nihil referre, quicquid à quolibet ubiq̄ credatur, modo pax mundi constet, licetq̄ ob periculum uitæ, famæ, rerum, fauoris, illum imitari, qui dixit. Aiunt aio: Negant nego. Et habere dogmata Christiana nihilo meliora, quàm Philosophorum & hominum opiniones, pro quibus stultissimum est rixari, pugnare, asserere, quod inde nihil nisi cōtentio & turbatio pacis externæ ueniunt: Quæ supra nos, nihil ad nos. Ita dirempturus nostros conflictus, uenis medius, ut utrosq̄ suspendas, & persuaideas, de stultis ac inutilibus rebus nō digladiari. Sic, inquam, sonant tua uerba, et quid hic premam, puto te intelligere, mi Erasme. Sed, ut dixi, uerba cant, cor tuum interim excuso, modo tu non prodas latius, ac metue spiritum Dei, qui scrutatur renes

Fraudulenter laudat Erasnum Lutherus.

Quem laudauit, mox cōtemnit, etiam plus quàm Sophistas.

Nequitiosa in Erasmo calumnia.



Adhuc  
grauior ca-  
lumnia in  
eundem.

renes & corda, nec fallitur compositis uerbis. Dixi enim hæc ideo, ut deinceps desinas nostram causam arguere pertinaciæ & peruiticiæ. Nam hoc consilio aliud nihil facis, quam quod significas te in corde Lucianum, aut alium quendam de grege Epicuri porcum alere, qui cum ipse nihil credat esse Deum, rideat occulte omnes, qui credunt & confitentur. Et rursus. Sed illud magis

est intolerabile, quod causam hanc liberi arbitrij inter ea numeras, quæ sunt inutilia, & non necessaria: & loco eius nobis recenseres, quæ ad pietatem Christianam satis esse iudices. Qualem formam certe describeret facile quilibet Iudæus aut Gentilis, Christi prorsus ignarus. Nam Christi ne una quidem iota mentionem facis, ac si sentias, Christianam pietatem sine Christo esse posse, tantum si Deus natura clementissimus totis uiribus colatur. Quid hic dicam Erasme? Totus Lucianum spiras, & inhalas mihi grandem Epicuri crapulam. Si tu hanc causam non necessariam ducis Christianis, cede queso ex harena, nihil tibi & nobis: Nos necessariam ducimus. Si est irreligiosum, si est curiosum, si superuacaneum, ut tu dicis, scire, an Deus contingenter præsciat aliquid: an uoluntas nostra aliquid agat in his, quæ pertinent ad æternam salutem, uel tantum patiatur ab agente gratia: an quicquid boni uel mali facimus, mera necessitate faciamus uel patiamur potius, Quid rogo erit tum religiosum, quid graue, quid utile scitu? Hoc prorsus nihil

Hoc est nimium.

ualet, Erasme, Das ist zuviel. Difficile est hoc tribuere ignorantia tuæ, ut qui iam senex & inter Christianos uersatus, & sacras literas diu meditatus, non relinquis locum, quo te excusemus, aut bene de te cogitemus. Et tamen hæc portenta tibi ignoscunt Papistæ, & ferunt, ea gratiâ, quod in Lutherum scribis, alioqui te dentibus laceraturi, si Lutherus abesset, & talia scriberes. Eum igitur librum

Hyperaspistes Erasmi  
cõtra Luth.

Lutheri, ubi uidit Erasmus, mira celeritate scripsit Hyperaspisten, hoc est, Defensorem Diatribæ suæ, ut ipsius indicant uerba ad Lectorem. Prodiit (inquit) Seruum arbitrium, titulo Martini Lutheri, sed elaboratum à multis, multo tempore. Nam ante annum liber excudi cõperat, ut narrabant, qui prædicabant se uidisse paginas aliquot, summaq; cura, quod ipsa res indicat, liber mihi sero redditus est, idq; casu. Nam ipsi celabant, ut saltem ad menses aliquot triumphum agerent, nõ solum addicti Luthero, uerum etiam utriq; inimici, mihi quidem ob bonas literas: illi uero ob improbata dogmata. Temporis spacium, quod dari poterat tum relegendæ Diatribæ, tum perlegendo Lutheri libro, non tam prolixo quam loquaci: tum responsioni meæ, non erat longius Diebus Decem. Deinde ad ipsum Lutherum conuersus, ait, Quam multa

Qualis liber  
Luth.  
de seruo ar-  
bitrio,

multa

multa sunt in isto tuo libro prorsus Aprosdionysa, quàm multa superuacanea, quot in locis cõmunibus moræ, quantũ conuitorũ, quàm multa manifestæ uanitatis, quantũ stropharũ, quantum figurati morsus, quã multa parũ pudenter detorta ac deprauata, & ex deprauatis Tragicæ conclusiones, rursus ex his uociferationes in immerentem. In his, quoniam tibi uisum est bonas horas collocare male, cogor & ipse in refellendo nonnullam aque meę porcionem consumere. Primum igitur demiror, quum mea Diatriba nihil habeat, nisi moderatam de re disputationem, quumq; è propinquo allatret Hieronymus Emserus, è longinquo Ioannes Cochlæus adiurget: ex Anglia, præter Roseum & alios, Ioannes Episcopus Rossensis iustis uoluminibus te lacestat, è Gallia Iodocus Clichtoueus Lutherum oppugnet Antiluthero, ex Italia Christophorus Longelius elaboratam orationem in te torserit. Deniq; cum hie habeas ex tuæ sodalitatis Coryphæis, qui tibi sedulo facestant negocium, quorum Ulrichus Zuñglius ædito libello nequaquam, ut ferunt, edentulo, dogma tuum, sed ex parte cum Ecclesia, commune, de Eucharistia oppugnat: quum idem fecerit Capito, & Ioannes Oecolampadius, nullis quidem conuictis, sed crebrioribus & acrioribus machinis. Hæc inquam, quum ita sint, demiror quo consilio ad omnes obmutescens, nostræ Diatribæ respondendum putaris. Et post pauca. Verum hic obsequutus es fratribus, inter quos scio permultos esse, quorum mores procul absunt ab Euangelio, cuius titulo sese uenditant. Horum cupiditatibus, Luthere, te plus satis obsequentem præbes, non sine graui detrimento causæ, quam sustines. Non enim me clam est, in cuius gratiam ad istũ modum scripseris in Cochlæum, & in regem Angliæ. Is nimirũ erat, in quo duas personas Comicas posses agnoscere, stupidissimum ac gloriosissimũ Thrasonem, & adulantissimũ Gnathonẽ. Certe indignus erat, cuius hortatu uel epistolam scribere debueris in tam arduo tamq; periculoso negotio. Quin illud potius erat tibi reputandũ, quam personã suscepisses: Videlicet, qui se profiteretur, Euangelium iam plus mille Quingentis annis sepultum & obrutum, reuocaturũ in lucem, & abrogata Pontificũ, Conciliorũ, Episcoporum & Scholarũ autoritate, promitteret orbi certã ueramq; uia salutis, quam hæctenus mundus ignorasset. Quam uero nõ congruebat, ut qui tam arduo negotio, uelut Atlas cœlo supposuisset humeros (iam enim tecum sic ago, quasi uera sint omnia, quæ tibi arrogas) perinde quasi in re ludicra, dieterijs, sannis, salibus, & cachinnis, in quoscunq; lubitũ fuerit, ludat, & ex Vuilheyli cuiuspiã arbitrio, stylum uel stringat uel moderetur in quenq;, non dicam in regem.

Repræhen  
dit leuitatẽ  
Luth. in re  
tam ardua,

Is erat, Vuilhelmus Nefesnus, qui uittẽberge in Albi suffocatus perijt.

N Et

Luth. con-  
temnit om-  
nes uelut  
indoctos,  
qui ei con-  
tradiciunt.

Retorquet  
Erasmus  
calūniam  
in Luth.

Et infra. Porro, quod tibi cum Paulo uindicas scientiam, utinam id uere posses, simulq̄ prestares spiritum Euangelicū, qui fragrat in scriptis Pauli, quū in tuis obstrepat alius spiritus. Aut quæ tandem contumelia est, si tu mihi derogas scientiam: quum eandē iam dudum detrahas & Concilijs Vniuersalibus, & Pontificibus, & Episcopis omnibus, & priscis pariter ac recētibus Ecclesiæ doctoribus, deniq̄ scholis omnibus: Quis unquam sapuit, qui uel latum, ut aiunt, digitum, dissensit à tuis dogmatibus? Omnes quamlibet antea docti, protinus ut tibi contradicere cœperint, patiuntur hanc Metamorphosim, ex Lynceis uertuntur in Talpas, ex hominibus in fungos. Et rursus. Cæterum quis illud absq̄ risu leget, quod scribis, mea modestia te segniores redditum ad pugnam, quum ista fortitudo tua, me frustra reuocante, iam orbem uniuersum exterialibus dissidijs concusserit. An equo sic currenti erant subdenda calcaria? Habemus fructum tui spiritus, res usq̄ ad cruentam stragem progressa est, & metuemus atrociora, ni Deus propiciatus auerterit. Dices, hanc esse naturam uerbi: Ego non nihil arbitror referre, quam prædicetur uerbum Dei, Ut iam Dei uerbū sit, quod doces. Non agnoscis hosce seditiosos, opinor, sed illi te agnoscunt. Etiam compertum est, multos, qui se iactabāt Euangelij nomine, fuisse seditionis crudelissimæ instigatores. Quorum conatus si successisset, fortassis extitissent qui probarent, quod nunc re male gesta detestantur. Tu quidem libello in agricolas sæuisimo suspicionem abs te depulisti: Nec tamen efficis, quo minus credant homines, per tuos libellos, præsertim Germanice scriptos, in oleatos & rasos, in Monachos, in Episcopos, pro libertate Euangelica, contra Tyrannidem humanam, huic tumultibus fuisse datam occasionem. Et iterum. Deinde, quū me toties facias Lucianū Atheon, qui dicam in corde meo, Non est Deus: Quum me facias Epicuri de grege porcum, quasi credam, aut nullum esse Deum, aut si quis est, ei non esse curæ res mortalium. Hæc, inquam, quum impingas, quibus ne fingi quidē quicquam potest atrocius, tamen addis hyperbolā, me scire, quid hic premas. Hic erat locus in te debacchandi, si calami tui petulantiam imitari uellem. Nihil erat opus tam impudentibus commentis, poteram ex aliorum sententijs aperire, quod monstrum tu celes in corde: Et quem spiritum tua scripta nobis inhalent. Etenim si tibi ius facis, quidlibet in me iaculari, uel ex tuorum Veredariorum delationibus, uel ex fratrum literis, uel ex animi tui diuinatione: Quanto iustius ego possem idem ex Cæsaris ac Pontificum Diplomatis: ex grauium uirorū libris in te proditis: Et in fine. In salutis negotio non aliunde flagito præsidium.

dium, quàm à misericordia Domini, neq; secundum Deum, ulla <sup>Purgat se à calumniâ Erasmus.</sup> in re, plus habeo uel spei uel solati, quàm in sacris literis. Et quem admodum in lucubrationibus meis, non nego, potuisse fieri, ut aliqui scripturæ Germanum sensum non attigerim: Ita sanctissime deierare possum, me scientem, nec in gratiam hominis, nec ob metum hominis, usquam docuisse secus, quàm sentirē, saltē opinione probabili. Qui mecum domesticam habuerunt consuetudinem, si non sanctimonix, quam desidero potius quàm habeo, certe huius animi possunt esse testes: Qui nunquam effutiuit uerbum uel ioco uel serio, quod saperet Lucianum, Epicurum, aut Porphyrium. Ineptum erat, hæc testificari scripto, nisi Lutherus Euangelij uindex, accurato libro talibus facetijs uoluisset in Erasmus amicum ludere, Nunc si quis malet habere fidem illius impudentissimę criminatio- ni, qui me nō nouit, quam meæ testificationi, suo periculo faciet: me liberabit hæc animi mei declaratio. Hæc Erasmus.

Eo anno iussu Cæsaris uocati sunt Spiram Principes, & Status <sup>Dieta Spi- rensis.</sup> Imperij, ad celebranda Comitia, atq; ad consultandum in cōmune, tum de pace & religionis negotio, tum de subsidio Vngaris contra Turcas ferendo. Cæsar bellis implicitus, in propria persona adesse nō poterat. Fratri autem suo, qui uices eius in Imperio agebat, adiunxit Quatuor Commissarios, magnæ autoritatis uiros, ut pleniori uigore omnia expedirentur. Vocati sunt & Lutherani Principes, Dux Saxonix Ioannes, Princeps Elector, qui defuncto Fratri Duci Friderico, in Electoria dignitate recēs successerat: & Lantgrauius Hassix Philippus, qui post occisos rusticos, à Lutheranis tandem persuasus, in eorum sectam transijt, frustra reclamante tum socero suo Duce Saxonix Georgio, tum piētissima eius matre, quæ in mortem usq; Catholica permansit. Hi ergo adducentes <sup>Luthericæ conciones.</sup> secum suos Concionatores, & noui ritus sacrificulos, petebant sibi addici templum aliquod, in quo suis & sacris & concionibus uti libere possint. Episcopus autem Spirensis, Georgius, qui Natalibus erat Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Rheni, fortiter interdixit eis, ne ullo in templo noua sacra aut suas conciones peragerent. Cum ergo de sacris aut sacrificijs parum curæ haberent, iusserunt suos Concionatores in atrijs ædium suarum quotidie ad populum concionari. Ingens itaq; fuit ad eorum sermones concursus plebis & rusticorum, non tam discendi gratia, quàm propter nouitatem loci, modumq; insuetum, ad audienda in Clericos & Papam con- uicia. Atq; ut complures allicerentur ad eorum sectam, data opera in ferculis portabantur carnes coctæ in Sextis ferijs, alijsq; diebus ieiunij, aperte, in conspectu totius auditorij, per atrium ad mensam

Iactantia  
Luthera-  
norum de  
uerbo Do-  
mini.

Principum & Aulicorum, in Ecclesiæ & Catholicorum publicum despectum. Parrabantur & alia id genus multa parum Euangelice ab Euangelicis ibi hominibus. Ministri eorum, Equites & stabularij, Idiotæ, petulanter iactabant uerbum Domini, & in dextra manica uestimenti gerebant has literas V. D. M. I. A. Hoc est, Verbum Domini manet in æternum. Cæteri Principes & Episcopi, simul cum fratre Cæsaris, intererant sacro publico Diebus festis in templo maiore: quod insigne est opus Cæsarum Henricorum, ubi & monumenta eorum uisuntur. Lutherani uero eodem tempore domi suos audiebant Concionatores, per quos & populum à sacris auertebant. Ad huiusmodi temeritates & ausus conuiuere cogebantur Catholici, non solum propter saluum conductum, & fidem publicam illis promissam: uerum etiam propter iniquitatem & difficultatem pessimi temporis. Nam Germaniæ populi Lutherico fermento inescati, sacerdotumq; ac Monachorum bonis inhiantes, ad tumultus & seditiones erant inclinati, & in externis quoque Nationibus grauissimi erant motus. De Italia enim diuturno bello contendebant Cæsar, & Rex Franciæ: Vngaris autem, infestissimo exercitu & maximis Copijs imminabat in propria persona Imperator Turcarum. Circumferebantur item libri Lutherani uenales, per totam ciuitatem, maxime uero duo libelli, paruuli quidem mole, sed uirulentia perquam grandes. Quorū alter erat Sermo Lutheri Teuthonicus, de Destructione Hierusalem: Alter uero, amarulenta Epistola cuiusdam nebulonis, qui se conficto nomine dicebat Argyrophylacethi, Teuthonice Thesaurarium: ut eo uocabulo redderet suspectū Principis FERDINANDI Thesaurarium, uelut Lutheranum, & eius nomine Epistolam Principibus, ac Statibus Imperij, cōmendabiliorem redderet. Cūq; breuis esset Epistola, & lectu facilis, atq; non solum Latine, uerū etiam Teuthonice impressa: perquam plurima uendebantur Exemplaria. Quæ sane diuulgatio, nocentissima erat contra Ecclesiasticos practica, dolus & malignitas, non solum quod oratio compositis uerbis ad commendandam Lutheri doctrinam uasre adornata erat: Verum etiam quod Reipub. utilitatem uideretur intendere, ac indicare ademptione priuilegiorum, quibus donati sunt Ecclesiastici. Ait ergo. Sæpe mecum mirari soleo, Illustrissimi Potentissimiq; Germanorū Principes, quod nonnulli uestrum, tam atrociter in eos, quos hæreticos uocant, sæuiant: Vt propter quæstiones opinionēsq; quasdam de religione, in homines alioqui innocentes, & Reip. commodos, exilijs, bonorum direptionibus, gladio, aqua, & igni, anima duertere nō reformident. Si autem in uos

Verba Ar-  
gyrophyl-  
laci ad  
Principes.

aut

aut in Remp. uestram peccarent, iustiore certe titulo punirentur. Modo cum eiusmodi asserant & doceant, quæ in maximum Ditionum uestrarum Rerum publicarumque commodum uergant (quo nomine & à uobis præmium accipere debebant) mirū, immo stupendum miserandumque, quod talia citra rationem modumque de eis supplicia sumantur. Egetis fortasse pecunia in Reipub. usus necessaria: en maximum uobis thesaurum ostendo. Sinite monachos & monachas (si qui uelint) libere abire, & uictū laborando quærere. Eos uero, quibus in suis fornicibus delitescere lubet, frugaliter alite, & ne quis huiuscemodi ignauū uitæ genus posthac sectetur, cauetote: Tum quicquid opum illis superest, in necessarios pauperum, Reip. ususque uestros uertite. Experiemini (procul dubio) intra paucos menses, quot centena aureorum Milia, unius exiguæ ditionis uestræ monachi & id genus homines possideant. Neque hoc meum consilium quispiam aut seditiosum aut impium iudicet. Tam enim pium esse (si opus foret) ostendere possem, ut plane impij censendi sint Principes, qui hoc nō exequantur, malintque ab agricolis, uinitoribus, opificibus, ciuibus, aliisque sibi subiectis tributa extorquere, quam Reip. suaque ipsorum bona à tam malæ fidei possessoribus non auferre &c. Sic & Lutheri sermo, suum cōmendans Euangelium, cuncta mala, atque adeo totius Germaniæ interitum denunciabat, nisi ei obediretur: Quemadmodum Iudæis contigit, qui Christū audire noluerunt. Nunc esset tempus (inquit) ut bonum nostrum agnosceremus, & Euangelium cum gaudio acceptaremus. Nunc enim offertur nobis gratia, per quam pacifici esse possimus. At nō accipimus corde, arbitramur nos esse tutos, et non uidemus magnam cladem, quæ iam contigit: Non uidemus, quod Deus nos tam grauitè punit Pseudoprophetis & Sectis, quos nobis undique immittit, qui tam secure prædicant, ac si spiritū sanctum prorsus deuorauerint. Quos pro optimis habuimus, ij populum in errores mittunt, ut nesciant pene homines, quid faciant aut quid omittant. Est igitur nunc tempus gratiæ præ foribus: nos autem cōtemnimus & reijcimus in Ventum: hoc Deus neque uult, neque potest nobis ignoscere. Quod ergo uerbum eius ita cōtemnimus, Minæ in ultione dignum est, & ulciscetur, etiam si Centum annos differatur Germaniæ. ultio: at tam diu non differetur. Et quanto clarius est uerbum, tanto grauior erit ultio: Vereor, ne tota Germania peritura sit. Deus hanc nequitiam inultam dimittere non potest, nec diu conniuebit. Euangelium enim tam copiose prædicatum est, ut tam clarum non fuerit tempore Apostolorum. Tota igitur Germania peribit, ut uereor, oportet eam interire funditus. Principes solo gladio rem peragere

Modus colligendi pecunias.

Quis hodie magis eget, quam egent illi, qui maxima perpetrarunt sacrilegia iuxta illud Proverb. ii. cap. Alij diuidunt propria, et ditiores fiunt: Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.

Sermo Lutheri de destructione Hierusalē.

peragere uolunt, Deo nimis ferociter barbam uellicant. Ipse igitur eos in os percutiet, Et infra. Iudæi eandem prætendebant causam, quam nunc nostri. Libenter quidem acceptaremus Euangelium, si non subesset periculum & corporis & substantiæ, si non perderentur uxores & filij. Et non considerauerunt magnam ac diuitem promissionem à Deo factam, ubi ait. Reddam tibi centuplum hic, & illic uitam æternam. Dimitte uxorem & liberos, ego bene enutriam, ego tibi reddam: aude modo alacriter super me, putasne me non scire tibi aliam ædificare domum? an tam uilem me habes. Ego tibi dabo cælum, an non audebis igitur super me? Si auferantur tibi bona, bene tibi, cælum & terra mea sunt, ego utiq; tibi redditurus sum &c. Eiusmodi itaq; libellis, non solum plebs & rustica turba, uerum etiam pleriq; Optimatum & Nobilium trahebantur in fauorem noui Euangelij, atq; in odium antiquæ religionis & Cleri. Vnde quum absq; seditione & tumultu nouitas illa prohiberi aut tolli non posset: Principes & ordines Imperij concluderunt suspensiuæ, ut quisq; in causa religionis ita se gereret, & in terris suis ageret, sicut confideret iustificare ac respondere coram Deo, & coram Cæsarea Maiestate. Hinc, suspensis in hunc modum omnium animis, cum nulla esset certa pax aut securitas: factum est, ut nemo Germaniæ Principum opem tulerit Regi Vngariæ & Bohemiæ, LUDOUICO. In cuius fines Turcarum Imperator maximis copijs iam ingressus erat. Nam & domi nihil erat securum à seditiosis subditorum animis, & omnis miles à Luthero inuoluntarius iam pridem redditus fuerat, ad proficiscendum contra Turcas. Scripserat enim ille, quod præliari aduersus Turcas, sit repugnare Deo, uisitanti iniquitates nostras per illos. Scripserat, nos hæctenus nihil habuisse prosperum aduersus Turcam, & uires eius atq; imperium nostris bellis aucta esse in immensum. Scripserat, non licere Christianis bellare, sed uim & iniurias pati. Scripserat deniq; Turcam esse decies probiorem ac prudentiorem Principibus nostris: Ideo nihil prosperitatis à nostris expectandum esse, nec quicquam esse contribuendum contra Turcas &c.

Decretum  
Spirense.

Vngariæ  
Germanis  
derelicti  
per Luth.

In assertione  
arti. 34.

De bello con-  
tra Turcas.  
Contra duo  
mandata Im-  
perialia.

Fatum Lu-  
douiçi Re-  
gis Vnga-  
riæ in bello  
cōtra Tur-  
cas.

Derelictus itaq; ab omnibus Germaniæ Principibus, pius, Innocens, ac Indytus Rex Ludouicus, Cæsaris nostri Sororius, cum accepisset minacilissimas à Turca ex Belgrado literas, & audiret illum crudelissime sequi in deuictos atq; etiã in deditos, nec ullam seruare fidem: ex subditis suis cōscripsit quantum potuit exercitum, uocauit in auxilium Bohemos, & Ioanem Vuauiouodam, Comitem Ciliæ, atq; ex regno Vngariæ congregauit ad se satis iustum exercitum, si ex fide cum eo actum fuisset. Nam fertur in Equitatu habuisse circiter XXX. Milia, Vbi ergo intellexerat, quanta sæuitia &

immanitate debacchatus esset in ciuitatem QuinqueEcclesiensem Turca, ex Buda processit cum exercitu obuiam hosti. Verum cum non adessent in tempore Bohemi & Vuauiouoda, & in exercitu quoque suo nonnullos haberet proditores: mox, ubi eius tormēta bellica male excussa, Turcæ aut tormenta optime in hostem directa fuissent, magnamque stragem dedissent, in toto prælio fusi sunt Vngari. Rex acceptis aliquot uulneribus, in fugam cum paucis conuersus, fugiendo in lacu quodam perijt. Fuit ea clades non solum exitialis opulentissimo Vngariæ regno, quod Turcarum Tyrannidi supra CC. annos fortissime restiterat: Verum etiam patefecit hostibus Christi aditus ad Germaniam. Ferunt enim Turcam pio Regi in literis suis cōminatam fuisse, quod non solum Regem ac Proceres eius esset assaturus, paloque transfixurus: uerum etiam religionem & Crucifixum illorum uellet omnino delere, et in silentium redigere. Fuso igitur Rege, maximam egit prædam, præsertim in Bombardis, curribusque & nauib. Abstulisse sane fertur maximas Bōbaldas LXXX. Minores Quinquies Mille, Minimorum Decem Milia: Curruum Quatuor Milia, Nauium Quinque Milia. Peruenit ad Budam, ac omnia diripuit. Regina, Soror Cesaris Domina MARIA, omnibus exuta, etiam mundo muliebri spoliata, uix fuga elapsa, Viennam miserabilis peruenit. In Regis defuncti locū primo à Bohemis electus est Princeps FERDINANDVS: Quem & Vngari postea elegerunt, ad quem regni iura ex antiquo tractatu ac fœdere pertinere non ignorabant. At Ioannes Ciliæ Comes, quamprimum abscesserat Turca, in Regis successorem à quibusdam electus, legitimo Regi Ferdinādo plurimum negocij ac molestiæ peperit. Nam non solum factione, sed & armis de regno cum illo cōtendere perrexit: nec destitit, donec grauissimis malis afflictum iam antea regnum rursus inuolueret.

Turcarum  
crudelitas  
& præda.

Nouus Bo  
hemie &  
Vngariæ  
Rex Ferd.

Eodem anno percelebris fuit Disputatio in Baden, Heluetiorum oppido habita, inter Catholicos ac Lutheranos. Nam magister Vricus Zuinglius, & Doctor Ioannes Oecolampadius, uiri docti, linguarumque Græcæ & Hebraicæ periti, religiosam & Catholicam gentem Heluetiorum ex parte peruerterant iam, & non mediocre in religione dissidium per nouam Lutheri doctrinam suscitauerant. Vt igitur dissensio turbatioque illa tolleretur, communi XII. Cantontum (sic uocant XII. distincta Dominia confederatæ gentis) consensu instituta est illa Disputatio, ad quam uocati sunt à Catholicis Præclari uiri, D. Ioannes Faber, Consiliarius Sereniss. Principis Ferdinandi, qui iam pridem grande contra Lutheri errores uolumen ædiderat: D. Ioannes Eckius, qui ante VII.

Disputatio  
Badensis  
in Ergauia  
apud Hel  
uetios.

N iij annos



Oratores  
III. Episco-  
porum.

annos cum ipso Luthero Lipsiæ cum laude omnium publice disputa-  
tauerat: D. Thomas Murnerus. Hi tres præcipue ad disputandum  
parati erant, aduersus Zuinglium & Oecolampadium. Ad  
quam sane disputationem, suos miserunt Oratores Quatuor uici-  
ni Episcopi, ad quorum Dioceses gens Heluetiorum pertinet. Epi-  
scopus namq; Constantiensis, Hugo, misit Claros uiros, D. Mel-  
chiorum suum Suffraganeum, eximium Theologum. D. Othma-  
rum Luscinium, uirum Disertiss. P. Antonium Pyratam, Concio-  
natorem Maioris Ecclesiæ facundissimum, & quosdam alios Præ-  
latos & Parochos non incelebres uiros. Basiliensis uero Episcopus,  
Christophorus, misit D. Augustinum Marium, Suffraganeum  
Frisingensem: D. Iacobum Lemp, Ordinarium Theologiæ in  
Academia Tubingensi, & aliquot alios doctos uiros. Episcopus  
Lausanensis, Sebastianus, misit D. Conradum Tregarium, Pro-  
uincialem Augustinianorum, & Ludouicum Loblium, Decanum  
Bernensem. Episcopus deniq; Curienfis, misit D. Petrum Speise-  
rum, cum aliquot Canonicis Curiensibus. Aderat præterea magna  
eruditorū hominū frequentia. Cæterum Zuinglius, reiecta omni

Zuinglius  
Tergiuer  
fator.

fide publica saluoq; conductu, qui ei multifariam offerebatur: nullo  
pacto ad eam disputationem uenire uoluit. At D. Eckius multis  
diebus, sub Notariorum exceptione disputauit, nunc cum Oeco-  
lampadio, nunc cum Iacobo Imeli, nunc cum Berchtoldo Hallero,  
atq; etiam cū Vlrico Studerio: tum de alijs rebus religionis nostræ,  
tum præcipue de Venerabili Sacramento Eucharistiæ. Quanto  
autem illis omnibus superior solidiorq; fuerit D. Eckius, publico  
declaratum fuit Heluetiorum Decreto. In quo Catholicorū obser-  
uationes, Eckijq; propositiones, comprobate atq; plene seueritatis  
edicto confirmatæ fuerunt. Quarum sane iste fuit tenor.

D. Eckius  
Victor.

- I Verum Christi corpus eiusq; sanguis, præsentia sunt in Sacra-  
mento altaris.
  - II Quæ & uere offeruntur in officio Missæ, pro uiuis & defunctis.
  - III Virgo Maria, aliq; sancti Cœlicolæ, inuocandi sunt ut inter-  
cessores.
  - IIII Domini nostri Iesu Christi, eiusq; sanctorum Imagines, de-  
lendæ non sunt.
  - V Post hanc uitam Purgatorius est ignis.
  - VI Puerili etiam Christianorum in peccato Originali nascuntur.
  - VII Baptismus Christi, non Ioannis, tollit Originale peccatum.
- His ergo conformis facta est publici Decreti sententia. Qua &  
Lutheri doctrina, uelut peruersa, multisq; iudicijs solenniter con-  
demnata, per Leonem Papam X. per Carolum Augustum. V.  
per

Decretum  
Heluet. cō-  
tra Luth.

per præclaras Vniuersitates, Parisiensem, Louaniensem, Coloniensem &c. Heluetiorum plèbibus interdicta est, & antiqua Catholice fidei obseruatio approbata atq; præcepta, Ne quid temere immutaretur, de sacra Missa, de Sacramentorum administratione: de sacris ritibus Cæremoniarum, Ieiuniorum, Orationum, Confessionum, Feriarum, Oblationum, Inuocationum, Exequiarumq; pro defunctis. Vt igitur hæc omnia firmiter tenerentur, additum fuit in fine Decreti, certos constitui debere Aduigilatores, qui una cum Magistratibus & Officialibus publicis, diligenter huic causæ inuigilent, ac præuaricatores denuncient, cuiuscunq; status fuerint, ut iuxta demerita sua puniantur. Adeo sane, ut reus in uno Cantone, ab omnibus alijs Cantonibus reus itidem extorrisq; habeatur, nec usquam liceat profugis euadere pœnas. D. Ioannes Faber, cum per absentiam & contumaciam Zuinglij, disputare cum eo non posset uerbis: scriptis protulit multa, quæ illi obiecturus fuerat, si comparuisset. Ingentem enim Antilogiarum illius numerum coaceruauit in uolumen unum, quibus ille foedissime & sibi ipsi contra dixit, & suam Lutheriq; doctrinam destruxit. Sed nimis longum foret omnia commemorare, quæ uir ille Doctissimus multijugæq; lectionis, & inexhausti laboris, ex libris Zuinglij reuera atq; redarguit, partim tanquam sibi ipsi contraria: partim tanquam fidei Catholice aduersa, & secundum se impia, absurda, & a uero aliena. Recensuit item supra CL. mendacia ex scriptis Oecolampadij, quibus ille populum fallaciter decipiebat: asserens, antiquos Doctores Ecclesie itidem sensisse de Eucharistiae Sacramento, quod ipse sentiebat. Contra quem & piissimus atq; doctissimus uir, Ioannes Fycherus, Episcopus Rossensis in Anglia, Quinq; egregios scripsit libros, errores & mendacia illius exacte reprobans. At D. Thomas Murnerus, qui Lucernæ ijs temporibus uerbum Dei Catholice predicabat: longe atrocissime in Zuinglium est inuectus, quem multipliciter per XL. Conclusiones infamem, propter scelera & sacrilegia commissa, declarauit. E quibus unam, quæ in ordine septima est, hic exempli gratia recitasse satis fuerit: licet breuitatis ratione, ne ipsa quidem tota recitabitur. Ait igitur Murnerus. Famosus est, qui census & redditus, cultui diuino ex pijs causis deputatos, in prophanos usus temerabit commutare, & cum alterius detrimento ac iniuria alium facere locupletiozem, conariq; plus iuris in alium transferre, quam habuit ipse. Hanc conclusionem probat ex legibus multis, tum Constantini Magni, tum Iustiniiani Augusti. Et addit, quod annui redditus inter immobilia bona computantur. L. iubemus. C. de sacrosanctis Ecclesijs:

Antilogiæ  
contra  
Zuing.

Mendacia  
Oecolampadij,

Acta D.  
Thomæ  
Murneri  
contra  
Zuing.

Ecclesijs: Quæ neq; alienari neq; auferri debent. Qui autem hoc fecerit, puniri debet, non solum faciens, sed & Oeconomus Ecclesie, & scriba, qui eiusmodi contractum scribit, & Iudex hoc admittens, ea. L. §. Oeconomus. Auditis ista uos Ecclesiarum fures: Ideo nihil uobis aliud expectandum restat, quàm ut calceis exutis ad patibulum proficiscamini. Et infra. Hinc primo consequitur. Infamē esse

Contra fa-  
crilegos  
Correlaria  
Murneri,

quēlibet, qui Ecclesijs & religiosis, suas per uim aufert hypothecas, et ab illis eos ui depellit & iniuria. L. Prætor ait. §. Nequid. ff. de ui & ui armata. Lege Iulia publicorū iudiciorū plectendum. Consequitur secundo, Dupliciter infamē esse, duplicemq; furē, qui cum retētis hypothecis etiam capitalia detinet bona. Consequitur tertio, Hūc tripliciter esse famosum, qui ultra hypothecas, & bona capitalia, etiā eorūdem literas et sigilla furatur. L. Nec interest. ff. ad legem Iul. de ui priuata. Consequitur quarto, Quatrupliciter infamem esse, qui ultra hæc tria, homines ui cogit sibi census & redditus afferre, cū ei ne obulum quidem debeant. L. lege Iulia. ff. ad legem Iuliam peculatus. O uos (inquit) tam multipliciter infames, Evangelici nequam, criminosi ac scandalosi Ecclesiarum fures, quibus eiusmodi cum ueritate obijciuntur. O quæ scandala, quas infamias pio natali solo nostro irrogatis, uestrisq; parentibus in terra sepultis. Pertingant obsecro hæc lamenta in Thronū diuinæ Maiestatis, ad uestras tandem iniurias ulciscendas. Hæc & id genus pluri-

Erasmi cō-  
tra Luth.  
& Zuīng.  
protestatio

ma Murnerus, quæ referre longum foret. Cum autem Zuīngliani falso iactarent, Erasmus quoq; Roterodamum (qui Basileæ tum degebat) circa Eucharistiam ipsis consentire: Erasmus eam calumniam scriptis ad Heluetios literis constantissime confutauit. Neq; tamen cessauit per eam disputationem dissensio: Altius enim in cordibus multorum radices egerat error, quàm ut ullis rationibus euelli possit. Et ipsi Lutherani, Zuīnglius & Oecolampadius, iam etiam contra ipsum Lutherum scribere ceperunt. Quorum contentio in hodiernum usq; diem perdurat.

Acta

Acta &amp; scripta Lutheri, Anno Domini

M. D. XXVII.



Vtherus ad grauem ac eruditam Regis Angliæ  
Epistolam perpetuo tacuisset, nisi in Germani-  
cum translata, fuisset à uicino suo, Hieronymo  
Emsero in lucem ædita. Ne igitur populus Teu-  
thonicus, quem sibi uelut peculium & hæredita-  
tem suam, ut olim Deus populum Israël, uindica-

Libellus  
Lut. contra  
Regē An-  
gliæ.

bat: tam forti ac lucida confutatione reuocaretur ad fidem anti-  
quam, scripsit ille breuem libellum Teuthonicum. In quo suæ do-  
ctrinæ firmitatem iactabat, ac ferocissime prouocabat contra se,  
nō solum Papistas (ut uocat Catholicos) & Principes, uerū etiam  
Suermeros, suos paulo ante socios & amicos aureos. De Doctrina  
quippe mox ab initio libelli, gloriabatur in hæc uerba contra Re-  
gem Angliæ.

Incessit (inquit) conuictijs & libellum meum, con-  
tra liberum Arbitrium scriptum. Quem tamen Erasmus Rotero-  
damus, Regis illius optimorum amicorum unus, coactus est di-  
mittere intactum, atq; adhuc intactum relinquet: quamuis plus sci-  
entiæ ingenijq; uno in digito habeat, quam Rex Angliæ habet  
cum omnibus sciolis suis. Et Trotz non solum regi & Erasmo, ue-

Troz, uox  
est contemptus  
& prouocatio-  
nis, quasi nec  
ausint nec pos-  
sint.

rum etiā eorū Deo, omnibusq; Diabolis, ne eum libellū mihi recte  
iusteq; reprehendāt &c. Deinde in Principes ita scurratur. Bone

Deus (inquit) quam diligenter subtilibusq; modis quærunt me.

An non sum ego preciosus ac nobilis uir? Immo certe, in Mille an-

nis uix nobilior fuit sanguis, quam Lutherus. Cur ita? cōnce tu ipse.

Tres iam Pontifices Romani, Tot Cardinales, Reges, Principes,  
Episcopi, Presbyteri, Monachi, magniq; Ioannes, eruditi, totusq;

mundus: Hi omnes super sanguine Lutheri proditores, latrones  
atq; carnifices sunt, aut certe libenter esse uellent. Sed & Diabolus

cum suis, Vah te, Ego ipse sanguinem meum odī, quando hæc  
cogito, Quod ego tales Magnificos ac præstantes carnifices ac la-

trones habere debeam. Turcarum Imperatori deberet talis exhibe-  
ri honor, non eiusmodi pauperi mendico, qualis ego sum. Et infra.

Coram mundo ipse quoq; probus esse uolo, & sum: adeo, ut non  
sint digni mihi calciamenti corrigiam soluere, neq; cum ueritate

me conuincant, quod coram mundo ulli hominum scandalose  
uiuam & agam, sicut ipsos bene conuincam. Breuiter, nemi-

ni sum nimis humilis, nemini nimis superbus: Quemadmodum  
Paulus ait. Scio superbire, scio & humiliari: scio egere, scio &

abundare. Quantum ad doctrinam meam attinet, sum ego Dia-

bolis.

vxoratus Mo-  
nachus cū sua  
Moniali uiuit  
sine scandalo,  
si ei creditur.  
Philip. 4.

Contem-  
ptus Luth.  
in Princi-  
pes.

Ridicula  
compara-  
tio Princi-  
pum ad len-  
des.

Querela  
Luth. con-  
tra aureos  
amiculos  
suos.

Contra au-  
las Princi-  
pum.

bolis, Cæsari, Regibus, Principibus, totiꝫ mundo multo multo multo nimis proteruus, firmus ac superbus. Quantum uero ad uitam meam attinet, sum etiam cuilibet puero humilis atq; subiectus. Qui hoc ante nesciuit, is nunc audiat, Et rursus. Quantum ad officium doctrinamq; meam, & quo ad uita mea illi conformis est, nemo ullam à me uel patientiã uel humilitatem expectet: præsertim Tyranni, & persecutores Euangelij. Hic enim debent me pro uiuo sancto habere, hinc aliud nõ fiet: Si non uolunt, oportet, quamdiu ego illi adhæsero. Quod me Deus adiuuet, usq; in finem, alioqui res perdita est. Quod si doctrina mea non alios haberet inimicos, quam Regē Angliæ, Ducem Georgium, Papam, & socios eorum, miseris bullas aquæ, iam pridem consulissem causæ cum una particula de Pater noster. Cum autem alij adsint, reputo tales inimicos, uelut recentes lendes, quæ priusquam inde pediculi nascuntur, inanes aridæq; sunt pelliculæ. Ego autem eiusmodi lendibus bene faueo, ut interim glorientur & cantent. Hic residemus nos lendes super caput nobilissimi animalis in terra, in crinibus eius. Non sumus uilis pro sapia, pediculi sunt nostri parêtes, magni illi gigantes, qui etiam Romanum Imperatorem Syllam interfecerunt, multosq; alios. Quid ergo ad nos, sit Lutherus mēdicus? Verum est, lendes estis, pediculi autem nondum estis facti. Ah quid tamen est mundus ad Deum, & ad Dei uerbum? exiguus puluis est, inquit Iesaiã: hoc adhuc minus est, quam lendes. Et infra. Sed quid ego ulterius irascor Papistis, qui mihi publici ac ex indicto hostes existunt, & quicquid in me perpetrant, secundum ius hostilitatis faciunt, sicut decet. At isti primum mihi sunt uere noxij, tenelli filioli mei, fraterculi mei, aurei amiculi mei, seditiosi spiritus ac Suermeri, qui, ut mihi uidetur, neq; de Christo neq; de Euangelio, aliquid præclari sciuisent, si non prius scripsisset Lutherus, & per suam nimirũ scientiã ex Papæ Tyrannide in talem libertatē lucemq; difficulter se asseruisent: Aut si facere potuisent, nõ tamen fuissent ausi rem aggredi & attentare. Et iterũ. Ego (inquit) hæcenus omnifariam fere aduersa expertus ac perpeßus fuerã: At meus Absalom, puer meus dilectus, patrē suum Dauid nondum effuguuerat, ignominiaq; affecerat. Meus Iudas, qui discipulos Christi perterrebat, ac dominum suum prodebat, quod suum erat in me nondum compleuerat, & hoc quoq; nunc in actu est.

Hunc Lutheri libellum Ioannes Cochlæus in Latinum uertit, ut Angli & Erasmus intelligerent, quid nã respondeat miser homo ad graues & elaboratos ipsorum libros: Cuncq; in eodem libello suo hæc quoq; uerba cæteris uanitatibus suis adnexuisset. Quid ego

ego (inquit) fumosus Cinerarius in Aulis Regum Principumq̄  
 quærito: ubi scio, Diabolum sup̄mo residere loco, summumq̄ ibi  
 eius esse thronum. Ego Diabolum probum reddere paro absq̄  
 ipsius uoluntate, et apud eū inuenire Christū: merito ergo tale mihi  
 reddit præmium. Redi bone Luthere, & adhuc semel quære Ioan-  
 nem Baptistam in Aulis Regum, ubi mollibus uestiuntur: Inuenies  
 eum ibi opinor. Ouis sum, & ouis maneo, quod tam facile credo,  
 ac me sic duci dirigiq̄ permitto, ad ludendum seu blandiendum  
 eiusmodi Domicellis, & non multo potius meum sequor sensum:  
 Ita, ut si Tyranno cuiquam aut sublimiter docto unum ictum dedis-  
 sem, ipsiq̄ ob id irascerentur, ego Triginta ictus subinde adderem,  
 in contritionem ac pœnitentiam. Sic scirent, quomodo ego reuoco  
 doctrinam meam. Ad hæc Cochlæus ita respondit. Quando Lu-  
 therus in Episcopos inuehebatur, erant ei tunc Aulæ Principum  
 uelut sanctissima Monasteria, ubi Christus sup̄mo asidebat  
 loco. Nunc uero dum irascitur Regi Anglic, Duciq̄ Georgio: Aulæ  
 Principum sunt eidem throni Diabolici, ubi Diabolus sup̄mo  
 residet loco. Quemadmodum & Erasmus erat ei doctissimus ac  
 maximus Theologus, quam diu sperabat eum suarū fore partium.  
 Quam primum uero uidit, eum alterius esse opinionis, mox bonus  
 Erasmus reddebatur omnibus etiā Sophistis indoctior. Itidem &  
 Carolstadius plenus erat spiritu Dei, quam diu Luthero consen-  
 tiebat: mox uero, ubi uel uno in articulo ab eo dissensit, factus est  
 Diabolorum, spirituumq̄ seditiosorum plenisissimus. Attamen li-  
 benter audire uelim, ubinam Lutherus Christum tandem inueni-  
 re intendat. Certe iam pridem eripuit eum Papæ, Cardinalibus,  
 Episcopis, presbyterisq̄ & Monachis, eumq̄ ex omnibus Episco-  
 porū Curijs Monasterijsq̄ effugauit. Neq̄ uero apud rusticos eum  
 relinquere potest: scribit enim eos Diabolis esse repletos. Quod si  
 uera sunt & ea, quæ de Mercatoribus scripsit: non poterit profe-  
 cto ne ibi quidem uerum inuenire Christum. Existimabat autem  
 aliquandiu, quod apud Poëtas Græculosq̄ suos eum inuenturus  
 esset, dum domestici ipsius aureiq̄ essent amiculi. Quum uero nūc  
 non omniquaq̄ consentiant ei, facti sunt Suermeri, ac seditiosi spi-  
 ritus, ac magis perdidere Christum, quam Papistæ. Vbi igitur bo-  
 num Christum tandem inueniet aut relinquet? Nusquam profecto  
 alibi, quantum conñcere licet, quàm apud Moniales Excucullatas,  
 quas ipse profugas domi suo in monasterio receptat ac retinet:  
 Quæ & ipsius uolūtati omniquaq̄ subseruiunt, nec ulla in re pror-  
 sus aduersantur ei. In his ergo habitat Christus Lutheri, in his ope-  
 ratur miracula: Quemadmodū Lutherus ipse de quadam illarum  
 O elegantem

Verba Co-  
 chlæi con-  
 tra Lut. de  
 eius incon-  
 stantia.

Christus  
 Lutheri  
 ubi manet.

elegantem libellum, quomodo illi Christus suus è monasterio abeundi auxilium tam miraculose præbuerit, finxit ac ædidit.

Liber Erasmi Tertius de libero arbitrio.

Erasmus uero, ubi acceperat Lutherum in isto suo libello uane gloriari, quod Erasmus quoque de libero arbitrio nihil posset ei respondere, crebris præterea literis amicorum rogaretur, ut quam in Hyperaspista responsionem pleniorē pollicitus fuerat, eam aliquando præstaret ac æderet: Insignem ac bene prolixum ædidit librum. In quo sane cuncta Lutheri de Seruo arbitrio argumenta, tam neruose ac dilucide dissoluit, ut neque Lutherus, neque aliarum sectarum quispiam, hactenus attentauerit illi respondere. In eo igitur libro inter cætera multa, hanc generalem in Lutheri libros sententiam tulit.

Qualis scriptor Luth.

Videor (inquit) hoc mihi in Lutheri scriptis animaduertisse. Nō semper est intentus ijs, quæ scribit: Nec id fieri potest, ut hominis animus, perpetuo sit intentus alicui negotio, semper tamen illi currit calamus. Itaque quo crescat uolumen, plurima incidunt, quæ nihil aliud quam charitas explet. Nunc repetit plus decies dicta, cōmutatis tantum uerbis: Nunc concionatur, uersans in locis communibus: Nunc asseuerationibus explet chartas: Nunc ineptis salibus & infacetis facetijs eximit tempus: Nunc quicquid offertur aut succurrit animo, quocumque modo detorquet ad causam suam, ac præter conuicia, quibus natura scater, habet uerba quædam ueluti magica, quæ non ratione, sed uehementia quadam afficiant lectoris animum, uel imbecillem, uel parum eruditum. In quibus quoniam imaginatio plurimum ualet, iuxta Physicos, adeo, ut frequenter morbos graues & mortem pariant: fit, ut quodammodo affletur spiritu, utinam sancto. Irenæus tradit, arte simili plurimis imposuisse Valentinum ac Martionem, non mulierculis tantum, sed & iudicibus. Habebant uerba quædam barbara, incognita, uehementia, imperiosa: Ea mira fiducia pronūciantes, territabant iudices, & infirmos rapiabant in suam sententiam. Mulieribus etiam prophetiæ spiritum dabant, iterum atque iterum iubentes, præcipientes, imperantes, ut tantum aperirent os: asseuerantes, prophetiam fore quicquid dicerent. Quid quæris? incalescebant magicis uerbis imbecilles animi, & afflabantur, non aliter quam qui cōmenticijs uocibus adiurati, intumescunt fremuntque, perinde quasi ueris Exorcismi uerbis premantur. Huiusmodi uocibus quum omnes Lutheri libri, tū hic præcipue scater: Addit æris Dodonæi loquacitatē, aut si quid illo est loquacius, ut lector, quamuis sanus & integer, tamen hoc tædio delassetur. Et infra. Quid autem stultius, quam cum eo disputare, qui nihil admittit, nisi scripturæ uerba: sed harum interpretationem

Qualia uerba Valentini & Martionis.

Loquacitas Luth.

interpretationem uni sibi referuans : Immo qui sibi permittit comminisci, quoties commodum est, quod non magis è scripturis elici potest, quàm è punice lac. Et tamen sibi uidetur mirificus disputator: Atq; ita re gesta, sibi canit Encomium. Et post multa. Quod testimonium habeat in mundo, norunt omnes. Si mihi presuasum esset, illum Dei causam agere, nullus est in orbe tam potens Monarcha, qui me perPELLERET, ut uel tria uerba scriberem aduersus eum, citius abirem in ignem. Et fieri potest, ut ego, uel ob eruditionis inopiam, uel ob ingenij tarditatem, parum subtiliter iudicem de dogmatibus. Verum hoc me docet certe sensus communis, Causam Dei non tractat syn- cere Luth. fieri non posse, ut sincero pectore causam Dei tractet, qui concitatis tantis in orbe tumultibus, ludit ac deliciatur sannis ac dicterijs, nec unquam expletur. Nec stultitia carere potest tanta insolentia, quantam adhuc in alio uidimus nemine. Nec cum Apostolico spiritu congruit tam scurrilis petulantia : Immo hoc ipsum est Dei causam negligenter agere, ineptis dicterijs irritare Principes ac doctos in decora uoce Trotz. Ista diligentia summa fuit negligentia. Si uere diligens esse cupiebat in opere Dei, Paulum oportuit imitari, qui quum esset in omnibus liber, omnium se seruum fecit, qui omnia fiebat omnibus, qui per omnia placebat omnibus : qui non quærebat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: qui non sequebatur quod licebat, sed quod expediebat : qui abstinere iubet ab omni specie mala, hortans, ut Christianorum modestia nota sit omnibus hominibus. Et post pauca. Quale est Euangelium, Euangelium Luth. pessimos quosque recipit quod recipit tales, quales nimium multos nouimus, quod agnoscit decoctorem, scortis, alea, comestationibus, ocio luxuq; perditum, nihilq; sibi non permittentem, modo sibi nomen Equitis possit affingere, & huius tituli ius esse putat, deludere creditorem, Et si repetat mutuum, pro hoste ducere : Et quoties urget inopia, huic aut illi, unde spes est prædæ, bellum indicere, publicumq; latrocinium belli nomine fucare. Principi ius non est indicere bellum, nisi consilio adhibito, & is qui pedem ubi ponat non habet, bellum indicit cuilibet. Actalibus est locus in nouo Euāgelio, quibus apud Ethnicos in ciuitate moderata locus non esset. Hoc satis est, approbat mea dogmata. Quid refert de factis, modo ad sit fides? Fateor olim & tales recipiebat Euangelium, sed resipiscentes, sed transformatos. Nunc quidam adeo non corriguntur per Euangelium, ut potius uideantur deteriores. Nec fit, ut peccare desinant, sed ut peccent impunitius. Iam si quid erat corrigendum in moribus, aut Temeraria rerum mutatio. immutandum in ritibus, id agendum erat ex autoritate magnatum, aut certe ex consensu plurimorum, deniq; paulatim: Nec quicquam

O ij quam



quam submouendum, nisi prius paratum esset melius aliquid, quod in illius locum succederet. Nunc quidam sic rem aggrediuntur, quasi possint repente nouum orbem derepente condere. Nihil non displicet, constitutiones, Ordines Ecclesie, oleum, rasura, Missa, cantus, templa, imagines, uestes, scholae, Cereemoniae, studia, literae. Quid autem pulchri uidimus succedere? Nunquam tam bene fuit actum cum rebus humanis, nec unquam agetur in hoc saeculo, quin multa sint digna correctione. Verum ad quaedam praestat conuiere, quaedam condonanda sunt simplicium affectibus. Quae ferri non possunt, aut tolerari debent, si plus habitura uideatur discriminis tētata curatio, quam habet ipse morbus, aut arte sensimque corrigēda: sic, ut non abiici, sed meliorum successione protrudi uideantur. Hanc moderationem si Lutherus adhibuisset, habuisset & Principes & Episcopos, & ex Monachis ac Theologis, quos nunc habet infensissimos, optimum quencque sibi fauentem.

Luth. seditionē affectasse uideatur.

Haec loquor, fingens causam esse per omnia talem, qualem uideri uult Lutherus. Profitebatur enim sese Ecclesiae collapsos mores, ac nonnulla dogmata magis ad commoditates hominum, quam ad Christi gloriam facientia, renocaturum ad synceritatem. Hoc negocium iam olim suspirabant optimi quicque: Sed quoniam perspiciebant, nisi Deus afflasset animos Principum, sine graui publicae tranquillitatis concussione tentari non posse: optabant potius quam sperabant. Quod summo quidem orbis applausu Lutherus aggressus est, sed ita se gessit, quasi seditionem, quam in primis uitatam oportuit, affectasse uideatur. Nunc non libet commemorare, quales habeat plerumque discipulos. Illi satis est, quales quales sunt, quod approbant ipsius dogmata. At Paulus ne cibum quidem capi uult cum fratre, qui nominatur auarus, aut scortator, aut maledicus. Certe istorum multi ad publicam tranquillitatem adeo sunt inutiles, ut Turca quoque feratur Lutheranorum nomen execrari, seditionis odio, quum Christianos toleret, ab ipsius dogmatibus alienos. Quid hic commemorem, quanta inter Euangelistas (sic enim ipsi se uocant) dissensio, quam atrox odium, quam amarulenta contentio, immo quanta inconstantia, quum ipse Lutherus toties mutarit sua placita: Et subinde noua Paradoxa suppullulent. Promittit sibi mirificam apud posteros memoriam. At ego potius auguror futurum, ut nullum nomen sub Sole fuerit unquam execrabilius Lutheri nomine, & apud Papistas & apud Antipapistas. Mundi Principes, huic mundo deditos irritauit, causam emendandae disciplinae Ecclesiasticae, cui fauebant optimi quicque: sic exulcerauit, ut & aduersariorum uires auxerit, & malum reddiderit

Quales discipuli Lutheri.

Execrabile nomen Lutheri.

reddiderit immedicabile. Quod, ni Deus uelut è machina succurrerit, nunquam sopietur, nisi maxima Christiani sanguinis effusione. Primitias iam uidimus in rusticis. Et hoc statum rerum ille iudit dicitur, in quos lubitum est. Hęc & id genus multa Erasmus. Ad quæ sane omnia sic obmutuit Lutherus, ut nullo deinceps uerbo  
 † Erasmus amplius irritare fuerit ausus, licet audacissimus alioqui extiterit. Cum autem nouum Testamentum, à Luthero in Germanicam linguam uersum, ac multis in locis deprauatum, & per falsas Annotationes ad confirmandas hæreses eius adornatum, multisquè milibus exemplarium per Chalcographos adauctum & euulgatum, ubiq; circumferretur uenale: & Indytus ac maxime Catholicus Princeps, Dux Saxonie Georgius, constantissime illud non solum reijceret priuatim, sed & publicis Edictis interdiceret subditis suis, per omnem suam in Turingia Misniaq; & Saxoniam ditionem: atq; ex hoc grauem inuidiam, odiumq; & obtreccionem à Lutheranis pateretur, tanquam is, qui Tyrannice opprimeret uerbum Dei, & persequeretur Euangelium Christi. Hinc factū est, ut illi fidelis ac deuotus Capellanus, Hieronymus Emserus, qui iam pridem ædiderat Annotationes in Lutheri Testamentum nouum, ac de multis eum erroribus palam conuicerat: Nouum Testamentum, ex recepta & approbata per totam Ecclesiam translatione Latina, uerterit in Teuthonicum quam fidelissime, iussu & petitione prædicti Principis, qui & præfatione sua opus illud maxime cõmendabile bonis ac pijs omnibus reddidit. Vnde factum est, ut illius æditione frequenti, Lutheri Testamentum, & nomen & autoritatem magna ex parte apud Germanos perdiderit. Inter cætera enim Princeps ille sic ait in prologo Teuthonico.

+ multis annis  
 Nouum  
 Testamentum  
 Luth.

Nouum  
 Testamentum  
 Emseri.

Ea propter nos maturo ac deliberato consilio, atq; etiam ex mandato & commissione Romanæ Cæsareæ Maiestatis, CAROLI V. Domini nostri omnium Clementissimi, dictâ Lutheri interpretationem ac nouum Testamentum, dilectis fidelibusq; nostris subditis, ad euitandas pœnas & damna, tum corporis tum animæ, intentione prorsus paterna debitaq; ac bona, interdiximus, atq; etiam è manibus eripuimus: Id quod Lutherus cum nonnullis complicibus suis nobis pessime imputantes, criminati sunt nos, uelut Tyrannū ac persecutorem & hostem sancti Euangelij ac uerbi Dei, qui illud liberè legi ac prædicari in terris nostris non permittamus. In quo sane iniquissime nobis molesti sunt. Speramus enim in Domino, omes, qui nos recte cognoscūt, non aliter percepisse unquam, quam nos Euangelium ac uerbum Dei,

O iij quomodo

Verba Ducis  
 Georgij  
 in Prologo  
 No. Test.

quomodo ab Ecclesia Catholica receptū est, libenter audiisse. Vt-  
nam & facto illud sequuti simus, quod tamen facere, quantum  
gratiæ nobis contulit Deus, studuimus, ac de cætero studebimus  
pro uirili. Neq̄ igitur uerum Euangeliū, neq̄ uerum uerbum Dei,  
sed duntaxat Lutheri, aliorumq̄ pseudo Euangelicorum Concio-  
natorum, fallaces doctrinas, sermonesq̄ & scripturas, in terris no-  
stris suppressere intendimus. In quo sane proposito constanter,  
Deo uolente, per diuinam gratiam, usq̄ in finem perseuerabimus.

Fructus  
Euangelij  
Luth.

Speramus item & cōfidimus, eos quoq̄, quibus ignoti sumus,  
& qui post nos uenturi sunt, ex subsequenti commemoratione fru-  
ctuum, qui ex Lutheri aliorumq̄ Suermerorum doctrinis enati  
sunt: nos facile excusatos in hoc habituros esse. Quamuis enim Lu-  
therus rem primo sub prætenu cuiusdam Reformationis & emen-  
dationis abusuū, qui apud & Ecclesiasticos & sæculares radices  
egerunt, inceperit: uerbis tamen ac factis mox indicauit, sese non  
intendere rem emendare, sed prorsus euertere. Quemadmodum  
sæpe gloriatur, eo se rem perducturum esse (neq̄ item ulli ad hoc  
labori pepercit, & de hoc maxime proteruiuit) ut intra paucos an-  
nos nullum Templum, Collegium, sacellum aut Monasterium:  
nullus presbyter, Monachus, aut Monialis: nullus itē Episcopus,  
aut Princeps, sub cœlo permanere debeat. Neq̄ in his contentus,  
uerum etiam totam Ecclesiam Catholicam, ac sanctam fidem no-  
stram, partim per seipsum, partim per suos sequaces Suermeros, ac  
pseudo Euangelistas, penitus extinguere. Et non modo Diuos, ue-  
rum etiam Christum ipsum è cœlo propellere, conatus est: Quem-  
admodum & facto unum post alterum adorti, primum Doctores  
Scholasticos, deinde & ueteres sanctos Doctores, quos Ecclesiasti-  
cos uocant: Quorum scripta, Canones & Decreta (quæ ad edificati-  
onem Ecclesiæ à spiritu sancto eis indita fuerunt) ignibus publi-  
ce combusserunt: sanctorum imagines & crucifixi statuas, quæ non  
pro Idolis, sed pro memoria duntaxat ad plebis excitandam de-  
uotionem, erectæ sunt, destruxerunt ac disseuerunt, non modo in  
uijs publicis, uerum etiam in Templis. Omnia bona opera, qualia  
sunt, Virginalis castitas, ieiunia, orationes, festa, uisitationes Eccle-  
siarum, processiones, lætantiæ, Matutiniæ, Vesperæ, ac aliæ horæ  
Canonicæ: Ad hæc, Vigiliæ, Missæ pro defunctis, Exequiæ, Tri-  
cesimi, Anniuersarij, & quicquid ab Ecclesia in suffragium pijs ani-  
mabus peragitur, simul cum omnibus antiquis obseruatis ritibus  
& Cæremonijs, non solum scelerate floccifecerunt: uerum etiam  
prorsus abrogarunt & omiserūt. Præterea usq̄ a deo carnales ac  
feri facti sunt, ut etiam sacris Sextis ferijs, alijsq̄ ieiunij præcepti  
diebus,

Carnalis  
bestialitas  
Lutherano  
rum.

diebus non ex necessitate, sed ex mera petulantia, & in Ecclesie despectum, carnibus cibent & uescantur. Rogant insuper ac desiderant, ut post mortem non in locum sacratum, sed in prophanum, sicut aliud animal irrationale, sepeliantur: nec aliquid boni pro eis fiat, neque etiam pro ipsis oretur. Atque ut in his omnibus impuniti permaneant, Conciliorum quoque & Ecclesie potestatem omnem prostrauerunt, ac uulgari populo id potestatis tradiderunt, non solum super scripturis & Concilijs: uerum etiam super utraque superioritate, tum Ecclesiastica, tum seculari, ad iudicandum ac puniendum. Ac deinceps temere aggressi sunt, non solum Ceremonias & Sacramentalia: Qualia sunt, benedictio aquae, salis, herbarum, candelarum, & id genus aliorum, quae (ut Paulus ait) per orationem & uerbum Dei, in templo sanctificantur: abrogare, Verum etiam ipsa Sacramenta arroganter inuaserunt. Quorum aliqua profus reiecerunt, ut pro nullo habeant Sacramento, ueluti Confirmationem, Extremam unctionem, sacros Ordines, Confessionemque cum poenitentia & satisfactione: Caetera uero uarijs multisque modis ac formis immutant ac peruertunt &c. Adidit anno illo Lutherus Teuthonicam consolationem, ad populum Hallensem in Saxonia, super interitu Cōcionatoris eorum, Georgij, qui Asciburgijm euocatus à Principe suo, in reditu fuit à quibusdam Equitibus, dum per uastam syluam iter faceret, repente interfectus. Nec satis constat, quam ob causam, nisi quod crebrior fama erat, illum occulte cōtraxisse coniugium, cum opulenta quadam & nobili muliere uerula, cuius Consanguinei, tum propter illicitum coniugium, tum propter mulieris bona, quae presbyter ille coniugij prae-textu ambiebat, illius iter obseruantes, eum sic interfecerint: non latrocinandī, sed uindicandī aut scandali praecauendī studio. Mox enim ut interfecerunt, aufugerunt per auia loca, nihil praedae aut pecuniae rapientes sibi. Lutherus uero eam necem imputabat Dominis Capitularibus, Metropolitanę Ecclesie Moguntinę, tanquam eorum machinatione paratae fuerint Georgio illi (qui tamen nihil ad eos pertinebat) insidiae. Inter caetera enim sic ait. Prima igitur pars consolationis nostrae est, quod scimus, quisnam sit latro, qui dilectum fratrem nostrum, Georgium, interfecit, nempe Diabolus: Quamuis scire non possimus, quinam sint Domicelli, qui istud iusserint, aut quænam fuerint manus aut arma, quae perfecerunt. Audio enim Episcopum Moguntinum uehementer excusari uelut innocentem: Quod & ex corde opto, atque ita esse sino. Cunctis plures nouerim Episcopos, qui bene agerent aliter, si eis per sui Capituli Tyrannos liceret: propensior profecto mihi est animus, si utrum

O iij credendum

Liber Lut.  
de interfe-  
cto cōcio-  
natore Hal-  
lensi.

De rebus  
Ecclesie  
Moguntinę  
narranda.  
Calumniæ  
Lut. in Ca-  
nonicos  
Capituli  
Moguntini.

credendum sit, ut credam potius, Capituli Moguntini Tyrannos, eiusmodi homicidium in dominum Georgium subornasse. Nam haud ita diu longe maiorem cædem intendebant, quando homicidali consilio suo, per nobilem sanguinem, Cæsarem Carolum, Germaniæ Principes contra se inuicem cõcitare, atq; Germaniam sanguinis diluuiò inundare, studuerunt: ut suas meretrices, suosq; uentres libidinosos, in pace ac uoluptate secure fouere queant. Qui totam prouinciã in cædem ac sanguinem adigere intendit, is pro leui nimirum habet, si unum interficiat uirum. Deus autem homicidalibus & sanguinẽ sentientibus canibus illis, malitiã eam tunc prohibuit. Hi sunt ergo Ecclesiastici sancti homines, qui Missis & orationibus Christianitatem sustentant, ac antiquo præterea homicidæ, deo suo, Diabolo, totum mundum proditiõibus ac homicidijs offerre intendunt ac desiderant &c.

Excusatio  
Capituli  
per Io. Coch  
chlæum.

Hiscè Lutheri calumnijs Ioannes Cochlæus, dum Moguntiaë ageret, confestim ædito libello itidem Teuthonico respondit, atq; præter alia scelera, quæ illi obiicit & commemorat plurima, quibus in Archiepiscopum & eius Capitulum malitiosissime machinatus fuerat, sic ait. Quamlibet uehementer furit, mentitur ac criminatur mendax Monachus: attamen nihil prorsus inhonesti aut reprehensibilis est in eo consilio, in quod ipse tam furibunde conuertiatur & clamat. Vnusquisq; enim potest superiores suos pro consilio & auxilio implorare, ad manutenendum quæ sua sunt, suumq; ius conseruandum, absq; cuiuslibet præiudicio ac detrimento. Atqui malitiosus Monachus plus uoluptatis habet in excitandis ac dandis malis, uno post alterum, magisq; laudat eos, qui Collegijs, Monasterijsq; & Ecclesijs debitos census, redditusq; & decimas denegant, adimunt, alienant, atq; ui contra Deum & contra phas et ius omne rapiunt, sibiq; usurpant: quàm illos, qui nemini quod suum est auferre conantur, sua autem conseruare desiderant.

De rebus  
Ecclesiasti  
cis non aliē  
nandis.

Cunq; Ecclesiasticis in utroq; iure multiphariam interdictum sit, ne bona sua redditusq; & census uendant aut alienent: Lutherus uocat eos homicidas ac proditores, dum nolunt pati aut permittere, ut bona Ecclesiastica, quæ à pijs hominibus ad cultum Dei donata sunt, ab alijs rapiantur, alienentur, & à cultu diuino ad mundanam superbiam, ad scortationes, ad comessationes transferantur. Cum igitur ipsis & eiusmodi bona non liceat uendere nec donare, quomodo taceant aut conniueant, si alij ea contra ius, ui rapere, detinere, aut alienare, moliantur? O egregium igitur legislatorem, Moysenq; Teuthonicũ, Lutherum. Quando autem suæ timebat cuti, & propterea Principibus adulabatur, ac rusticos criminabatur,

criminabatur, ita tum scripsit. Rustici nostri uolunt aliorum bona facere cōmunia, & sua sibi propria retinere: Pulchri sane Christiani. Arbitror (inquit) nullum Diabolum esse in Inferno, sed omnes euolasse in rusticos: furor iste supra omnem & modum & mensurā est &c. Non inique quidem loquitur hic Lutherus, quamuis iniquissime talia rusticos antea docuerit: Quemadmodum ego clare ex scriptis eius ostendi, quando eius in rusticos libello respondi. Arbitror uero longe iniquius esse, quod aliqui bona sua propria retinent, & Ecclesiarum quoque bona rapiunt, sibi que uelut propria retinent, qui Luthero in hoc maxime placent: Quum tamen longe tolerabilius foret, & a uitio auaritiæ alienius, si Ecclesiastica bona, non in propriā, sed in communem (sicut rustici uolebant) uilitatem, si ab alienanda aut rapienda essent, uerterentur. Sed utrunque contra Deum est, & contra omne ius. Nam in uero Euangelio ait Christus. Date Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ Cæsaris sunt. At non ait. Rapite ea quæ Dei sunt, & date Cæsari aut mundanis Principibus. Qui ergo uerus uult esse Christianus, nulli hominum, multo minus Deo, quod suum est rapere aut furari debet, sed potius dare, quam auferre. Et infra. Ait falsus & mendax accusator. Certum ergo est, Sathanam id fecisse: Capitulum Moguntinum non scio pro certo accusare &c. Quis iudicium ex huiusmodi accusatione contra bonos Dominos, Venerabilis Capituli Moguntini, sententiam laturus est, in tam magna causa Capitali, quæ corpus & uitam, honorem & substantiam tangit: Cum ius commune dicat, quod in eiusmodi causis probationes debeant esse luce meridiana clariores? Si ergo Lutherus non scit dictum Capitulum pro certo accusare, quomodo audet eos appellare Tyrannos & Sicarios? An satis probationis est, quod ait, Sicut audio, non scio pro certo, sic informatus sum? Immo (inquit) uocauerunt eum ex aliena Diocesi, ut Magdaburgensi: in alsam, ut Moguntinam, ad cuius tamen Iurisdictionem non pertinebat. Ad hæc, eum etiam interficiunt occulte ac proditorie in itinere. Ita enim informatus sum &c. Quomodo autem sciet aut poterit Lutherus probare, Capitulum Moguntinum euocasse Georgium illum Asciburgium? Quid negocij habet Capitulum Moguntinum cum Magdaburgo aut Hallis, & cum illarum ciuitatum Concionatoribus: Lutherus uero est, ut ait, informatus, illum per Episcopi literas euocatum fuisse. O nequissimum os conuitorum, quod Principes & dominos tam cito Sicarios & occultos latrones nominare audet, cum non possit, neque maximum neque minimum punctum, nec primum nec ultimum articulum, tam sæuè accusationis probare &c.

Verba Lutheri contra rusticos.

Temerarius et mendax accusator Luth.

Fuit

Vrbs Romæ  
ma à Cæs.  
exercitu ca  
pta.

Interitus  
Ducis Bor  
bonij.

Cædes in  
urbe capta.

Fuit annus ille non solum Germaniæ, uerum etiam Italiæ: in primis Dominiæ rerum, & Capiti Imperij, urbi Romæ, grauis & exitialis. Nam ubi Papa, omisso Cæsare, cum Rege Franciæ, & cum Venetis ac Florentinis, fœdus iniuisset: Capitaneus Cæsaris, Dux Borboniæ, qui Italico præerat exercitui, cœpit infestus esse castellis, atq; etiam uicis & urbibus Papæ. Verum ut uidit se hostium coniunctis uiribus imparem, suisq; & commeatum & pecuniam deficere: decreuit ultimã experiri fortunã. Subito igitur duxit exercitũ suum ex agro Bononiensi, uersus Romam ipsam, quo et citius peruenit, quàm suspicabatur: & mox, ut ad mœnia peruenit Quinta die Maij, quæ erat Dominica tertia Pasche, misit Fœcialẽ in urbem, ut peteret transitum tutum & commeatum, quo denegato, rursus misit, ut peteret urbem dedi Cæsari. Verum à Capiteo Papæ reiectus & contemptus, redijt ad Ducem, qui mox inito cum suis consilio, statuit, primo diluculo urbem Leoninam, quæ Burgum dicitur, oppugnare. Nec defuit audentibus fortuna: Statim enim Hispani conscenderunt in muros, & Germani perfregerunt portam, quæ Hospitali sancti spiritus proximior erat. Veruntamen Dux ipse, uictoriæ autor, uictoria diu potiri non potuit. Ictu enim Bombardæ in oppugnatione mœnium percussus, mox in hora illa periit uictor. Milites autem, qui sciebant nullam sibi superesse salutem, ni fortissime cœptam uictoriam prosequerentur (Nam foris Dux Urbini grandem in eos ducebat exercitum Venetorum & Gallorum, & intus non pauci, tum equites tum pedites, stabant à parte Papæ & Romanorum) irrumpentes uel glomeratim, ferro ad omnia sibi aditum parabant, cæsis obujs quibusq; Papæ & ijs, qui cum eo erant in Palatio, uix dabatur effugiendi in Molem Adriani (quam Castellum S. Angeli uocant) spacium. Milites itaq; Germani & Hispani, in ea pugna nullum habentes sacrorum respectum, plurimos occiderunt, non solum in atrio & porticu Basilicæ S. Petri, uerum etiam in ipso templo: atq; adeo & circa sacratissima altaria, & circa memorias & monumenta Apostolorum, aliorumq; Diuorum, plurimum sanguinis effuderunt. Deuastato itaq; Burgo, mox in eam Romæ partem, quæ trans Tyberim dicitur, irruerunt, in prædam omnia rapientes, & uite redemptionem à quibuslibet extorqueutes. Cunctis itaq; subito & inopinato terrore percussis, eodem uictoriæ impetu, eodem die irruerunt & in magnam Romam, per pontem Sixtinum, ubi multo minus cædis quàm in Burgo, sed longe plus prædæ fuit & pecuniæ. Quia propulso in Castellum Papa, nemo uictori exercitui arma impune opponebat: Plus itaq; deditiois, quàm prælij fuit. Roma ergo

lic

sic obtenta, captaq; ac peruasa, miles absq; Duce ferox & effrenis, in prædam omnia usurpauit, sacra iuxta atq; prophana. Neminem à direptione militari saluauit deditio, neminem sacer locus, neminem Cæsaris aut Nationis nomen aut fauor. Omnes incolæ, siue Romani essent, siue Hispani aut Germani, amissis rebus omnibus, corpora quoq; propria & uitam, iuxta æstimationem ab irato & insultante uictore taxatam, redimere coacti sunt: pars in tormentis & immanissimo cruciatu defecit, uitam simul cum pecunijs relinquens: pars semel redempta, ne rursus æstimaretur, abiit ultro relictis omnibus. Nam contigit haud ita raro, eundem seu ciuem seu incolam, aut Curialem, nunc ab Hispanis, nunc à Germanis capi, torqueri, æstimari ac ære mutuo redimi. Irrepsit in eum exercitum per quosdam Germanos lues Lutherana; qua sane milites infecti, omnia sacra despectui habebant, Sacros calices haud secus quàm prophanos atrectabāt ac diripiēbant: Venerabile Sacramentū abiicientes, pixides & Monstrantias argēteas rapiebant sibi: sacras uestes, in ludibrium religionis nostræ, prophanis induēbant Lixis & Calonibus: Venerādas Diuorū reliquias, uelut ossa canum reijciebant, abrepto argento: Sacras item uirgines, haud secus atq; meretrices ad stuprum rapiebāt. Quidam Lutheranus, eam historiam Teuthonice describens, affirmat, Germanū quendam militē, qui dicebatur uiridis sylua, uerso ad Castellum S. Angeli ore, proclamasse, in uoto sibi esse, ut ex corpore Papæ frustum deuoret, quod Luthero nunciare posset, eò quod Papa uerbum Dei hæcenus impediuerit. Addit, milites ex ueteri Capella Papæ, in qua eius Cantores quotidie Missam & horas Canonicas cantare solebant, fecisse stabulum equorum, quibus Bullas ac literas Papales substrauerint. Addit, milites Papæ ac Cardinalium uestes ac pileos, in eorum opprobrium induisse, fictumq; creasse Papam ex Landesknechto, qui dixerit in ficto suorum Cardinalium cœtu & consistorio, se donare Papatum Luthero, quisquis militum id approbet, dextram in alium tollat: milites itaq; leuasse manum, ac exclamasse, Lutherus Papa, Lutherus Papa. At hæc omnia ignorante Cæsare perpetrata fuerunt, nec ea unquam approbavit aut rata habuit, quæcunq; milites illi uel ac metu à Papa & Cardinalibus extorserunt. Quamuis uero ea præda omnium opulentissima fuerit, quanta sane Germano militi intra CC. aut CCC. annos, nunquam ex ulla oppugnatione & pugna obuenit: attamen perpauci militum Germanorum ex tantis opibus ditati sunt: bona pars omnia sua ludendo perdidit, magna pars peste aut caumate periit, pars ictu Bombardarum uitam cum præda reliquit. Maxi-

Præda &  
direptio  
crudeli-  
tasq; mili-  
tum.

Milites Lu-  
therani.

Pauci ex  
præda illa  
ditati sunt  
milites Ger-  
mani.

mum



num uero damnū, quod eruditi præcipue deplorāt, datū est à barbaris militibus in Bibliotheca Vaticani ad S. Petrū, ubi preciosissimus erat librorū thesaurus, quos magna ex parte furor barbaricus disperdidit, dissecuit, aut uilissime distraxit. Papa insuper in castello diu obsessus, grauissimis tandem conditionibus pacem à militibus illis redemit. Verum Cæsar nihil eorum ratum aut gratum habuit, sed Papam, quàm primum potuit, in pristinam libertatem restituit, dolentibus ac frementibus Lutheranis, quod isto Euangelij sui fructu diutius gaudere ac frui non possent. Erat tum Romæ Italus quidam, sacco indutus, qui ante captā urbem sæpe prædicauerat, graue imminere urbi exitium, nisi homines prauam uitam corrigerent, ac pœnitentiam agentes, iram Dei precibus auerterent. Cunctis id sæpe fecisset magnis clamoribus in publico, comprehensus, & in carcerem coniectus, ibique detentus fuit, donec Deus re ipsa comprobauit, quod ille prædixerat. Dimissus uero è carcere à militibus, eis quoque prædixit, breue fore eorum gaudium ex illa præda. Cum igitur euenirent ea, quæ prædixerat, creditus est prophetiæ habere spiritum, quem & uitæ austeritate probauit, Ioannis Baptistæ nomen habens, & uitæ institutum sequens.

Confusio  
sectarum  
in Germa-  
nia.

Verba Lu-  
theri cōtra  
Zuingliū  
& Oecolā-  
padium.

Interim uero Germania fœde cōfundebatur funestis sectarum dissensionibus. Ad quas sane opprimendas, non solum Catholici Principes & Doctores, uerum etiam Lutherani plerique adnuebantur. Nam & Saxonix Dux Elector, in Sacramentarios & in Anabaptistas, publice animaduertebat carcere, multa, supplicio. Et Lutherus ipse in Zuinglium & Oecolampadium, aliosque nouos Vuiclephistas, bene prolixū ædidiit librum Teuthonicum, cui hunc inscripsit titulum, Quod hæc uerba Christi: Hoc est corpus meum &c. adhuc firmiter stent, contra Suermericos spiritus. Multa igitur de Suermeris eo in libro queritur, suæ interim iactantiæ minime oblitus aut dissimulans. Sic enim ait. Nunc temporibus nostris, quum uideremus scripturā sub scamno iacere, ac Diabolum mero stramine ac feno humanorum præceptorum nos tenere captiuos atque illudere: Voluimus per gratiam Dei huic rei consulere; & profecto cum ingenti ac difficili labore reduximus in lucē scripturam, humanisque præceptis ualediximus, nosque liberos fecimus, & Diabolum effugimus, quamuis egregie restiterit atque adhuc resistat. Attamen artis suæ non obliuiscitur, & inter nos quoque aliquid seminis sui occulte immiscuit. At circa hoc non subsistet, sed incipit à minimis, nempe à Sacramentis. Quamuis ea in re scripturam in Decem ferme foramina atque effugia iam lacerauerit, ut ego turpiorem hæresim legerim nunquam, quæ in initio tot inter sese capita,

tot

tot sectas habuerit: Etiam si in principali causa, utpote, in persequendo Christum, unanimes existant. At ulterius procedet, pluresq; aggredietur articulos: Quemadmodum iam oculis scintillat, Baptismum, Originale peccatum atq; Christum nihil esse. Hic rursus *Querela Luth. contra astutias Diaboli.* erit in scriptura tumultus, ac tanta discordia, tot sectæ, ut cum Paulo bene possimus dicere, mysteriū iniquitatis iam operatur, quod multæ post eum sectæ essent futuræ. Et post pauca. Video hac in causa nihil aliud, quam iram Dei, qui Diabolo frena relaxat, ad excitandos huiusmodi adeo crassos rudesq; errores, ac tenebras palpabiles: ut puniat turpem nostram ingratitude, qui sanctum Euangelium tam uile atq; contemptum habuimus, ut iniquitati, sicut Paulus ait, credamus, eò quod charitatē ueritatis nō recepimus.

Necq; deest Suermeritati huic quicquā, nisi quod noua est. Nos enim Germani tales socij sumus, Quicquid nouum est, arripimus, eiq; adheremus uelut fatui. Si quis prohibet, is nos ad hoc furētiores reddit: Sin nemo prohibeat, nos ipsi statim exatiamur & fastidimus: inhiantes subinde ad aliud nouum quid, Diabolus uero id prærogatiuæ habet, ut nulla doctrina nullumq; somnium tam ineptum exoriri potest, quin ad illud reperiat discipulos, & quanto ineptius, tanto citius. At solum uerbum Dei manet in æternum: Errores circa ipsum semper oriuntur, & occidunt. Et infra post multa. Super hunc sermonem alios forsitan Suermeros acquiram, qui me capiant, & dicant. Si Christi corpus in omni loco est, ergo illud deuorabo, & potabo in omnibus tabernis, ex omnibus scutellis, uitrīs & cantharis. Et sic nulla erit differentia inter meā & Domini mensam, Huiusquam egregie eum deuorabimus. Tam turpes enim porci sumus nos infelices ac perditī Germani maiori ex parte, ut neq; disciplinam, neq; rationem habeamus: & quando de Deo quicquam audimus, reputamus perinde ac si essent histriionum fabulæ. Talia nunc & dicta & facta contra Sacramentum istud reperiuntur, in plebe quæ per Suermerorum doctrinam seducta est, ut potius mori quis debeat, quam uel unum ad eos scribere sermonē. Nā mox prouūt, quando audiunt, nihil esse, & uolunt in illud cacare, ac nates ex eo tergere. Sæcularis potestas deberet eiusmodi blasphematores punire: impudentia est & audax temeritas. Cum prorsus nihil de eo sciant, & tamen hunc in modum blasphemant. Et nouit Deus, me huiusmodi altas res inuite scribere, quando oportet talibus proijci canibus & porcis. At quid faciam? Suermeri de hoc rationem reddent, qui ad hæc me cogunt. Audisne iam porce aut Suermere, aut quisquis es irrationalis Asine, Etiam si Christi corpus ubiq; sit, illud tamen propterea

Secta  
Zuinglij.

Libri con-  
tra Zuing-  
lianos.

Iacobus  
Kautius.

Verba  
Kautij con-  
tra Palati-  
nū Electo-  
rem.

non statim deuorabis, nec potabis, nec palpabis. Neq̄ ego tecum de iſce rebus loquor, uade in tuū ſtabulum porce, aut in tuum ſterquiliniū &c. Tale igitur erat tum Lutheri de Germanis iudiciū, quādo plurimos à ſua ſecta ad nouos Suermeros tranſire uidebat. Quibus tamen paucos ante annos, dū ſibi adhererēt, ultro tradebat facultatem iudicandi de omni doctrina, ac de omnibus, etiam Papæ & Generalium Conciliorum Decretis. Contra eum uero librum eius mox ad Principes eius, Electorem Saxonix, & Haſſig Lantgrauium, alios ſcripſerunt Teuthonice libros, Vlricus Zuinglius, & Ioannes Oecolampadius, qui Carolſtadij opinionem de Venerabili Sacramento tuebantur. Qui & ſemper, quoad uixerunt, aduerſabantur ei, nec paucos habebant complices, præſertim Argentinæ, Baſileæ, Conſtantix, Vlmæ, Augſtæ, Turegi ac Bernæ. Quos tamen omnes euidentiffime confutauit & conuicit Reuerendus Pater Ioannes Fyſcherus, Epifcopus Roſſenſis in Angliā, libris Quinq̄: & Iodocus Clichtoueus, Theologus eximius in Gallia, libris duobus, quibus nemo eorum hætenus reſpondit. Tranſtulit quidem Fyſcheri Quinq̄ prologos in Teuthonicum Ioannes Cochleus: Verum tanta eſt dementatē plebis peruerſitas & pertinax adhæſio, ut nihil in contrariū uel audire uel legere dignentur, ne de opinione ſemel concepta, uacillare aut dubitare quicq̄ uideantur. Nouus præterea inſurrexit pseudopropheta Vuormaciæ, Iacobus Kautius, cui nomen eſt Germanicum à Bubone, de quo ait Ouidius.

*Ignauus Bubo dirum mortalibus omen.*

Hic quum eſſet Germanice facundus Concionator, traxit populum ſequacem aurium pruritu in quemlibet errorem, quocunq̄ uolebat. Vnde factum eſt, ut breui ſic inualuerit ibi non ſolum contra Lutheranos, uerum etiam contra Senatū: ut ne uicinum quidem Principem, licet potentiffimum, Ducem Ludouicum, Comitē Palatinum Rheni, Imperijq̄ Electorem, illius urbis protectorem, reuereretur. His enim uerbis in publica Concione contra eum inuehebatur. Non expelles me, inquit, nec permittam me à te expelli. Ratio, quia me nō recepifti: Immo ſi uelis expellere me, quem non recepifti, non permiſſurus ſum ego, etiam ſi Mille Capita propter hoc perire debeant. At dicis, Me nihil aliud, niſi quod ad ſeditionem poteſtatumq̄ oppreſſionē tendat, prædicaffe ac docuiſſe: Ob id nimirum, quod dico tibi, Regimen ac poteſtatem tuam eſſe contra Verbum Dei, & non ex Deo, ſed ex uiuo Diabolo eſſe. Non igitur expelles me hinc, niſi prius hæc regio tota, ac regna inſuper aliquot, propterea deuaſtentur. Dico tibi, quia huc à Domi-

no destinatus sum ad te docendum. Hæc Kautius, qui & ante biennium rusticis tumultuantibus, & conscius & consiliarius fuisse dicitur. Quum uero reclamarent fortiter ex publico suggestu ad suos Lutherani duo, Kautius septem articulos publice affixit, quos coram plebe contra illos disputaturum se pollicebatur: Quibus & illi totidem articulos publice opponerent, ut parum abesse uideretur ea contentio à seditione. Palatinus uero Elector, tantum effecit, ut paulo post utriusque aduersarij ex urbe illa pellerentur. Inter Kautianos igitur articulos duo erant præcipui, Tertius & Quartus: quia impietate præ cæteris insignes. Tertius enim ita habebat, Baptismus paruulorum à Deo prorsus non est, sed directe contra Deum, & cõtra Dei doctrinam, quæ nobis per Christum Iesum filium eius prolata est. Quartus uero sic. In Sacramento seu cœna Domini, neque est substantiale corpus aut sanguis Christi, neque usus illius hic unquam rite est celebratus. Hos ergo articulos ubi Moguntia uidisset Cochlaeus, mox ædidit libellum Teuthonicum ad Senatuum Vuormaciensem, uelut uicinus officiosus, reprobans utriusque partis articulos breuiter, & pro Baptismo paruulorum, elegantem Cypriani Epistolam ad Fidum Episcopum scriptam Germanice recitans: ut intelligerent, paruulorum Baptismum semper in Ecclesia Christi fuisse. Ad articulos uero breuiter in hunc modum respondit. In tertio (inquit) articulo Kautius omnino Paganus est: nusquam enim prohibitum est baptizari paruulos, & semper in Ecclesia fuit paruulorum Baptismus. Id quod insignis martyr Diuus Cyprianus libro 3. Epistola 8. ad Fidum, multis demonstrat tum scripturis tum rationibus. Sed & palam aduersatur et ipsi Christo & sacratissime eius doctrine, uetare, ne paruuli baptizentur. Christus enim iubet baptizare omnes gētes, neminē excipiens, neque senem neque iuuenem. Et dicit. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, Ioh. 3. Quinimmo speciatim expressit paruulos, dicens Matth. 19. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere uenire ad me: talium est enim regnum cœlorum. At Kautius facit hic, sicut alibi fecit occulte Lutherus, qui primo peccatum posuit in paruulis post Baptisma, ac deinde fatebatur, nisi pueri habeant fidem propriam, eos baptizari non debere. Nos autem baptizamus paruulos in fide sanctæ matris Ecclesie, atque ita tollitur ab eis omne peccatum per Baptismum. In Quarto uero articulo, Kautius incredulus est Iudæus. Æquum proinde foret, ut ei contingeret sicut sæpe contigit Iudæis, tum in Germania, tum alibi: Qui Venerabile Sacramentum acubus compunxerunt, ad explorandum, an sanguis ibi cõtineretur. Et ante CCCC.

Duo barbarici articuli Kautij.

Error Lutheri de paruulorum Baptismo.

annos, reuocauit hunc articulum Beringarius hæreticus, contra quem multi tunc præclari scripti sunt libri. Sed & his nostris temporibus Rex Angliæ, Episcopus item Roffensis, alijq; nonnulli, Lutherum, qui sacram conuersionem seu Transubstantiationem in hoc abnegat Sacramento: grauius ac potenter ex scripturis redarguerunt. Sequeretur enim ex ea abnegatione, quod corpus & sanguis Christi non essent ibi substantialiter, sicuti non assunt ante uerba cōsecrationis prolata. Vtraq; igitur pars iam pridem digna esset, ut in honorem Venerabilis Sacramenti, proscriberetur in extremos fines terræ. Hæc tibi Cochleus. In epistola uero ad Senatum

Verba Cochleii ad Vuormacienses.

ista quoq; adiunxit. Christus pro suis rogauit patrem suum cœlestem in monte Oliueti, ut sint unū, sicut & ipse cum patre unum est, Ioan. xvij. Quum igitur tot sectæ ex Lutheri doctrina orientur, facile sane intelligitis, eam ex Deo non esse, sicut est doctrina & institutio sanctorum patrum Ecclesiæ Catholicæ: sed ex patre potius mendaciorum discordiarumq; , uti cunctæ aliæ fuerunt ex eo hæreses & schismata. Quum ergo huiusmodi doctrina, quam Lutherani proponunt, non solum ante Centum annos, per Vniuersale Concilium Constantiense, atq; in plæriscq; alijs antea Concilijs: Verum etiã nostris temporibus à tribus summis Pontificibus, ab omnibus totius Christianitatis Vniuersitatibus: immò & à Cæsarea Maiestate, atq; a deo à toto Romano Imperio, apud uos in urbe uestra, ante sex annos damnata sit, & nunc post tantas calamitates, ac post tantum fusi sanguinis, per proprias discordias articulosq; contrarios damnet seipsam: Non poterit profecto ullum uobis dari consilium melius, quod uobis, & in anima & in corpore, uel utilius uel honestius existat, quàm ut semel omnem eorum discordiam à uobis ablegatis, atq; errorem unū simul cum altero ex urbe uestra pellatis, & sic rursus in antiquam tranquillitatem Catholicamq; unitatē redeatis. At si permiseritis eis, unū super alium librum contra se inuicem scribere, ac quotidie in concionibus se inuicem lacerare, nunquam profecto peruenietis ad pacem. Eiusmodi enim scriptio contentioq; finem nullum habet, Ecclesiastes xij. Neq; uestrum est, in eiusmodi causis, quæ ad totam spectant Christianitatem, absq; consilio conscientiaq; superiorum uestrorū, tum Ecclesiasticorū tum sæcularium, ullam ferre sententiam, finalemq; cognitionem uobis arrogare. Cunctos articulos illos uertisset in Latinum, his in præfatione ad Robertū Ridlæum, insignem Angliæ Theologum, usus est uerbis. Ne omnino inciuilis atq; ingratus tibi uidear, mitto ad te aliquot articulos nouorum Vuormaciæ Euangelistarū, quos his diebus Teuthonice magno super-

Verba Cochleii ad Robertum Ridlæum Anglum.

cilio

cilio & publice affixerunt ualuis, & stentoreis concionibus ebuccinauerunt ex suggesto. Mitto igitur eos ad te in Latinum uersos: Non sane ut munusculum (Quis enim rem tam absurdam, adeoq̄ barbarice impiam, uice muneris dignam existimet?) sed uelut nouum quid, quale antea forsitan, neq̄ uidisti neq̄ audiisti. Videbis enim, in his aperte prohiberi Baptismum paruulorum, quē antea nemo Lutheranorū (quod sciam) prohibuit. Varijs quidem impietatibus Baptismo iniurius exitit Lutherus, nusquam tamen iussit rebaptizare, nusquam prohibuit (aperte saltem) paruulis Baptismum impendi: licet ego ex alijs causis de Baptismo paruulorū satis longum, ut puto, in eum scripserim librum. Ut igitur & reliqui eius impietatū socij, aliquid agere uideantur, cōminiscuntur die noctuq̄ aliquid noui, unde & ipsi nomen acquirant. Sciunt enim Lutherū non nisi ex impietatibus nomen grande sibi parasse: Quum antea tam obscuri fuerit nominis, ut ne uicinis quidē Dresdæ aut Lipsiæ notus extiterit. Quinimmo neq̄ parentibus eius notum fuit antea nomen istud Lutherus. Non enim Lutherus, sed Luder à parentibus dicebatur, & ipse sub initium huius Tragœdiæ, nominabatur à seipso, nunc Ludder, nunc Luter: Sed augustius tandem uisum est nomen LUTHERVS, ut pro amplianda & propheta & Euangelistæ Germanici Maiestate, sacrum istud nomen ubiq̄ grandioribus describeretur literis. Simili nimirum auspicio, pariterq̄ omine prorumpit nunc Kautius: Cui nomen Teuthonicum ab aue, reliquis auibus maxime inuisa, inditum existit. Ego Deum precor, ut omen auertat. Mihi certe longe abominabilius uidetur nomen Kautij, quàm Lutheri. Quandoquidem hic in septem duntaxat articulis plus impietatis proferat, quàm protulerit olim Lutherus in Conclusionibus XCV. à principio. Quid igitur futurum putemus, si tot euomat libros Kautius, post hos septem articulos, quot post illas Conclusiones euomit Lutherus? Quanto forent nobis tolerabiliores Poëticae illæ Harpyiæ, quæ obsceno uolatu fœdabant mensam Æneg, quàm sit Kautius iste, qui non communem mensam, dapesq̄ humanas, sed mensam Domini, cibūq̄ uere cœlestem ac diuinū, garritu nimis diro atq̄ abominabili conspurcat &c. Circumferebantur & alij noui quorundam articuli, Octo ex Saxonia, ac totidem ex Morauia: Hos Anabaptistæ in Nickelspurgo: Illos quidam Apostata Præmonstratensis Magdaburgi se disputaturum pollicebatur. Vtriq̄ uero tanta in Christum ipsum impietate insaniebāt, ut uel Imperator Iulianus, qui ex Christianismo ad Paganismum Apostatice transiuerat, tam fœdis & absurdis erroribus uix fuerit obnoxius. Sic enim ait Præmonstratensis

Kautius nomen abominabile.

Octo Articuli impij cōtra Christum.

tenſis ille, Infernus non eſt: Chriſtus non deſcendit ad Inferna: Sancti Patriarchæ & prophetæ, non fuerunt in Inferno: Chriſtus cum hanc uocē dixiſſet, Heli Heli Lamazabathani, damnatus fuit: quia desperauit &c. Morauī autem illi dicebant, Chriſtum non fuiſſe uerum Deum, ſed prophetam. Nec prædicandum eſſe eius Euangelium publice in Eccleſijs, ſed ſolum priuatim in domibus & in aures. Inter Chriſtianos nullam Potēſtatem aut Magiſtratum eſſe: Chriſtianiſ omnia eſſe inter ſe cōmunia, Diem extremi Iudicij poſt biennium futurum eſſe &c. Fuerunt & alij homines, numero CCC. qui prope Apocellam in Heluetijs, in æditum aſcendebant montem, uelut aſſumendi illinc in cœlum cum corpore ſimul & anima. Quibus Cacodæmones ita omnem eripuerant intellectum, ut abiectio omni pudore humano, in brutorum modum congregarentur, ac neceſſarium eſſe crederent, ut commiſcerentur: ita, ut ne uirgines quidem à tali congressu ſibi abſtinendum putarent. Qualia & in ora Saxonix circa Bremam, ex Lutheri doctrina & prædicata & practicata fuiſſe dicuntur. Scripſerat enim Lutherus, uirum muliere, & mulierem uiro, minus carere poſſe, quàm cibo, potu & ſomno: niſi adeſſet alta, rara & miraculoſa quædam gratia. Et in Sueuia captus quidā ſacerdos dixerat, finē iam Chriſtianiæ fidei adeſſe, aliamq; legem tradendam eſſe. Nam ſicut lex Moyſi M. D. annis durauerit: ita & lex Chriſti totidem annis iam durauit: ideo tempus iam eſſe, ut alia tradatur hominibus lex, aliaq; fides. Cum hæc & id genus alia impia & abſurda, paſſim audirentur ac fierent: Plurimiq; Principes rerum indignitate commoti, eiufmodi homines non ſolum in uincula coniecerūt, uerum etiam extremo alicubi affecerunt ſupplicio. Nam Rotenburgi ad Neccarum fluuium ex Anabaptiſtis comprehenſi cōplures, tum uiri tum mulieres, quicunq; reuocare & errores ſuos abiurare noluerunt, ultimo affecti ſunt ſupplicio. Exuſti quidem igne uiri Nouem: Aquis uero ſubmerſæ mulieres Decem. Cæterum doctor & dux eorum Michaël Sellarius, Monachus Apoſtata, qui longe grauius peccauerat: eam in iudicio publico ſententiam accepit, ut à carnifice primum excidatur ei lingua blaſphema. Deinde ſuper currum alligato, candentibus forcipibus, ex carne eius bis dilacerentur fruſta in foro: deinde adhuc Quinquies in uia ſic lanietur, ac tandem in cineres exuratur. Quod & factum eſt die 17. Maij. Grauiſter enim populum ſeduxerat, docens, nō eſſe in Sacramento corpus & ſanguinem Chriſti: Non eſſe baptizandos pueros: Non eſſe præſtandum iuramentum ſuperioribus: Non eſſe reſiſtendum Turcis: Non eſſe inuocandos ſanctos &c. Sic & in arce Palatini Electoris, quæ

Mira quorundam infania.

Luth. in lib. de uita coniugali.

Supplicio affecti Anabaptiſte.

Michael Sellarius.

quæ Alcea dicitur, multi ex ea secta homines diu fuere detenti, multisq; iudicijs producti, donec tandem aut reuocarent errores, aut subirent secundum leges supplicia. Sic & in Bauaria Salisburgi & Monaci: Sic in Austria Viennæ: Sic in Turingia Yfennaci: Sic & Augustæ & Vuormaciæ, alijsq; in ciuitatibus nonnullis Imperij, pleriq; in carceribus detenti, aut supplicijs, aut reuocationibus, ac publicis pœnitentijs emendati sunt. Cochlaeus ubi Morauorum uidit articulos, ut Principibus ad oculum ostenderet, nihil tam impium aut absurdum excogitari posse, cui non queat aliquis ex magna scripturarum sylua fucus & probationis color prætexi, si sic liceat unicuiq; scripturas nouo modo ad libitum interpretari: Scripsit pro & contra, ex meris scripturis, An Christus sit uere Deus, non solum argumenta, uerum etiam solutiones in utranq; partem. Et hæc quoq; uerba inter alia multa adiecit. Quod si ego (inquit) reluctante fide mea, tremente conscientia, pilisq; simul cum mente inhorrescentibus, contra Deum & saluatorem meum, tot scripturæ sacræ loca, intra paucas unius diei horas, colligere, ac in reprobum impiumq; sensum detorquere potui: Quid obsecro posse putetis istos Suermeros, qui per hæresim iusto Dei iudicio in reprobum sensum traditi, scripturi sunt, ut sentiunt, ut credunt, ut erronea fides cōscientiaq; eis dicat. Idq; facient serio, ac minime inuiti, sed omni conatu totisq; uiribus, non solum uno aut altero die, sed omni tempore, quoad uicturi sunt, nitentur hunc suum articulum quoquo fuso persuadere atq; defendere. Adiungent etiam colores Rhetoricos, afferent tropos, simulabunt item ac dissimulabunt plurima. Inferent deniq; uim scripturis, ut uel inuitæ trahantur ac subseruiant eorum intentioni: Id quod maxime solent omnes, quos nouerim, Lutherani, præsertim uero ipse Lutherus. Sic enim allegabat contra gratiam Sacramentorum, in primo articulo suæ assertionis, Scriptura dicit (inquit) Rom. 1. Abacuc 2. Heb. 10. Iustus ex fide sua uiuet: Non dicit, iustus ex Sacramentis uiuet. Mar. ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit. Et Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam. Rom. 4. ex Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Ecce quot sunt hic scripturæ loca, per fucum & fumum attracta, quæ quidem de fide loquuntur, sed articulus loquitur de Sacramentis. Quasi uero contraria sint fides & Sacramenta, perinde atq; album & nigrum, quum nihil sint minus. Et in 500. articulis eius, ita habet septimus. Quia sicut minime Christus non est Christus, ita non potest Monachus aut sacerdos Christianus esse: quia dominus dicit. Nō ueni mittere pacē, sed gladiū. Quod si ego tam extranea, tamq; falso ac uiolento sensu uelim citare scripturas,

Dispersio  
Anabapti-  
starum.

Libellus  
Cochlei de  
Christo,

Lutherus  
uim scriptu-  
ris sæpe in-  
fert.



ad persuadendū, quod Christus non sit Deus: non puto equidem difficile mihi fore, uel uno die plus q̄ DC. loca scripturarū afferre, quæ meliorē possent habere fucū probationis, q̄ habeant iam dicta loca Lutheri. Sed siue ego (quod absit) siue Suermerorū quispiam alleget ex scripturis uel Decies Centena Milia locorū, cōtra Deitātē Christi: nihilominus manet, re uera manebitq̄ in æternū Christus uere Deus. Ad quod sane credendum satis nobis est, contra omnes hæreticorum fucos & argutias, uel unicum illud, quamlibet breue, dictum Euangelistæ. Et Deus erat uerbum. Et rursus.

Lutherus  
radix amaritudinis  
sectarum  
multarum.

Deut. 29.

Heb. 12.

Esa. 14.

Quid prodest, occidere Suermeros rusticosq̄ Lutheranos, superstitite librosq̄ disseminante Luthero: Ipse est enim radix, germinans (ut Moyses ait) fel & amaritudinem. Ipse est radix amaritudinis, uti Apostolus uocat, sursum germinans, per quam inquinantur multi. Ipse est radix colubri, de qua egrediuntur reguli, quorum nunc sibilos blasphemos nimium exhorrescimus. Frustra igitur, O Principes, ramos surculosq̄ malæ huius arboris exciditis, si radicem ipsam, nouo semper fœtu amaritudinis sursum germinare sinatis. Excisa autem radice, rami surculiq̄ mox ultero marcescerent. Id enim & ipse fatetur ac iacuitat. Papistæ putant (inquit) quod & ego propemodum credo, si non esset Lutherus, Suermeros quàm citissime tenues fore, atq̄ in abditum abrepturos. Quamuis igitur uerbis nunc uehementer contra suos contendat Suermeros: re tamen ipsa nihil minus, immò longe plus nocet ipse, quàm Suermeri. Ex eius enim doctrina pullulant illorum articuli. Etenim in Kautianis articulis nos maxime (ut æquum ac pium est) detestamur ac execramur eos, qui baptizari paruulos uetant, & in Eucharistia corpus & sanguinem Christi negant. His autem impietatibus ansam dedit iam olim Lutherus, quando in paruulis baptizatis peccatum post Baptismum: In Eucharistia panem & uinum, post consecrationem remanere docebat. Hæc est illa radix amaritudinis, quam in Kautio nunc sero damnamus, quam ante sex annos damnauit Sedes Apostolica, uosq̄ cum ea in Luthero. In articulis autem, qui nuper in Morauia euulgati sunt, nihil quidem non maxime detestandum ac execrandum reperio: attamen & illi magna ex parte germen habent à Lutherica radice. Et iterum. O præclarū igitur Lutheranorū Euangelium, Quod secundū Lutherum nō est liber legis & doctrinæ Christi, nec requirit bona opera nostra, immò damnat ea. Secundum Ottonē uero Brunfelsium, non habet præcepta aut præceptiones Christi, sed manuductiones tantum, neq̄ in scripturas censerī debet, quum sit mera relatio Cabalistica, & surda sine spiritu narratio. Secundum Kautium autem, prohibet

Quale Euāgelium nouum.

Luth. contra  
Epistolam Regis Angliæ.

prohibet baptizare infantes, & adultos rebaptizat, omnemque potestatem ac regimen Principum ex uiuo Diabolo, non ex Deo esse docet. Secundū alios denique Suermeros, aut omnino nihil est, aut in aures tantum atque in priuatis domibus prædicari debet.

En uobis Principes, Quatuor Euangelia Lutheranorum, sic quidem diuersa atque pugnantia, ut neque inter sese, neque cum nostris conuenire aut uelint aut possint: Quæ nunc simplici plebi, pro Quatuor Euangelis nostris, non minus malitioso, quam seditioso perniciosoque studio, ab Apostatis ingeruntur, ut omnis fides, paxque & disciplina Ecclesiastica dissoluatur, funditusque intereat tandem: longe maiore nimirum cum clade ac pernicie, quam ante biennium passi sumus. Et infra.

Quod si hæc, uelut uetera, minus mouent animos uestros, moueant saltem ea, quæ nunc quotidie fiunt. Quot enim libros epistolasque & sermones, de Venerabili Sacramento Eucharistiæ, contra Ecclesiæ fidem antiquam scripsit his annis Lutherus? Quot contra eum uiri Ecclesiastici? Quot hodie & contra eum, & contra Ecclesiam, Zuinglius & Oecolampadius? Quot alij? Ait enim Lutherus, eam hæresim plus quam in Decem sectas iam diuisam esse. Quot item contra Oecolampadium Zuingliumque uiri Catholici? Quot Lutherus complicesque eius? Quid proficitur tot libris? Quis contentionum finis? An non multo incertior infirmiorque est circa illud Sacramentum nunc fides, reuerentia, deuotioque populi hodie, quam ante X. annos fuit? Longe igitur, ut tutius & securius: ita & melius atque salubrius fuisset, in antiqua Ecclesiæ fide simpliciter permansisse, quam sic nouam disputationem contra Ecclesiæ fidem Luthero permisisse. Ex qua nunc tot errores dubiaque male succreuisse uidemus. At de Sacramento Eucharistiæ

longe minus habetur in scripturis, quam de Christo. Christus enim scopus est & argumentum, totius & ueteris & noui Testamenti scripturæ. Sic enim dicebat ipse Apostolis. Quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moyse, & Prophetis, & Psalmis de me. Tanto igitur plures in diuersos sensus de Christo poterunt scribi, tum ab hereticis tum à Catholicis libri, quanto plus de Christo, quam de Eucharistiæ Sacramento habetur in scripturis. Quid autem uel turpius uel irreligiosius nobis esse queat, quam eum ipsum iam demum in dubium disputationemque uocare, à quo tota salus nostra dependet? Non est (inquit S. Petrus) in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo, datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid de decorosius nobis ad Turcas & Iudæos contingere queat, quam si nunc tandem in nouissimis diebus, de Christo nostro, quæ non ut prophetam, sed ut uerum

Quatuor  
noua Euā-  
gelia secta-  
rum.

Multitudo  
contentioso-  
rum libro-  
rum, pro et  
contra.

Non debent  
admitti tam  
scandalosæ  
disputatio-  
nes de re-  
bus fidei  
nostræ.

LUC. 24.

ACT. 4.

Deum

Deum & saluatorem nostrum unicum colimus, disputando dubitemus, ac dubitando disputemus: à quo Mille iam Quingentisq; annis in uniuerso mundo dicti sunt Christiani. Vbi quæso Turcis de Mahumeto suo sic disputare licet: ubi de Moyse Iudæis: Et tamen non habent pro Deo Moysen, nec ab eo nomen habent Iudæi. Cunctq; gladij potestatem nusquam habeant, sed ubiq; seruiliter subiecti, tributa pendant, atq; alterius religionis potestatibus subiaceant: ea tamen & reuerentia & diligentia, legem seniorumq; traditiones obseruant, ut inquietis malisq; & superbis eorum legisperitis, nusquam liceat, ne latum quidem digitum, uel à Moyse, uel à seniorum traditionibus discedere &c.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXVIII.*

Liber Lut.  
cōtra Ana-  
baptistas.



Quanta  
bona habet  
mus à Pa-  
patu.

**L**utherus autem, ut uidit tam graues inualescere sectas, propter quas male audiebat, tanquam prima radix & scaturigo fuerit ipse omnibus sectis hæc adeo barbaris: ipse quoq; in Anabaptistas scripsit Teuthonice. In quo sane libro primum queritur, Principem Anabaptistarum, Doctorem Balthasarum Pacimontanum, iniuste fecisse mentionem Lutheri in libello suo, quasi & ipse consentiat in stultam eius opinionem. Deinde queritur contra Diabolum, quod Decem ora aperiat, ubi unum claudat Lutherus. Tertio, Catholicis, quos Papistas uocat, imputat istud malum, quod non admittunt Euangelium, quia sub sui Principis ditione nulli sint rebaptizatores: Sed mentitur improbus Calūniator, quia Ysennaci sub illo Principe multi fuerunt deprehensi & mulctati. Quarto, repræhendit Principes, qui morte sæuiunt in rebaptizatores. Ait ergo, unicuiq; liberum esse debere, credere ut uelit. Nam si male credat quis, satis pœnarum ei fore in Inferno æternaliter: Ideo non debeat temporaliter quoq; puniri. Sed nescit aut dissimulat Lutherus, publicis quoq; legibus in rebaptizatores antiquitus animaduersum esse. Quinto, commemorat bona, quæ à Papatu habemus, ne omnia reiiciantur propter odium Papæ. Nos fatemur (inquit) sub Papatu multa esse bona Christiana, immo omnia bona Christiana, atq; etiã inde ad nos defluxisse: Nempe cōfitemur, in Papatu uerã esse scripturã sacram, uerum Baptismũ, uerũ Sacramentũ altaris, ueras clauas ad remittenda peccata, uerũ prædicandũ officiũ, uerũ Catechismũ, ueluti Orationẽ dominicam, ac X. præcepta & articulos fidei. Quemadmodũ & ipse econtrario

e contrario fatetur, apud nos (quamuis nos tanquam hæreticos  
 damnat) & apud omnes hæreticos esse sacram scripturam, Baptis-  
 mum, clauas, Catechismum &c. Sexto deinceps contra Reba- Contra  
 ptizatores agit toto usq; ad finem libello, probans, non tam fidei Anabapti-  
 baptizantis aut baptizati aut patrinorū fidendum esse, quā pro- stas.  
 missionibus Christi & susceptioni Baptismi: Fidem enim esse in-  
 certam, Sacramentū autem certum. Cuncq; rebaptizatores dicant,  
 nusquam haberi in scripturis, quod paruuli habeant fidem pro-  
 priam, aut quod baptizari debeant: ipse in hunc modum respon-  
 det. Quod paruuli credant, nullo scripturæ loco demonstrare pos-  
 sumus, qui clare his aut similibus uerbis dicat. Paruulos baptizate,  
 nam & ipsi credūt. Si quis nos urgeat ad demonstrandā eiusmodi  
 literam, huic nos cedere oportet, & uictoriam dare, nusquam scri-  
 ptam inuenimus. Boni autem & ratione præditi Christiani, tale a  
 nobis nō exigunt: Contentiosi & Ceruicosi sectarum duces, id fa-  
 ciunt. At contra, neq; ipsi ullam afferent literam, quæ dicat. Adul-  
 tos baptizate, & nullos paruulos. Hæc ibi Lutherus. Verunta- Verba Lu-  
 men longe aliam scripserat sententiā ea de re ante aliquot annos. theri pro  
 Nam dum scriberet ad Vualdenses seu Pighardos Bohemiæ, inter Anabapti-  
 ea, quæ in eis reprehendebat: hunc quoq; articulum cōmemorabat, stis,  
 quod paruulos baptizant ad futuram fidem, quam adulti conse-  
 quuturi sint. Ait igitur præstare, prorsus omittere Baptismum in  
 paruulis, quā baptizare sine fide. Quia Sacramenta neq; debeant,  
 neq; possint sine fide accipi. Si uero sine fide accipias Sacramētum,  
 magno tuo malo accipias. Huic uestræ (inquit) doctrinæ opponi-  
 mus nos uerbum Christi. Qui crediderit & baptizatus fuerit, sal-  
 uus erit &c. Sic & in Cochlæum scribens ait. Non negamus,  
 paruulos esse baptizandos, nec asserimus eos Baptismum accipere  
 sine fide: sed dicimus, ad Baptismum eos credere per uim uerbi, quo  
 exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerētis, & eis fidem ora-  
 tionibus suis impetrātis: Alioqui mera & intolerabilia essent men-  
 dacia, quando baptizans a paruulo quærit, an credat? non bapti-  
 zaturus, nisi uice eius respondeatur, Credo. Ut quid interrogat an  
 credat, si certum est, eos non credere, ut Cochlæus contendit: Esto,  
 Augustinus sic aliquando dicat, sed Cochlæo satis sit, esse sic ab ho-  
 mine dictum: Nos uolumus hoc dictum diuinis testimonijs pro-  
 batum. Quin asserimus, Paruulos prorsus non esse baptizandos, si  
 uerum est, eos in Baptismo non credere, ne illudatur Maiestatis  
 Sacramentum & uerbum. Hæc in Cochlæum. In isto autem li-  
 bro contra Rebaptizatores sic ait. Ego & gratias ago Deo &  
 gaudeo, me paruulum esse baptizatum. Ibi enim feci, quod Deus  
 præcepit.

Lut. cōtra-  
rius sibi ipsi  
de fide par-  
uulorum.

Visitato  
Saxonica.

Verba  
Phil. Melā.  
de uisitatio-  
ne.

præcepit. Siue ergo crediderim, siue non, sum tamen baptizatus su-  
per mandatum Dei. Baptismus uerus & certus est, siue fides mea  
adhuc hodie certa sit, siue incerta, possum curare, ut adhuc credam  
ac certus fiam. In Baptismo nihil deficit: In fide semper est defe-  
ctus. Satis enim laboris habemus, ad discendam fidem toto tēpore  
uitæ. Hæc Lutherus contra seipsum. Quemadmodum in Septicipi-  
te postea ad longum uarijs argumentis, ex ipsius uerbis ostendit  
Cochlæus. At Dux Saxonix, Princeps Elector, quum audiret,  
in terris quoq; suis fieri plurima nimis barbarice cōtra religionem:  
destinauit Quatuor Visitatores. Quorum duo erāt Nobiles, Do-  
minus Ioannes à Plaunitz, & Erasmus ab Haubitiz: & duo ex eru-  
ditis, Doctor legum Hieronymus Schurff, & Magister artiū Phi-  
lippus Melanchton. Qui circumeuntes de oppido in oppidū, Pa-  
stores & Concionatores ubiq; examinabant, eisq; nouam & pa-  
scendi & docendi normam tradebant, mediā ferme inter Ca-  
tholicam & Lutheranam: de utraq; enim aliquid mutuabantur. In  
eam igitur cogebant Catholicos, aut reluctātes expellebant, & ni-  
mis ferociētes Lutheranos ad suæ normæ temperiem castigabant  
ac moderabantur. Splendide illis sumptum suppeditare cogeban-  
tur Communitates, ad quas diuertebant. Et ij quidem aliquanto  
moderatus agebant. Verum post eos constituti alij, a deo impe-  
riose ac sumptuose gesserunt se, ut eiusmodi Visitatio cunctis retro  
Synodis Episcoporum, & Archidiaconorum Communitatibus,  
grauior intolerabiliorq; uideretur. Eā Visitationem primū Latine  
Philippus Melanchton, post Teuthonice Lutherus descripsit. Hic  
uerbosus ac imperiosus: Ille succinctius ac moderatus. Philip-  
pus igitur præscripsit XX. articulos, erga Curatos per Visitatores  
examinandos, hoc sane usus exordio. Pastores (inquit) debent  
exemplum Christi sequi: Qui quoniam pœnitentiam & remissio-  
nem peccatorum docuit, debent & ista Pastores tradere Ecclesijs.  
Nunc uulgare est, uociferari de fide, & tamen intelligi quid sit fides  
non potest, nisi prædicata pœnitentia. Plane uinum nouū in utres  
ueteres infundunt, qui fidem sine pœnitentia, sine doctrina timoris  
Dei, sine doctrina legis prædicant, & ad carnalem quandam secu-  
ritatem assuefaciunt uulgos: Ea securitas est deterior, quàm omnes  
errores antea sub Papa fuerūt. Et infra. Si largientur (inquit) ele-  
mosynas, Deus augebit nostrā rem familiarem, dabit publice an-  
nonam uberiolem, pacem & similia bona: Non quia facimus nos,  
sed quia talia ipse promisit facientibus. In primis largi erga sa-  
cerdotes esse debēt. Quia scriptum est: Duplici honore digni sunt.  
Item. Volo etiam (inquit) non nihil de libero arbitrio ascribere,  
quomodo

quomodo doceri debeat: De quo plerique ualde incommode lo- De libero  
quuntur. Et quia clamitant, omnino nos nihil facere posse, aliud arbitrio.  
nihil docent, quàm diffidentiam, quæ multa peccata parit in uul-  
go. Voluntas humana est uis libera, ut facere possit iustitiam car-  
nis, seu iustitiã ciuilem, ubi lege & ui cogitur: Vt, non furari, non  
occidere, non mœchari. Paulus enim cum iustitiam carnis uocat,  
docet esse quandam iustitiæ partem, quam caro coacta, suis uiri-  
bus faciat. Ro. 2. Gentes natura faciunt quæ legis sunt. Quid aut  
faciunt, nisi ciuilem iustitiam? Exigit autem Deus iustitiam hanc  
1. Timoth. 1. Lex est iniustis posita: Vult Deus coherceri rudes &  
imperitos doctrinæ legis. Propterea doceant, In nostra manu, si  
cogatur ui, esse, carnem frenare, & ciuilem iustitiam præstare: &  
hortentur diligenter ad recte uiuendum. Quia Deus hanc quoque  
iustitiam exigit, & guauiter puniet illos, qui a deo negligenter ui-  
uunt, & somniant, hanc iustitiam non esse in nostra manu, si ex-  
torqueatur. Et sicut alijs donis Dei bene uti debemus: ita etiam uiri-  
bus, quas Deus naturæ tribuit, bene uti debemus. Hæc Philippus  
ille ibi, & id genus multa subdola moderatione præscribebat, quæ  
minus absurdam redderent Lutheri doctrinam, quàm fecerant  
priora, tum sua, tum illius scripta. Quibus & Lutherus ipse in Teu-  
thonica uisitandi formula consentiebat. Hinc data est Catholi-  
cis ansa, colligendi plurimas è scriptis Lutheri contradictiones &  
Antilogias, quibus docuerunt, Lutherum iuxta Pauli Apostoli  
sententiam, proprio iudicio condemnatum, & uelut seruum ne-  
quam in Euangelio ex ore suo iudicatū. Hinc monstruosus ille Ger-  
manię partus, Lutherus Septiceps, quem & Latine & Teuthonice  
ædidit Cochlaus: Vbi fœdo aspectu ex una cuculla septem diuersa,  
& habitu & figura, prominent capita, quæ fœdissima super diuer-  
sis rebus uerborū contentione inter sese rixantur. Accidit eodem  
anno mira & horrēda Tragœdia Basileę, quam scripsit priuatim  
ERASMVS Roterodamus, uir Doctiss. ad Io. Cochlaum, In  
hæc sane uerba. Superioribus hisce diebus, Quarto die Augusti,  
is erat Dominicus, accidit Basileæ quiddam uere Tragicum, ac  
propemodum cum Thyestea cœna conferendum. Ciuis quidam  
honestus ac diues, Christophorus Bomgartnerus, uxorem suam  
Elisabetham, prædiuitis negociatoris filiam, nomine Henrici Da-  
uidis, suspectam habebat, quod furtiuam consuetudinem haberet  
cum famulo, nomine Angelo: Zelotypia tantum erat, nullis certis  
argumentis nixa. Ea per occasionem incruduit. Quum famulus  
abesset, à domino iussus colligere à certis debitoribus pecuniã:  
uir ingressus est illius cubiculum, uenans, opinor, argumentum,  
Q      que

quo quod suspicabatur conuinceret. Reperit in famuli indusio ligulas aliquot sericas. Mox accersitam uxorem percontatur, agnosceret ne eas ligulas? Vnde, inquit, has nactus est: nam meæ sunt. Confessa est à se donatas. Tum maritus, ut uerum extorqueret metu, pugionis mucronē intentauit in uentrem uxoris, promittens nihil futurum mali, si uerum profiteretur: mortem præsentem minitans, nisi profiteretur. Quoq; magis illam proliceret ad confessionem, ipse prior fassus est, se commisisse adulterium: Idem de uxore suspicari, nec aliud tamen quàm suspicari. Illa primum inficiari, tandē urgente merito, confessa est & ipsa. Et confestim maritus dimisit, Illa territa cōfugit ad sororē in pagum nomine Prattelē. Actum est per affines & propinquos de reditu in gratiam. Maritus se placabilem exhibuit. Rediit mulier sabbato 3. die Augusti, deducuntibus eam aliquot cognatis & propinquis, quos maritus accepit hilari compositiuncula. Discessum est cum gratulatione: Et, ut aiunt, ea nocte fuit uiro & uxori lectus communis, ne quid offensionis uestigium residere uideretur. Postridie, qui dies erat Dominicus, simili familiaritate unā pransi sunt. Rumor addidit & cognatos aliquot eodem acceptos conuiuio, quo peracto, egit illis gratias: rogans, ut adesse uellent in cœna, se paulo lautius illos accepturum. Verum is rumor incerta est fide: Illud certum, mox à prandio ablegauit famulam ad concionem: liberos ex priore coniuge susceptos, ad emenda pira. Ita nactus solitudinem, obdit pessulum ianua: grauidam uxorem transfodit, mox filiulam uix Quadrimam. His peractis, ipse scripsit epistolam ad Senatum. Confestim in summam ædium partem conscendit, ac ter in clamato nomine Iesu, se præcipitem dedit: adeo, ut cerebro dispererit uiam, iuxta Comiti dictum, sed nimium Tragicè. Caligis unā ligularum alligarat epistolam, de quo modo dixi. Qua continebatur, quid, quo consilio fecisset, ac facturus esset. Occidit adulteram confessam, illa pœnam commuerat: Occidit filiam, ne quis in posterum illi maternum paternumq; crimen opprobret. Sibi fuit carnifex, ne longo cruciatu periret: Damnatus iudicum sententijs. Nam in corpus sæuitum est, fractis ossibus, impositum est sublimi rotæ. Deinde inclusum ligneo culeo, demissum est in Rhenum. Quid acciderit animæ nouit Deus. Facinus tam atrox & inopinatum, socerum uxoris patrem ita perculit, ut totus factus sit attonitus. Frater mariti, Iacobus Bomgartnerus, præ dolore sibi excidit, ut iam sit in uinculis. Exemplum quamuis impium, non inutile fuerit, ad deterrendum ab adulterio, quod iam inter Euangelicos quoq; cœperat esse iocus. Accidit & alia eodem anno ingeniosæ malignitatis

malignitatis Tragœdia, ex nouis Lutheranæ factionis adinventionibus, quæ sic habet. Otto Pak, legum Doctor, homo nobilis, occultus Lutheri discipulus, cum esset Consiliarius iuratus Pij atq; Catholici Principis GEORGII, Ducis Saxonix: grãde ac plane magistro suo dignum, hoc est, bene Luthericum facinus scelerato aggressus est consilio. Nam effinxit formulam cuiusdam fœderis, sub nomine quorundam Principum Catholicorum, aduersus Electorem Saxonix & Hafsie Lantgrauium conceptã, per quam nitebatur occulte Lutheranos ad arma concitare: Quod & effecit. Namq; dum Cancellarij uices ageret, nactus ea occasione secretum Principis sigillum, appressit illud formulæ cõficti fœderis, ac Hafsie Lantgrauio uelut grande munus tradidit. Is uiso Principis sigillo, statim credidit, rem ita esse. Et communicato consilio cum Electore Saxonix, magno studio ualidum comparauerunt ambo exercitum. Quem ubi in publicum eduxerunt, nec quisquam aliorum Principum sciret, quemnam tanto cum apparatu belli inuasuri essent: Lantgrauius copiam fœderis socero suo, Duci Saxonie Georgio, transmisit, multa cum prece, ut tali fœderi renunciare ultro uelit, ac promittere, ut neq; ipsi neq; Electori Saxonix arma sit illaturus. Dux autem Georgius, mox eodem die (nempe in festo Ascensionis Domini) quo illius scripta recepit, per literas respondit Teuthonice, In hæc sane uerba.

Sceleratũ  
facinus D.  
Ottonis  
Pak.

Exercitus  
Lutherano  
rum cõtra  
Episcopos

Generose Princeps, Benigne dilecteq; Cognate ac fili, hodie à Dilectione uestra scriptum recepi, in quo Dilectio uestra indicat, quodnam fœdus contra Patruelem meum, Electorem Saxonix editum sit, ac deinde contra uos. In quo & ego compræhendar, id quod Dilectioni uestræ ex animo doleat, & malletis membrum aliquod de corpore uestro perdidisse, quàm rem talem de me rescire: Addita prece benignissima ac humillima propter Deum, ut Dilectioni uestræ dem responsum, in quo abrenunciem isti fœderi, & contra Patruelem meum, & uos nihil faciam, iuxta latiore literarum tenorem perlegi. Et super hoc Dilectioni uestræ notum facio, Quãuis simplex sim & ineptus, ea tamẽ animi fortitudine me esse credat D. V. ut si quid uere in hac causa à me factum esset aut actũ, nollem id coram Dilectione uestra, aut coram maiore, quem merito plus timerem quàm uos, negare. Quoniam uero hæc ficta Copia, quam ad me misit D. V. tam multa mendacia in se continet, ac per Originalia nunquàm probari aut demonstrari poterit: non paruam fero admirationem, quod D. V. huic fidem præbet, & me per eam grauat. Multo magis condoleo Dilectioni uestræ, tanquàm meo consanguineo & filio, quod D. V. sinit se eius-

Responsio  
Ducis Ge-  
orgij ad li-  
teras Lante-  
grauij.

Fictam esse  
copiam fœ-  
deris præ-  
tensi.

Q ij modi



Vt indicetur  
Nebuloso, autor  
conficti foederis.

modis infundatis, falsis, mendacibusque nugis seduci, & in seditionem concitari: Vnde Dilectioni uestrae coniugique & liberis uestris, terrisque & subditis uestris, perditio calamitasque exoriri possit. Dico igitur & scribo adhuc, eum, qui Dilectioni uestrae dixit, se uidisse Originales literas, quibus additum sit Chirographum ac sigillum meum, aut quod Originales illas legerit audierit: esse desperatum, infamem ac periurum Nebulonem. Hoc constanter coram quibuslibet affirmabo. Volo item Dilectionem uestram amice, & (quemadmodum D. V.) propter Deum rogatam habere, D. V. uelit negotia sua meliori deliberatione, quam hic factum est, incipere: nec uelit incitari ad eam uenationem, ubi merito alius praeueneretur. Velit item D. V. ostendere mihi mendacem uirum illum, ut & ego, & quilibet ab eo cauere sibi sciat. Nisi enim id a D. V. fiat, moueri possem ad suspicandum, quod D. V. ipsamet effinxerit illud, atque ita uelit captare occasionem, uestram inimicam uoluntatem contra me miserum senem inchoandi. Neque item praetermittam scribere istis, qui comprehendantur in copia foederis, quod Vratislaviae factum sit, eamque illis transmittere: Nihil dubitans, eos & se & me sufficienter excusatuos esse. Satis enim scio, pluresque eorum neque affuisse, neque missos ibi habuisse Oratores suos. De nullo igitur foedere mihi sum conscius, neque unquam id doceri potest, quod de ipso sciam aliquid. Ea enim, quae de alijs in eiusmodi copia recensita sunt, utique manifesta sunt mendacia. Quicquid autem me tangit, prorsus e mentitum est. Existimo igitur iam, si D. V. ob id aliquid de corpore suo membrum tradidisset, eius facti nunc poeniteret eam, quod omnino frustra & pro nihilo factum esset. Neque opus est, ut ab eo, quod in seipso nihil est, desista aut abrenunciem. Geram me, Deo dante, erga D. V. & erga quoslibet ita, ut sciam cum honore coram Deo superioribusque meis, & coram toto mundo respondere. Hoc tanquam responsum Dilectionem uestram celare non uolui: Cui inseruire paratus sum, Data festinater Dresdae in die Ascensionis Christi, Anno Domini 1528. Neque omittam scribere agnato meo, ut ista significem. Ex quibus Dilectio eius me bene excusatum habebit. Georgius Dux Saxoniae &c.

Initium formulae conficti foederis.

Nomina autem aliorum Principum, ex tenore conficti foederis cognoscuntur. Cuius sane initium sic habet. Dei gratia Nos Ferdinandus Rex Bohemiae, Rom. Caes. Maiestatis locum tenens, Archidux Austriae, Dux Burgundiae & Vuirtembergae, Comes Tyroli &c. Et Nos Albertus S. R. E. Tituli S. Petri ad uincula, Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Moguntinus & Magdaburgensis, sacri Rom. Imperij Archicancellarius per Germaniam: Princeps

Princeps Elector & Primas, Administrator Halberstatensis. Et nos Ioachim, sacri Rom. Imperij Archicamerarius, & Princeps Elector: Ambo Marchiones Brandeburgenses, Duces Stetiniæ, Pomeraniæ, Cassabiorum & Vuandalorum: Burgrauj Nurembergenses, & Principes Rugiæ. Et nos Matthæus S. R. E. Tituli S. Angeli Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Saltzburgerensis, Apostolicæ sanctitatis & sedis Romanæ Legatus natus &c. Nos Vuigandus, Episcopus Bambergensis. Et nos Conradus, Episcopus Herbipolensis, & Dux Franconiæ. Et eadem gratia nos Georgius Dux Saxonix, Lantgrauus Turingiæ, & Marchio Misnæ. Nos Vuilhelmus & Ludouicus fratres, Duces superioris & inferioris Baurariæ, Palatini Rheni. Fatemur & notum facimus, uirtute harum literarum palam, Posteaquam in hoc periculoso & aduerso rerū statu, quem Deus omnipotens super genus humanum, propter iniquitates & peccata permittit, multæ in Deum blasphemix & iniuriæ, ac scandala proximorū exoriuntur. Ita, quod Deus non solum in suis Sacramentis, quæ ipse super terrā, tum ad emendationem nostri, tum ad confortationem infirmæ conscientix nostræ instituit: Verum etiam in sua ipsius omnipotentia ac Deitate, iniurijs cōtumelijsq; afficitur. In eo sane, quod Tempia & Monasteria diripiuntur ac deuastantur: Deo sacratæ personæ ab eius cultu expelluntur, ad loca inhonesta protruduntur, suisq; censibus & prouentibus ui spoliantur & priuantur. Et quod omnium horrendissimum est, sacræ Missæ officium nō solum aboletur, sed & Idolatriæ & peccato ascribitur. Nobis tanquā Catholicis, Regi, Principibus Electoribus, Archiepiscopis, Episcopis & Principibus, propter uotum & promissionem, quam Deo creatori nostro fecimus ( Cui nos tanquā creaturas suo creatori absq; omni medio subdere, ac sacris pedibus eius substernere debemus ) similiter etiam propter iuramenta & fidelitates, quas partim Apostolicæ sanctitati, ac omnes nos Ro. Cæs. Maiestati, Domino nostro omnium Clementissimo, præstitimus ( Quibus tanquā superioribus nostris debitam obedientiam exhibere debemus & tenemur ) nihil aliud conuenit, quā eiusmodi suprascriptis blasphemijs ( quantum nobis, uelut hominibus, mediante auxilio diuino, possibile est ) occurrere, eas auertere ac in melius conuertere &c.

Quanquā uero cuncti Principes & Episcopi illi, sigillatim per propria scripta & sigilla negarent, se tale foedus percussisse: non tamen potuerunt uiciniores Tres Episcopi periculum euadere belli, nisi persoluerent Centum Milia aureorum. Imperatis enim ac indefensis imminebat e proximo grandis & ad inuadendum paratus reorum.

tus exercitus. Quamuis igitur essent immunes ab eo foedere, maluerunt tamen redimere pacem, quam iniustum sustinere bellum. Numerauerunt itaque Archiepiscopus Moguntinus XL. Milia aureorum, totidem Episcopus Herbipolensis, & XX. Milia Episcopus Bambergensis. Quid facerent aliud? longe aberat Cæsar in Hispaniis, & Liga Sueuica tam subito non poterat ferre auxilium. Subditorum autem corda, magna ex parte Lutheri fermento erant infecta. Maluerunt itaque Episcopi in pecuniis, quam in damnis subditorum, agrorumque populationibus, aut oppidorum expugnationibus, iacturam facere. Quia metus erat, ne speciosus uerbi Dei prætextus, Euangelique defendendi titulus (quem Lutherani ubique iactitant) totam Germaniam in tumultum excitaret. Ne autem Halsiæ Lantgrauus uideretur foedus illud ultro effinxisse, indicauit autorem, supra dictum Ottonem Pak, eumque in custodia tenuit, ut de facinore isto responderet aduersariis. Scripsit igitur ac certum præfixit diem Regi Ferdinando, Electori Brandeburgensi, & Duci Saxonie Georgio, ad agendum iure contra dictum Pak, si quid aduersus eum haberent. Illi missis Oratoribus iusserunt illum accusari, tanquam reum læsæ Maiestatis. Feria igitur secunda post festum Diuæ Margarethæ, cõuenerunt Oratores in oppidum Cassel, ubi Lantgrauus publicam exhibuit audientiam. Antequam uero accusaretur ab illis Pak, iussit eum à suo Cancellario coram illis interrogari de tribus articulis. Primo, an de foedere illo dixerit Lantgrauo, quod Vratislauriæ factum sit. Secundo, an Copiam illius sigillatam annulo Ducis Georgij, tradiderit eidem Dresdæ. Tercio, an per multa scripta promiserit, etiam Originales tradere illius foederis literas. Pak ergo hæc omnia confessus est palam. Deinde datus est Oratoribus locus accusandi illum. Ccepit itaque Cancellarius Ducis Georgij, Doctor Simon Pistorius, clarissimus ac disertissimus Iuriscõsultus, hominem accusare multorum criminum: De quibus eum certissimis documentis conuicit, tum per propria eius Chirographa, tum per aliorum authenticas literas. Etenim Pak, cum esset superbus & sumptuosus, multo plura decoxerat, quam in tota substantia sua haberet. Varijs igitur sigmentis calide circumueniebat plerosque, ut sibi in mutuum darent. Effinxit sane diuersas epistolas, quas annulo Ducis Georgij, dum Cancellarij uices ageret, sigillabat, ut per eas pecuniam undecumque acquireret. Finxit & scripsit, se octo Milia aureorum dedisse Duci Georgio, pro Præfectura oppidi Vucissensehe, ad diem uite suæ. Finxit credentiales literas, pro se ad plerosque, annulo Ducis signatas, Finxit literas, quibus fateretur Dux, ei debere Quinq;

Milia

Actio contra D. Pak Caslæ instituta,

De multis criminibus accusatus est D. Pak.

Milia florentorum. Et cum à Duce missus fuisset, uelut Consiliarius, ad Lantgrauium Habsiæ, ille peruerso itinere profectus est occulte, ad Ioannem Vuaiuodam Vngariæ: hostem Regis Ferdinandi. Et Vratislauriæ aliam confinxit multorum Principum, aduersus Regem Ferdinandum, confœderationem. In qua nominatim recensuit non solum reges Franciæ, Angliæ, Daniæ, & Scotiæ, ac Venetos: Verum etiam quosdam Germaniæ Principes, utpote Duces Geliæ, Pomeraniæ, Electorem Saxoniam, Lantgrauium Habsiæ, & Archiepiscopum Treuerensem. Denicq; sub figmento & prætextu conficti fœderis, quod contra Electorem Saxoniam Lantgrauiumq; Habsiæ initum assererat, à Lantgrauio Quatuor Milia aureorū in donum recepit, ut Creditoribus eius ex ea pecunia satisficeret: Neq; tamen omnibus satisfieri potuit. Cum igitur ad tot sibi obiecta crimina, non posset nec auderet respondere immoto pede: omnes Oratores consurrexerunt, eiq; in faciem dixerunt, quod sit infamis, perfidus, periurus ac sceleratus nebulosus, & ex stirpe nequam, qui Principes & Dominos eorum nequissima calumnia traduxerit: reus crimine & falsi & læsæ Maiestatis. Protestabantur itaq; & rogabant Lantgrauium omnesq; circumstantes, ut illum pro tali haberent, donec demonstraret, fœdus illud à Dominis eorum factum esse. Pak uero misere confusus ac dehonestatus, mortis quidem supplicium euasit, gratia & benignitate Lantgrauij: profugus tamen & exul factus, nusquam in terris Lantgrauij & Electoris Saxoniam, aliorūq; Principum, quos diffamauerat, tuto pedem sistere potuit. Vagus igitur ac profugus factus super terram, uelut alter Cain, per diuersa latibula ad urbes stagnales sese proripuit: Atq; in hunc modum restituta est Germaniæ pax. Quantum uero doluerit id Luthero, uel ex ea constat epistola, quam paulò post scripsit ad sodalem suum, Apostatam Augustinianum, In hæc sane uerba. Optimo pariter ac pio uiro, Vuincilao Lincio, seruo Christi in Euangelio Nurenbergæ, fratri suo, Gratiam & pacem. Noua plura tu nosti, quam ego scribere possim. Fœdus illud Principum impiorum, quod ipsi negant, uides quantos motus mouerit. Sed ego Ducis Georgij frigidissimam excusationem fere pro confessione interpretor. Sed negent, excusent, fingant: Ego sciens scio, non esse fœdus istud merū nihil aut Chimeram, licet monstrum sit monstrosum satis. Deinde orbis nouit, illos animo, facto, edicto, studio pertinacissimo hactenus talia publice tentasse & fecisse, & adhuc facere. Extinctū enim uolunt Euangelium, quod negare nemo potest. Sed quid hæc ad te, qui absq; dubio certus de his omnibus es. Tantum ut scias, neq;

D. Pak misere confusus & conuictus est publice.

Tandem comprehensus Antuerpiæ Anno 1536. post diuturnum carcerem, post longam iuris disputationē, post feralia questionum tormenta, capite plexus & in Quartas diuisus est. Anno 1537. mense Februario. Epistola Luth. ad Vuenceslaum Lincium.

nos istis credere impijs, licet pacem offeramus, optemus, demus. Deus confundet istum *μωρότατον μώρον*. Qui sicut Moab plus audet quam possit, & non secundum vires suas superbit, sicut semper fecit. Orabimus contra istos homicidas, atq; haecenus sit eis indultum. Si denuo aliquid moliti fuerint, orabimus Deum: Deinde mouebimus Principes, ut absq; misericordia perdantur. Quandoquidem sanguisugæ insatiabiles quiescere nolunt, nisi sanguine Germaniam madere sentiant. Vale & ora pro nobis, Dominica post Barnabæ 1538. Martinus Luther.

Disputatio  
Bernensis.

Sub initium eiusdem anni, famosa ac scandalosa habita est Disputatio apud Heluetios in oppido Berna, quam procurauerunt Zuinglius, Oecolampadiusq; & eorum complices, Vuolfgangus Capito, Martinus Bucerus, qui Argentinæ in secta Zuinglii præualebant: Et duo scelerati Apostatae, Berchtoldus Haller, & Franciscus Kolb, qui potentem ac bellicosum populum Bernensem, in fide peruerterunt. Cum igitur formula ad disputandum à Bernensi Senatu præscripta atq; euulgata, Catholicis aperte præiudicialis ac iniqua esset, Zuinglianis uero plausibilis nimiumq; alludens: factum est, ut è Catholicis nemo Doctorum Theologorum ibi disputauerit, ne comparuerit quidem, nisi Prouincialis Augustinianus, D. Conradus Tregarius: Neq; ullus Episcoporum ad eam suos miserit Oratores, sicut miserant ante biennium, ad disputationem Badensem. Articuli enim X, quos disputandos proponebant, aperte erant impij & erronei, contra Ecclesiam, contra ueritatem Eucharistiæ Missæq; & aliorum Sacramentorum: contra merita uenerationemq; sanctorum, contra exequias defunctorum: breuiter contra receptos & approbatos Ecclesiæ ritus, caeremoniasq; fere omnes. Et ipsa formula sic erat imperiosa, & fastu quodam turgida, ut Quatuor Episcopos personaliter ita citaret ad comparandum, ut nisi comparerent simul cum doctis uiris, sacram literarum peritis, omnem Iurisdictionē Episcopalem in terris Bernensibus perdituri essent. Euulgata autem ea formula, multiplex dissuasio ac dehortatio Bernensibus per scripta ab alijs facta est. In primis à Regimine Imperiali, nomine Cæsareæ Maiestatis, è Spira interdictum est Bernensibus serio, ne disputationem illam admitterēt. Deinde à Quatuor Episcopis multis rationibus prolixè probatum est, non expedire, ut fieret ea disputatio. Et adhuc

Pia dehortatio de illa disputatione per viij. Cantones,

multo copiosius dissuaserunt eandem Octo Heluetiorum Cantones Catholici: Inter quos Lucernenses primas tenebant partes. Quorum sane admonitio ad eum pia erat & fidelis, ut eorum uerba ex imis uisceribus ac intimis cordis penetralibus, absq; omni furo, procedere

procedere uiderentur. Admonebant eos disputationis Badensis, quam inter XII. Cantones ipsi Bernenses precipue & expetierant & comprobauerant. Admonebant eos fœderum, promissionum, literarum sigillatarum, recessuum (ut uocant) publicorū, iuramentorum, & multorum aliorum monumentorū: quæ omnia per impiam disputationem istam uiolanda erant. Dicebant eiusmodi disputationem fore, non solum contra disputationem Badensem, intra biennium prius cōmuni eorum consensu & approbatione habitam: Verum etiam contra iusiurandum, quod & ciuitas Bernensis & eorum territoria præstiterant, & contra sigillatos recessus. Item contra ipsorum fœdera, & contra Catholicę Ecclesię ordinationes. Vnde exoritura sint plurima ipsis mala, magna detrimenta, scandala, damna, seditiones, tumultus, & quid non? Sed & Ioannes Cochlæus, qui tum Moguntię degebat, cum sero uidisset eam disputandi formulam publico Bernensium Ediçto præscriptam: cōfestim collegit dissuadendi rationes quàm plurimas, quas per proprium nuncium per tanta terrarum interualla Bernam transmisit, quo tempore iam cœptum erat disputari. Admonuit eos legis diuinę, autoritatis Ecclesię, Sedis Apostolicę, legum Imperialium: ne tot sæculis probatos ac receptos fidei nostrę articulos, per infausam illam disputationem in dubium reuocarent. Maxime uero reprobauit modum iudicandi super disputatis, quod reiecta omni Ecclesię Doctorū expositione, sola Biblica scriptura debeat inter partes discernere ac iudicare: Quandoquidē ipsa secundum se sit res inanimata, quæ eloqui non possit, nec iudicare, utra partium ipsam rectius intelligat aut exponat. Neq; clamare possit, Ohe aut Vg, contra eos, qui ei uim faciunt, aut retortā uelut per capillos in deuium sensum trahunt. At ipsi Bernenses temere sibi iudicandi autoritatem sumpturi sint, ad pronuntiandum, utri scripturam rectius intelligant, Catholici ne, an hæretici. Et proculdubio hæreticis palmam daturi sint, quorum instinctu & disputandi formula & impij articuli fuerint promulgati. Lex autem diuina nequaquam talem statuit disquirendi modum: sed iussit, si quid ambiguum fuerit, ut illud proponatur summo sacerdoti, qui pro tempore fuerit, ut eius stetur iudicio, & qui acquiescere illi noluerit, morte moriatur, Deut. 17. Deniq; ne nudæ scripturę nimium confiderent, reiecta doctorum Ecclesię expositione, proposuit eis tria Themata secundū sese ut falsissima, ita & absurdissima. Quorum primum erat, Christum non esse uerum Deum. Secundum, Deum debere obedire Diabolo. Tertium, Mariam Dei genitricem, non permanisse perpetuo uirginem, Primum erat error quorundam

Scriptum  
Cochlæi.  
ad Bernen

Tria The-  
mata absur-  
da et impia

rundam Anabaptistarū, & antiquorum Hebionitarū, Secundum Ioannis Vuiclephi. Tertium Heluidij. Hæc tria in utranq; partem è locis uarijs scripturæ probauit, nunc argumētando, nunc soluendo: ut hęc exemplis declararet, quàm non sit difficile, ex tanta scripturarum sylua excerpere diuersa loca, per quæ secundum fucum & exteriorem corticem literæ, quodlibet thema & probari & reprobari queat. Nisi igitur stetetur autoritati Ecclesiæ, Cōciliorumq; Generalium, & sanctorum patrum expositioni, qui per spiritum sanctum locuti sunt, uelut per certum ueritatis magistrum: per corticem literæ omnia ab hæreticis in dubium uocari ac peruerti possent. Bernenses uero his omnibus contemptis, prosequuti sunt disputationē suam: Disputantes à Die septimo, usq; ad Vicesimum sextum Ianuarij. Postea iudicarunt X. articulos recte probatos, & in scripturis fundatos esse. Mox igitur nouam instituerunt Reformationem, in qua præceperūt primo, Vt ab omnibus subditis suis approbentur X. articuli. Deinde, Vt subditi ipsorum, nulli è Quatuor Episcopis, amplius obediant in rebus Ecclesiasticis: non in causis Matrimonialibus; non in excommunicationibus & absolutionibus; non in perceptione Chrismatis; non in oblationibus decimisq; & frugum primitijs &c. Deinde absoluerunt à iuramentis Episcopo præstitis Decanos, Camerarios, Pastores, Concionatores, & quoslibet Ecclesię ministros. Postea cum ipsi in urbe sua iam demoliti essent altaria, atq; Imagines, ubiq; in tēplis suis, Missasq; penitus aboleuissent: præceperūt subditis, ut per omne territorium suum itidem facerent. Deinde abrogarunt omnes Missas, & exequias, anniuersariasq; memorias defunctorum, fraternitatis uiuentium: Dedications templorū, habitus Monachorum ac Monialium, usum sacrarum uestium: Dies ieiuniorū, festa sanctorum, & quid non: Permisērūt autem sacerdotibus uxores, nouas nuptas Monachis, sacrilegos maritos Monialibus. In fine tamen, ut fidei suæ incertitudinem conscientiaq; palpitationem ac metum proderent: adiecerunt, sese, ubi meliora docti fuerint, ea libenter amplexuros esse, & eam Reformationem uelle uel augere uel minuere.

D. Eckius  
disputatio-  
nem: Coch-  
læus Re-  
formatio-  
nem con-  
futauit.

Quoniam uero tam in Badensi, quàm in Bernensi disputatione, coram Laicis Teuthonice & loquendū & scribendum fuit: Teuthonice quoq; reprobauerūt, D. Io. Eckius Disputationem, D. Io. Cochlæus Reformationem Bernensium. Eckius prolixius ac subtilius; Cochlæus breuius ac simplicius, pro captu Laicorum. Eckius ultra X. articulos disputationis, cōmemorauit adhuc XXV. articulos erroneos, quos in Disputatione illa admiserunt. X. item articulos contradictorios sibi ipsis, & XV. locos scripturæ, quos falsifica-  
uerunt

uerunt inter disputandum. Cochlaeus priusquam articulatim Reformationem reprobaret, obiecit Bernensibus contemptum & negligentiam circa uiros doctos, quos ad disputationem suam uocare debuissent, praesertim D. Eckium. Deinde exprobrauit inciuilitatem, qua male tractatus fuit in ea disputatione D. Conradus Tregarius, Prouincialis Augustinianus, Heluctius natus. Postea respondit articulatim ad Reformationis Capita. Equorum Tricesimo pauca, exempli gratia, retulisse operæ precium fuerit.

Tricesimo (inquit) conceditis Monasticis personis, deserere Monasteria, & inire connubia: Atque ut eas ad hoc prouocetis, uultis eis bona, quæ intulerunt, restituere. Quæ si nimis modica sint, uultis plus addere, modo exeant, siue connubia ineant siue non. O boni Domini, quam inimicus est & honori uestro & animarum uestrarum salutem, autor huiusmodi Reformationis. Quomodo potestis (obsecro) usque adeo obliuisci omnis scripturæ, omnis legis & iuris, omnis disciplinæ & honestatis? Quomodo potest licere uobis, qui iuramento foderati estis, iuramenta & uota Deo prestita, tam turpiter ac scelestè soluere, & concedere id, quod in uestra potestate minime consistit? Honestas iuris etiam apud Gentiles & Romanos antiquos exigit, ut iuramenta & pacta etiam hosti seruentur: Vos autem ea ne Deo quidem seruari uultis.

Quomodo possitis, quæso, maiores aut uehementiores uos exhibere hostes Dei & Ecclesiæ, quam hic facitis? Considerate uos ipsi. Quomodo enim potest alicui maior aut dolor aut iniuria inferri, quam si sponsa aut uxor eius abducatur aut rapiatur? Aut si filius aut filia eius, amisso honore, ad ignominiam redigatur publicè coram toto mundo? Iam sponsæ & uxores Christi, Dei & Domini nostri, Moniales sunt, Can. 4. Ioan. 3. 2. Cor. 11. Ephe. 5. Apoc. 21. Sunt & filia sanctæ matris Ecclesiæ, Gal. 4. 1. Corinth. 4. Psal. 44. & 47. Can. 3. 1. Pet. 3. Quomodo igitur præsumitis eas contra omne ius, contra omnem scripturam & honestatem, & uotis suis absolueret? lubete, quæso, Apostatas uestros omnem perscrutari tum scripturam tum historiam, an inuenire queant, quod in ulla per orbem terrarum prouincia, intra M. D. annos, uspiam concessum fuerit Monachis & Monialibus, Matrimonia inire, aut è Monasterijs in mundum redire. Est enim manifestè contra Deum, sic irrita facere uota. Nume. 30. Deut. 23. Psal. 65. Eccle. 5. Contra Christum Matth. 8. & 19. Luc. 9. & 14. Contra Paulum 1. Tim. 5. ubi damnantur ij, qui primam fidem (uotum scilicet) irritam faciunt. Quid autem sacra Concilia, sanctique Pontifices & Catholici Doctores, contra scelus istud scripserint atque statuerint, recitare hic nimis longum foret, atque etiam apud

Contra nuptias Monachorum & Monialium.

Hostes Dei Bernenses.



*C. de Epif. &  
Cle. l. Raptor-  
res.  
Liber fecū-  
dus Luthe-  
ri contra  
Zuingliū  
et Oecolā-  
padium.*

*Finalis cō-  
fessio fidei  
Lutheri.*

apud uos irritum & inutile, qui talia cuncta contemnitis. Recitabo autem uobis legem Imperialem ex Codice, ut ex ea intelligatis, quid hic meremini &c. Lutherus, ut uidit Zuinglium Oecolampadiumque inualescere indies magis ac magis: scripsit rursus contra eos bene prolixum librum Teuthonice, Cui titulus est. De cœna Christi confessio Lutheri. In prima eius parte exagitat ac reprehendit Zuinglium. In secunda Oecolampadium. In tertia denique fidei suæ confessionem, quam pro certa & ultima suæ mentis sententiâ, tam in uita quam post mortem, haberi iubet. In prima multa obiicit Zuinglio eiusque complicibus, quæ Catholici prius longe iustius obiecerant ipsi Luthero: Nempe, Quod eiusmodi dissensio & diuisio inter ipsos non est à spiritu sancto, sed à Sathana: Quod spiritus ille uertiginis contradicit sibi ipsi: Quod libere concludendum est, Diabolum omnis dissensionis patrem, esse eorum doctorem: Quod dissensio in intellectu & sermone, ex Diabolo est &c. In secunda contradicit sibi ipsi, dum negat in cœna Christi remanere uinum, eò quod Christus dixerat. Non bibam de genimine uitis &c. Quod antea sæpe affirmauerat, cum alibi, tum in Babylonica sua captiuitate, ubi derisit Transsubstantiationem & accidentiâ sine subiecto. Affirmat item ibi Christum, non solum dedisse calicem discipulis, sed & ipsummet bibisse. Quod prius negauerat in libro de abroganda Missa, ubi docebat, quod sacerdos alijs dare debet Sacramentum, non ipse sumere: quoniam & Christus ita fecerit. In tertia autem parte inter articulos fidei suæ ponit, quod non sit credendum liberum arbitrium. Reijcio (inquit) hic simul ac damno, uelut meros errores, omnem doctrinam, quæ liberum arbitrium nostrum iacuitat. Item affirmo, Quod Vigiliæ, Missæ ac Anniuersarij dies pro defunctis, sint inutiles, ac nundinæ Diaboli. Item, Quod sancti inuocandi non sint. Item, Quod extrema unctio, Matrimonium & Ordo sacerdotalis, Sacramenta non sint. Super omnes uero abominationes teneo (inquit) esse Missam, quæ pro sacrificio ac bono opere prædicatur ac uenditur, super quam nunc omnia Ecclesiarum Collegia Monasteriaque consistunt: At, Deo dante, cito iacebunt. Quamuis enim magnus, grauis turpisque peccator fuerim, atque iuuentam meam damnabiliter consumpserim ac perdididerim: ea tamen sunt maxima peccata mea, quod tam sanctus Monachus fui, ac tot Missis ultra XV. annos dilectum dominum meum tam horrendè offendî, martyriisque ac tribulationibus affeci. Hæc in illo libro Lutherus. Adidit & alium librum Teuthonicum eodem anno contra Papistas (ut uocat Catholicos) de communione sub utraque

utraq; specie. In quo miris cauillis ludit, scurratur ac mordet, dum iactitat quantum sua doctrina profecerit etiam apud Papistas, qui reuera Lutheranos sint ipsomet Luthero. Quoniam Canonici, alijq; sacerdotes ac Monachi, pulchre didicerint omittere ac neglectui habere horas Canonicas: ita fortes in conscientia, ut Papæ dispensatione non amplius indigeant. Episcopi autem sciant nunc dissimulare Interdictum & excōmunicationem, quando Papam tenebat Cæsar captiuum, quod ante Lutheri doctrinam minime passi fuissent. Principes deniq;, qui odio persequuntur Lutherum, sint Lutheranos quàm ij, qui Lutherum fouent, dum ab Ecclesijs & Monasterijs tollant, & ad serapiāt paratam pecuniam, preciosa denodia & ornamenta, insidienturq; nihilominus & bonis immobilibus eorum, ac multas eis imponant exactiones: Aduersus Lutheranos uero Principes, quarant proditorias consultationes ac fœdera, de quibus ipsimet postea erubescant &c. Excerptis ex eo libro Ioannes Cochlaeus Calumnias CXLIII. & sannas L. quas breuibus responsiunculis confutauit Latine: maxime propter Episcopum Roffensem, à quo petebat, ut denuo aliquid in illum æderet, propter Germanos, qui præ omnibus Lutheri aduersarijs ei plurimum (& merito quidem) tribuerent. Volebam (inquit in præfatione) R. Dignationi tuæ ex uno eius libello Teuthonico in unum colligere fasciculum, ipsius aduersum nos calumnias, sannas, uanitates, iactantias, perueritates, impietatesq; & blasphemias. Etiam percurrendo libellum omnes in margine mihi designaueram certis notulis: Sed inter respondendum tanto affectus sum tædio, ut uix potuerit anima mea tantam sustinere nauseam & molestiam, donec ad calumnias sannasq; eius breues adiecerim responsiunculas. Cuius sane laboris gemina mihi ad te R. P. causa fuit. Vna, ut scias, quāta sit eius in lingua patria improbitas: Altera, ut adhuc semel scribas, non sane ad eum, sed ad Proceres

Imperij, ad nobilitatem Germaniæ, ut uel  
sero perpendant, quonam tendant  
omnes nouarum sectarum  
conatus &c.

R Acta

Alius liber  
Luth. cōtra  
Concomi  
tantiam.

Hoc calumnia  
sum est in Cæ  
sarem signen  
tum.

Cōfutatio  
eius libri  
per Io. Coch  
laeum.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXIX.*

Epistola  
Luth. e Nurenberga  
Dresdam  
peruenit.



Calumniae  
Lut. in Duce  
Georgio de foedere.

Purgatio  
Ducis de  
illo foedere

Vm autem e Nurenberga peruenisset Dresdam exemplar epistolae Lutheri ad Lincum scriptae, cuius tenor recitatus est supra: Dux Illustriss. Saxoniae Georgius, misit ad Lutherum illius copiam, sciscitans per literas ab eo, an fateretur, eam epistolam a se scriptam ac datam. At Lutherus proterue respondens & ambigue, petijt, ut Dux cum talibus schedis & literarum exemplis patientiam ipsius non tentet, Dux ubi ex responso Lutheri certior fieri non posset (Quandoquidem neque negabat, neque agnoscebat eam epistolam Lutherus) misit quendam e Secretarijs suis Nurenbergam ad Senatum: petens de epistola illa interrogari Vuenceslaum Lincum, an re uera ad ipsum a Luthero data fuerit. Ille autem interrogatus, Senatui aperte confessus est, Lutheri esse epistolam. A se tamen quibusdam amicis communicatam fuisse, simplici animo & citra dolum malum, non studio insimulandi aut offendendi, nec Ducem Georgium, nec quemuis alium. Quod autem exscripta latiusque propa gara fuerit, id factum esse in scio se & inuito. Vidit ibi Secretarius per quendam amicum ipsas literas Originales, quarum exemplum recepit: Quod Dresdam allatum, cum priore concordabat. Cum igitur iam certus esset Dux, eam epistolam a Luthero scriptam fuisse, & ab illo publicam quoque nimisque odiosam & suspicacem, immo plane asseriuam mentionem de foedere Principum (quod seditiosum proditoriumque uocabat) in eo factam sciret libello, quem is contra Episcopum Misnensem, de utraque specie adiderat: Purgauit & excusauit se bonus Princeps denuo per publicas literas de confictio illo foedere, quod D. Otto Pak Hassiae Lantgrauio primu suggesterat. Idque fecit Dux multo exactius pluribusque rationibus, quam fecerat prius ad Lantgrauium, tum propter iniquas suspiciones, quas pariebant scripta Lutheri: tum propter D. Pak, qui iam dudum crimine falsi multipliciter conuictus in Cassel fuerat. Operis precium itaque fuerit, quaedam Principis uerba, e Teuthonico in Latinum traslata, hic recitare. Nos (inquit) certi de hoc sumus (Deo sic gloria) hoc omne, de quo insimulati sumus, manifestissimum mendacium esse, & neque Lutheru, neque quenquam sectatoru eius, ullum uel leuissimu argumentu proferre posse, e quo probabiliter conijci, aestimari aut probari possit, nos his de rebus, quas confictum hoc foedus continet, unquam deliberasse, agitasse, aut omnino etiam cogitasse.

tasse, Nihilominus homo iste Euangelicus, tam audax impudensque  
 est, ut non dubitet tam splendidum mandacium, non solum ac si  
 id auditum haberet; sed præterquam quod omnes, quos hoc com-  
 mentum insimulauit, una uoce negando sese purgarunt: tamen  
 pro comperta etiam ueritate prædicare, ac in uulgus spargere,  
 & nominatim de nobis in hæc uerba scribere. Ducis Georgij fri-  
 gidissimam excusationē fere pro confessione interpretor. Quam  
 frigida fuerit excusatio nostra, ipsa uerba indicant. Nec adhuc ui-  
 demus, qua uehementiore ardentioreue per negatione, talem accu-  
 sationem reuellere debuissimus. Quod si tam frigida, & consimilis  
 confessioni fuisset, quam arguit Lutherus, nunquam certe nomen  
 Indicis expressisset. Quapropter illa adhuc plus feruoris habet,  
 quam Lutheri, Pakij, & omnium aliorum accusatio &c. Attu-  
 lit deinde præter alias de falso & ficto fœdere rationes, etiam ex  
 ipso stylo & uerborum tenore Octo probationes, quibus osten-  
 dit autorem figmenti errasse, tum in titulis Principum, tum in qui-  
 busdam alijs rebus. Quod autem Lutherus scripserat, se scientem  
 scire, quod fœdus illud non fuerit omnino nihil aut Chimera. Certe ratio-  
 nes, quæ  
 probant,  
 fœdus esse  
 falsum &  
 fictū.

Princeps pulchre in eum retorsit: Nempe, quod ideo sciens sciat,  
 quia ipse forsitan aliqua ex parte parauerit, aut consilium dederit,  
 ad parandum tale commentum. A qua sane suspitione non uult  
 eum liberum esse, nisi certę suæ scientiæ probabiles afferat rationes.  
 Scripsit igitur & Patrueli suo, Duci Ioāni, Principi Electori Saxo-  
 niæ, sub cuius umbra & protectione Lutherus degebat, ut is saltem  
 ex eo perquireret, unde sciret, fœdus illud nō esse fictum. Sed necq̃  
 per eam uia quicq̃ exquirere potuit. Cæterum Lutherus, uelut cra-  
 bro irritatus, ædidit Teuthonice libellum, cui titulum fecit. De pri-  
 uatis & furto surreptis literis. In quo sane usq̃ adeo scurriliter ac  
 petulanter in honestissimum Principem debacchatus est, ut etiam  
 Lutheranis non paucis displiceret tam indecora scurrilitas. Liber Lut.  
 de priuatis  
 Epistolis  
 contra Du-  
 cem Geor-  
 gium.

Itaq̃ Ioannes Cochlæus, indignitate eius rei motus, in Lutherum  
 Teuthonice scripsit libellum. In quo præter mēdacia, multos etiam  
 lapsus Lutheri, tum in Psalmi expositione, tum circa linguam He-  
 braicam (quam olim Romæ ex Heliæ Iudæi informatione degu-  
 stauerat modicum) indicauit; inscribens eum Generosis ac Illustri-  
 bus Principus ac Dominis, Ioanni & Friderico, filijs Ducis Geor-  
 gj. In cuius præfatione sic ait inter cætera. Et sane merito graue  
 molestumq̃ auditu est, hunc extreme malitosum, & iam pridem  
 condemnatum deploratumq̃ & infamem Apostatam, sub po-  
 tentissima laudatissimacq̃ domo Saxonix tantum audere, ut quen-  
 quam bonum uirum in ditione Saxonica degentem. Taceo tam  
 R ij inculpatum,

inculpatum, ac omnibus modis laudatum Principem, tot mendacijs, scommatibus, cōuitijs, & omnis generis iniurijs, palam coram toto mundo impetere atq; exagitare sustineat, & obiter aspergere seditiosa mendacia atq; maledicta, etiā de multis alijs Principibus, atq; adeo de negocijs publicorum Imperij Conuentuum. Scribens uidelicet, Vuormaciense Edictū (quo pro obstinato hæretico damnatus est) sine optimorum & summorum quorumq; Imperij Ordinum consensu, promulgatum fuisse: Cum tamen Cæsarea Maiestas in eo ipso Edicto, palam testetur, id de sua & omnium sacri Imperij Electorum Principum, reliquorumq; Ordinum tum congregatorum, sententia & consilio factum esse. Et id quidem in eodem Edicto testetur ter, sicq; ter à Luthero mendacij arguatur.

Contemnē  
da Lutheri  
conuitia.

Septiceps  
Lutherus.

Instabili  
Luthero  
adherendū  
non esse.

Cum igitur nemo nesciat, quam impudēter hic Monachus omnis generis mendacia, & simul multas uanissimas nugas, petulantissimacq; scommata in scriptis suis congerere, inq; ijs nullius plane hominis rationem habere soleat, non aliter ac exercitatissimus aliquis scurra, aut ira incensa læna: Non est quod Celsitudines uestræ illius contumelijs magnopere commoueantur, Quemadmodum nec Pater uester commouetur. Qui dicere solet, se non magis commoueri, si Lutherus sibi conuitium faciat, atq; olim commoueri solitus sit, cum sibi Morio suus, cui Pastori nomen erat, conuitium fecisset &c. Adidit sub idem tempus idem Cochleus Latine haud ita breuem librum, qui inscriptus est, Septiceps Lutherus. Quem ob duas potissimum causas ex diuersis Lutheri opusculis, tum Latinis tum Teuthonicis, in unum collegit. Nempe & propter Concionatores Catholicos, ut ij quouis proposito Themate, Lutheranos facile per propria scripta Lutheri, absq; longæ disquisitionis labore ac tædio, reprobare atq; confundere possint. Et propter externas Nationes, ut uiri Docti, linguam Germanicam non callentes, in futuro Concilio haberent breue compendium, ex quo intelligerēt, qualia Teuthonice scripserit Lutherus, atq; eo facilius eum uelut seruum nequam, de ore proprio iudicarent. In præfatione autem eius libri, ubi admonuisset lectorem, quomodo eum librum cum fructu aliquo legeret, ita subiunxit. Cogita, quæso lector, quàm periculosum sit, illi firmiter adhærere, & ab illius parte stare, qui tam instabilis ubiq; est in seipso: Aut ei plus quàm toti Ecclesiæ credere, qui toties contradicit, & non credit sibi ipsi, ac sese proprio iudicio condemnat, & mendacem reddit. Ipse quidem Sacramentarijs Suermeris, nūc aduersarijs, paulo ante dilectissimis fratellis, filiolijsq; & aureis amiculis suis, triumphabundus obijcit, Ibi mera esse & mendacia & dæmonia, ubi tāta reperiatur eorum de re una diuersitas,

diuersitas, utpote circa Eucharistiæ Sacramentum. Quanto, obse-  
cro, iustius nos id ipsum obijcimus ei: Qui cum sit in substantia in-  
diuiduum unum, seipsum in septem capita contrarijs assertionibus  
diuisit: Multa quidem peperit olim monstra Aphrica, sed mi-  
rabiliora nūc parit monstra Germania. Quid enim monstruosius,  
quàm in uno cucullo residere tot capita, inter sese tam cōtraria atq̃  
dissimilia: Quid ad hæc Ianus Bifrons: Quid Geryon Triceps:  
Quid Cerberus Trifaux: fabulæ sunt Poëtarū & iocosa figmenta.  
At Septiceps cucullus, immò cucullatus Draco iste noster, nimum  
uere ac serio septem capitibus Germaniam confundit, ac pessimis  
uenenis lethaliter afflat atq̃ corrumpit. Quis antea uidit, quæso,  
tale usquam portentum: Mirum quidem est, & supra omnem sen-  
sum atq̃ intellectum sublime ac uenerabile, Maiestateq̃ plenum  
mysterium, quod in una Deitate sunt tres, & hi tres unum sunt:  
Vnum in substantia, tres in personis. At in uno unius Lutheri cu-  
cullo sunt Septem, & hi septem non modo unum sunt in substan-  
tia, sed & unus in persona. Mira profecto Theologia, non modo  
Iudæis & Gētibus, sed & Christianis prius inaudita. In ueteri Chri-  
stianismo multitudinis credentium, erat cor unum & anima una:  
In nouo autem Euangelio Lutheri, dissecatur cor & caro una in  
corda & capita multa: Vt nō solum diuersi diuersa sentiant, sed &  
unus arroget sibi sensus & capita multa. Nos quidem breuiter se-  
ptem eliciuimus, qui inuite ac graui cum tædio nauſe atq̃ Lutheri li-  
bros legimus. At si quis plura in eis desideret siue monstra siue capi-  
ta, modo excutiat ac perlustretur paulo diligentius, inueniet pro-  
cul dubio multa & plura et mirabilia: & ea quidem usq̃ adeo ab-  
surda, impia, blasphema, ut homo pius ac timoratus, neq̃ lingua  
eloqui, neq̃ mente cogitare atq̃ reuoluere sustineat. Fuit eo an-  
no rursus Spire celebratus Conuentus Principum, aliorumq̃ Or-  
dinum ac Statuum Sacri Rom. Imperij, ex eisdem sane causis, ex  
quibus ante Triennium ibidem celebratus fuerat: nisi quod maior  
necessitas maioraq̃ pericula imminere uidebantur. Nam & Tur-  
carum Tyrānus potentior iam erat, subacta Vngaria, captaq̃ Bu-  
da, quàm antea, & maiori cum exercitu in Germaniā tendere di-  
cebatur: & in religione Christiana indies magis ac magis gliscebat  
dissensio, dum sectæ ita inualescerent, ut non solum Catholicis, sed  
& sibi ipsis inter sese formidabiles essent. Zuingliana enim factio,  
& apud Heluetios, & apud plerasq̃ urbes Imperiales, Argenti-  
nam, Constantiam, Vlmam, Augustam &c. Lutheranorum sectæ  
iam præualebat, & Anabaptistæ occultis per diuersa loca conspi-  
rationibus, non minus utriq̃ sectæ, quàm ipsis Catholicis de uio-

Mirabile  
monstrum  
Septiceps  
Monachus

Cōuentus  
Imperialis  
Spire habi-  
tus.

lenta eruptione ac terribili sæuitia suspecti erant. At tantundem effectum est in eo Conuentu, quantum in priori. Rex Ferdinandus, qui & de occupata Vngaria dolebat, & de amittendis prouincijs auitis, Austria, Styria, Carinthia &c. anxie timebat: nulla potuit à sectis auxilia impetrare, nisi pacifice ac secure agere in opinionibus suis eas permitteret. Necessitate igitur cogente, consensit in publicum decretum, quo unicuique, quantum ad fidem & religionem attineret, liceret sic agere ac statuere, ut de factis suis sciret & Deo & Cæsari rationem reddere, atque ita discessum est soluto Conuentu.

Epistolæ  
Duæ Phil.  
Melan.

Philippus Melancton, quem Illustris Princeps Elector, Dux Saxonie Ioannes, secum Spiram adduxerat: duas scripsit Spiræ epistolas, quas euulgauit. Vnam ad Regem Ferdinandum, cui titulum fecit. Præfatio in Danielcm: fuit tamen præfatio sine libro. Captata autem beneuolentia à laude tum ipsius Regis, tum aui eius Maximiliani Imperatoris, cepit suum commendare Lutherum, atque in odium trahere scriptores Catholicos. Magno in odio (inquit) multorum sunt hoc tempore nonnulli, qui sacras literas pure tractant. Aduersus hos cum Sycophantæ quidam ubique Principes concitent, nullum hoc tempore grauius est crimen, quam genuinam religionis doctrinam amplecti &c. Alteram ad Ioannem Oecolampadium, qui simul cum Zuinglio multis libris etiam aduersus Lutherum contendebat. A qua sane contentione cum, ut ueterem amicum, dehortabatur. Rogo te (inquit) ut consyderes, quantum rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti ueritatem: atque hæc multo magis periclitatur in his tam uiolentis concertationibus. Video causam uestram præsidij ingeniorum niti, & uos habere studia Theatri, non tantum manifesta, sed occulta etiam, quæ haud scio, an efficacius uobis suffragentur, quam manifesta &c. Erat autem apud Heluetios tam feruida atroxque contentio, de fide ac religione, per Zuinglium & Oecolampadium præcipue excitata, ut à uerbis ad arma peruentum sit. Tigurini enim seu Turcenses atque Bernenses, qui Zuinglianæ sectæ maxime addicti erant, assumptis in auxilium Basiliensibus, aliisque non paucis populis Helueticorum, armati processerunt in campum, aduersus Quinq; Cantones Catholicos, Lucernenses, Suitenses, Subsylvanos, Vrienses & Zugenses. Et magna utique strages edita fuisset, nisi alij Cantones, nempe Glareani, Solathernij, Friburgenses, Schafhusenses, & Appcellentenses, pro ineunda concordia uices suas interposuissent. Maiores erant uires Tigurinorum & Bernensium, proinde magis ferociebant, atque ad pugnandum anhelabant. Verum mediatores persuaserunt utriusque

Tumultus  
bellicus  
apud Hel-  
uetios pro  
pter discor-  
diam in re-  
ligione.

pari

Parti certas conditiones pacis, ut de cætero nemo ex utraq; parte propter religionem infestaretur. Articuli pacis & concordie fuere permulti, Catholicis minus æqui quàm Zuinglianis. Iussi sunt enim Catholici mox, antequàm è campo abirent, tradere in manus Sequestrorū literas sigillatas fœderis, quod cum Rege Ferdinando iniierant: ut ruptis sigillis scissisq; membranis, fœdus illud prorsus emortuum ac irritum esset. Decretum est item, ut à Regibus & Principibus nulla deinceps munera aut stipendia ulli reciperent Helveti, Vtq; Bernensibus Tiguriniscq; & eorum complicibus, pacta sua inter sese inita, firma permanerent. Neq; ad restituendum quispiam teneretur, neq; in ius uocaretur, qui Imagines aut altaria demolitus fuisset, aut sacras uestes, aliacq; Ecclesiarum ornamenta rapuisset &c. Illustris Princeps, Dominus Philippus, Habsiæ Lantgravius, ægre ferens inimicam illam inter Lutherum Zuingliumq; & Oecolampadium contentionem & discordiam, conuocauit eos in urbem suam Marpurgum, ut ibi amica disceptatione finiretur contentio. Conuenerunt quidem illi, & multi complices eorum: Atq; ut aliquid effecisse uiderentur, conscripserunt ac ædiderunt aliquot articulos, in quibus contra Catholicam Ecclesiam consentiebant inter sese, uelut Herodes & Pilatus contra Christū. Verū in Principali articulo, de Venerabili Sacramento Eucharistiæ, de quo precipue contenderant semper, hæsit ac permansit inter eos discordia. Zuingliani circumferebāt CCC. argumenta, quæ dicebant à Zuinglio fuisse obiecta Luthero. Re igitur infecta discessum est. Socius autem & amicus Lutheri, Ioannes Agricola Islebiensis, Poëticus Theologus & sacerdos, non unctus (ut ipsemet gloriatur) nec consecratus: ut in Catholicos maius conflaret Germanicæ plebis odium, ædidiit quædam Acta Concilij Constantiensis super Ioanne Hus Bohemo, qui ut hæreticus ibi damnatus atq; combustus fuit. Affirmabat eam historiam (ut uocat) fuisse conscriptam Latine à nescio quo autore, qui præsens omnia uiderit, audieritq; & expertus sit. Et ad imitationem sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ subdit. Et scimus, quia uerum est testimonium eius. Sic autem præfatur. Adeptus sum (inquit) librum Latine scriptum, quomodo probus ille amicus Dei, Ioannes Hus, Constantiæ, propter doctrinam Euangelij, à Synagoga Antichristi, combustus est. Repertus est autem is liber in Bibliotheca cuiusdam Doctoris Medicinæ, Pauli Rockenbach Citicensis, ac per bonum amicum meum, Nicolaum Krompach, Teuthonice interpretatus. In quo sane reperies, quomodo Ioannes Hus, absque omni ope & consolatione humana, solus contra maximas duas

Articuli  
pacis.

Disputatio  
Marpurgē  
sis in Habsi-  
a.

Historia  
Ioan. Hus  
Teuthoni-  
ce ædita.

Præfatio  
Agricolæ  
Islebiensis.



Liber Lut.  
de bello cō  
tra Turcas

potestates super terram, nempe Cæsarem & Papam, contra sacros Ecclesiasticos & Doctores, stetit ac uicit. Hęc ille Agricola. Verū tamen ea historia Lutheranis parum cōducit. Nam eos articulos, quos ipsi maxime affirmāt, Ioānes Hus, & in Ecclesia Constantiēsi ante degradationem sui, & foris in campo circa supplicij sui locū, publice coram omnibus negasse refertur in historia illa. Non est igitur, quod de ea historia glorientur Lutherani. Sub idem tempus, cum immineret Germaniæ Turcarum Tyrannus, librū Teuthonicum ædidi Lutherus, cui titulum inscripsit. De bello contra Turcas. In quo sane ita suadet bellandum esse contra Turcas, ut magis absterrere ab eo bello Christianos uideatur, quàm ad illud incitare. Etenim multis ibi uerbis ac folijs queritur, inique damnatum fuisse à Papa Leone X. illum articulum suum, Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo, uisitati iniquitates nostras per illos. Inter multa sane alia sic ait. Interrogetur rerum experientia, quàm prosperum nobis hactenus fuerit, bellum cum Turcis gerere, quando tanquàm Christiani & sub nomine Christi pugnaui- mus, donec tandem Rhodon totamq̃ pene Vngariam, ad hæc multam Germaniæ partem amisimus. Atq̃ ut sentire ac palpare possimus, Deum non esse nobiscum ad bellandum contra Turcas: nunquàm adhuc dedit Principibus nostris tantum animi aut spiritus in mentem, ut uel semel potuerint serio de Turcico tractare bello, quamuis pleriq̃ aut pene omnes Conuentus Imperiales, eam ob causam fuerint indicti ac celebrati. Nusquàm enim uult res disponi aut concludi, ut appareat Deū irridere Conuentus eiusmodi, ac sinere, ut Diabolus eos impediatur ac gubernet, donec Turca opportuno tempore adrepat, Germaniamq̃ absq̃ labore ac resistentia disperdat. Quare fit hoc? Propterea nimirum, ut meus articulus, quem Leo Papa damnauit, indemnatus efficaciq̃ permaneat &c. Multis præterea propositionibus incessit & criminatur atq̃ calumniatur ibi, Papam, Imperatorem, Reges, Principes, Episcopos, maxime uero Curiam Romanā, E quibus CXXXVI. extraxit Ioannes Cochlæus, sed nimis longum foret omnes recensere: satis ergo fuerit, exempli causa, unam aut alteram referre. Cæsar (inquit) nō est Caput Christianitatis, neq̃ Defensor Euangelij aut fidei. Oportet sane Ecclesiā fidemq̃ aliū habere defensorem, q̃ Cæsar & Reges sunt. Isti enim sunt ferme pessimi hostes Christianitatis & fidei, sicut Psalmus secundus ait, & Ecclesia omni ex parte queritur. Item, si dixeris, Tam malus est Papa q̃ Turca, quemadmodū tu ipse eum uocas Antichristū cum Ecclesiasticis & adhæso- ribus suis, Et è conuerso, tam bonus est Turca quàm Papa. Confi-  
tetur

Cauillosa  
propositio  
nes Luthe-  
ri contra  
Principes.

Collatio  
Papæ ad  
Turcā.

tetur enim Quatuor Euangelia Moysenq; & Prophetas. Si ergo contra Turcam bellandum sit, & contra Papam quoq; bellandum erit. Respondeo, Negare non possum, Turcam tenere Quatuor Euangelia, tanquam diuina & recta, sicuti & Prophetas tenet. Multum præterea iactitat & Christum & matrem eius: Veruntamen credit suum Mahumetum esse supra Christum. Sed Deus & Turcam & Papam simili percutit cæcitate, ut fiat eis, quod Paulus Ro. 1. dicit de peccatis contra naturam. Tam cæci enim ac furiosi sunt ambo, Papatus & Turca, ut ambo committant peccata muta absq; pudore, uelut rem honestam atq; laudabilem. Hæc & id genus multa, exprobrat ibi Lutherus inuidiosissime per improbilissimas calumnias omni Statui superiorum. Quapropter addidit in eum Ioannes Cochleus Dialogum quendam. In quo Lutherum Bicipitem facit, eò quod de bello Turcico permultas propositiones sibiipsis contrarias, in diuersis ædidit libris. Colloquuntur aut ibi tres personæ, Orator Regis Ferdinandi, Lutherus & Palinodus per L. Capitula. In quorū Vndecimo sic habent. ORA. Lutherus tuus ait, Nos hæcenus nihil habuisse prosperum aduersus Turcam. Quo sane uerbo auertere & absterrere cupit animos nostros, ne Turcis resistamus. Ait enim, Qui habet aures audiendi audiatur, & à bello Turcico absterneat, donec nomen Papæ sub cælo ualeat. Quid autem hoc aliud est, quam Patriam Turcis prodere, ac suadere nobis, ut aduenienti aperiamus portas, dedamusq; nos ultros? PAL. Ad hoc præcipue mouit eum (uti mihi dixit) quod sub Christiano proponebatur nomine bellum contra Turcam, Tanquam populus noster uocari deberet exercitus Christianorū, contra Turcas ceu contra hostes Christi. Quod est directe contra doctrinam nomenq; Christi. Contra doctrinam quidem, quæ dicit, Christianos non debere malo resistere, non bellare, non contendere, non uindicare, nec litigare. Contra nomen uero eius est, Quod in eiusmodi exercitu uix quinque forsitan Christiani sunt, ac deteriores forte coram Deo homines, quam Turcæ sunt: Et tamen omnes uolunt ferre nomen Christi. Quod sane omnium maximū est peccatum, quale Turcarum nemo facit. ORA. Siccine recantas Palinode? At longe satius esset, aperte dicere quod sentis, quam talibus fucis & ambagibus irretire populum. Certe tu ipse eiusmodi sermonem supra indicasti seditiosum atq; intolerabilem: Atq; ex Paulo probasti, Magistratus nostros gladio belloq; debere Turcas arcere, uimq; à subditis propulsare. Neq; Christus prohibuit usquam, immanitatem Tyrannidemq; Turcicam repellere. Turcas uero esse hostes Christi, tu quoq; cōfessus es supra ex ipsorum

*Heu scandalosa  
sa & nefaria  
dicta.*

*Dialogus  
Cochlei de  
bello Turcico.  
In assertione  
art. 34.*

*In lib. de bello  
cōtra Turcas.*

*In lib. de visita  
tione Saxonica*

*Rom. 13.*

**rum**

Gravis ob  
sidio & op  
pugnatio  
Viennæ  
per Tur-  
cas.

rum Alcorano. Et in facto ipso id tam euidēs est, ut insanissimum simul & uanissimum sit negare. Cæterum annus iste maxime insignis memorabilisq̄ fuit, & Turcico bello in Austria, obsidio neq̄ Viēnensi, & Cæsaris nostri CAROLI .V. Augusti profectione prima in Italiam, eiusq̄ coronatione à Ro. Pontifice Clemente VII. Bononiæ facta. Etenim Turcarum Tyrannus, Solimanus, uastata Vngaria, Viennam, Austriæ Caput, uenit Die XXI. Septembris: habens in exercitu suo CCCC. Milia militum, circundans urbem XVI. castris per circuitum, quæ ad Tria aut Quatuor Miliaria extendebantur: occupans præterea & pontem Danubiij & suburbia. Ciuibus & præsidio militū nihil relinquebat præter urbem. Iussi fuerant urbem excedere Mulieres, pueri, sacerdotes, Monachi & omnis imbellis turba, quæ magna ex parte in manus hostiū incidit, apud quos summa crudelitas, nulla erat misericordia. Infantes dissecuerunt medios: Mulieres ac senes, quos in seruitutem abducere nolebant, perfoderunt palis, transfixerunt ueribus, disciderunt gladijs. Fecerunt præterea longissimas excursions ad X. aut XII. Miliaria Germanica, omnia uastantes, nulli parcentes ordini, sexui aut ætati. Rex Ferdinandus fortissimo munierat urbē præsidio. In quo sane lectissimi erant milites, quorum supremus Capitaneus erat Illustrissimus Dux Bauariæ, Rhenicq̄ Palatinus, PHILIPPVS. Inuexerat præterea tormenta bellica maxima & optima quæc̄q̄, quorum precia uix duo regna (uti nonnulli dicunt) æquare possent. Hostes qui Bombardas magnas non aduexerant (quia urbem subito occupare intendebant præueniendo imparatos) maxima urbi præsidioq̄ pericula intentabāt cuniculis antrisq̄ subterraneis, quibus urbem uelut pensilem faciebant, & imposito puluere tormentario, eoq̄ incenso, terribilissimis fragoribus rupturisq̄ muros demoliebātur. Vrbe magna ex parte muris nudata, fecerunt creberrimas oppugnationes, sed inuictum præsidij robur semper cum damno eos repulit: adeo, ut Turcæ tandem, quamuis fustibus gladijsq̄ à suo Tyranno ad oppugnandum adigerentur, statim tamen retrocesserint. Interea Rex Ferdinandus, qui in oppido Lintz, uelut in specula, ad Danubium morabatur, magna undiq̄ conciebat auxilia, ut obsessis opem ferret, quorū magna pars in procinctu iam erat. Quod ubi animaduertit Turca, soluit obsidionē incensis castris suis die XVI. Octobris, & inglorius Constantinopolim reuersus est, magnis acceptis in terris & aquis per inediaam & frigora incōmodis, non solum in rebus & machinis, sed etiam in hominibus Camelisq̄ & equis. At Pijssimus Cæsar noster CAROLVS longe optatius, felicis,

foelicius, gloriosusq; in Italiam ex Hispanijs nauigauit. Non exegit à subditis uiolenter pecunias, uti Turca à suis per omnes prouincias exegerat: sed tanta erat Hispanorum erga eum dilectio, ut offerrent ultro longe plures, & milites & pecunias, quam alius uiminisq; extorquere potuisset. Etenim uiri Mille Quingenti, sua sponte obtulerunt suę Maiestati singuli Milles Ducatos aureos in Quatuor annos, absq; omni Interesse (ut uocant) aut lucro. Multi ex Principibus obtulerunt: Vnus C. equites, CCC. pedites; Alius plures, alius pauciores, quos die & anno suis impensis & stipendijs Cæsari militare ac seruire iusserunt. Priusquam uero ex Hispanijs Cæsar abiret, Rex Franciæ per mulieres, per matrē scilicet suam, & per amitam Cæsaris, pacem & concordiam ab eo impetrauit, relicta tota Italia, numeratisq; pro filiorum liberatione, qui uice sua obsides & captiui tenebantur in Hispanijs, Vicies Centenis Milibus aureorum. Vbi uero in Italiam Cæsar peruenit, totam aduentu suo pacatam reddidit, excepta una urbe Florentia, quæ reiecto Cæsaris arbitrio, nolebat ad instantiam Papæ, In-clytam familiam de Medicis in urbem recipere, quam uiolenter expulerat. Propter eam igitur cōtumaciam Cæsariani Milites urbem illam obsederunt, & post grauissima incommoda ad deditio-nem compulerunt. Recepto autem in gratiam Francisco Sfortia, Duce Mediolani, per intercessionem Ro. Pontificis, eoq; in Ducatum illum restituto: geminam à summo Pontifice coronam, prius ferream, deinde auream, Bononiæ consuetis Cæremonijs, magna cum laude, gloria, triumpho, omniumq; gratia & lætitia suscepit.

Fœlix & gloriosus transitus Cæsaris nostri in Italiã ex Hispanijs.

Germanis autem fuit annus ille grauis & molestus, non solum à metu & periculo belli Turcici, & à sectarum importunis contentionibus: Verum etiam à duobus malis fatalibus. Quorum alterū fames erat, & omnium rerum penuria, quanta in hominum memoria nunquam fuerat: Alterum pestis quædam, quæ sudor Anglicanus dicebatur. Malum sane adeo uehemens & lethale, ut intra XXIII. horas homini sano uitam eriperet, nisi diligentissima cura sudorem illum quibuslibet fomentis euinceret. Non erat ea pestis Germanis prius cognita, itaq; obierunt multi, priusquam Medici curandi modum adinuenerint. Vinum uero ita fuit acerbum eo anno, ut præ acredine sua, bibi non facile posset, adeoq; uile ac insipidum cum tempore factum est, ut necq; acetum ex eo fieret, sed ad omnia prorsus inutile, in uanum effundebatur.

Grauis annus apud Germanos

Acta

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXX.*

Catechis-  
mus Luth.



Dieta Im-  
perialis ad  
Augustam  
indicta.

**L**utherus, quanquam suis complicibus, quomodo docere ac prædicare deberent, multa præscripserat, uelut legislator quidam & nouus Moyses, Tū in Postilla sua, Tum in Visitatione Saxonica: Attramen tanta permansit inter cōcionatores suæ sectæ uarietas & discordia, ut necessarium ei uisum fuerit, aliam rursus præscribere docendi formulam, quam Catechismum inscripsit. In quo sane libro & X. præcepta Dei & Orationem Dominicam, Symbolumq̃ Apostolorum longe aliter exposuit in plærisq̃ locis, quam ante X. annos fecerat. Præscripsit item & fidem & usum duorum Sacramentorum, Baptismi scilicet & Eucharistiæ nouo modo, nec plura Sacramēta agnoscit. Quamuis enim ad confessionē ibi exhortetur populum; eam tamen longe aliam facit, quā instituit sancta Mater Ecclesia. Permittit enim confitenti, dicere non omnia quæ scit se peccasse, sed ea quæ uult: ut à sacerdote consilium consolationemq̃ & absolutionem recipiat. Eius postea exemplum sequuti alij nonnulli, qui se aliquid esse existimant, multos ædidere Catechismos: Sed ita, ut nullus cū alio per omnia concordet. Eo autem modo pueris puellisq̃ & primæ adolescentiæ, nituntur sua dogmata sic instillare per conciunculas uespertinas, uelut cum lacte imbibita, ut actis in teneris pectoribus firmis radicibus, per omnem ætatem infixæ maneant, nec ulla uersuasiōne eue eradicari queant. Pro pueris itaq̃ Catechismos suos præcipue conscribunt. Cæsar, cum adhuc in Italia esset, publico Edicto indixit Principibus, alijsq̃ sacri Ro. Imperij Statibus, Conuentum Imperialem Augustæ apud Vindelicos celebrandum, in diem Octauam Aprilis, propter duas præsertim causas: Nempe, ut & discordia in religione aboleretur, & contra Turcas certa bellandi ratio, quæ duratura esset, communi consilio inueniretur. Mitissime igitur inuitauit eo Edicto omnes Imperij Ordines, ut in causa religionis liceret unicuiq̃ parti suam proponere opinionem, explosisq̃ discordijs, una omnium fides, sinceraq̃ religio, stabili deinceps cōcordia seruaretur. Atq̃ ut omnis abesset metus, ac doli periculicq̃ suspicio, addixit omnibus securitatem ac fidem publicam, seu saluum conductum. Vnde factum est, ut frequentissimus celeberrimusq̃ fuerit ille Ordinum Imperij Conuentus. In quo non solum Lutheranis, sed etiam Zuinglianis libere ac secure licuit, suæ fidei confessionem publice coram Cæsarea Maiestate, omnibusq̃

omnibusq; Imperij Statibus, ex scripto recitare. Cæsaris enim aduentus, eiusq; nota clementia & publicus amor, omnes alliciebat.

Inter primos igitur, qui Augustam conuenerunt, fuit Illustriss. Princeps Elector, Dux Saxoniae Ioannes. In cuius comitatu erant & alij nonnulli Principes, nempe filius eius Dux Ioannes Fridericus: Duo fratres Duces Luneburgenses, Ernestus & Franciscus: Et Princeps ab Anhalt Vuolfgangus, Splendida praeterea Nobilitas, & cum ijs doctrinae Lutheranae Antesignani: quorum praecipuus erat Philippus Melanchton. Adduxerat & Lutherum ipsum per bonam itineris partem, Ad Augustam tamen usq; non perduxit, eò quod esset à Cæsare in Edicto Vuormaciensi pro hæretico notorio damnatus & proscriptus. Volebat eum sub saluo conductu reseruari in quadam urbe Imperiali propinqua, sed responsum est ei à Senatu, non licere sibi cõtra Cæsarem assecurare quenquam. Itaq; reliquit eum in munitissima arce sua Koburg. Cæsaris autem aduentus fuit aliquanto tardior, propter magnos honores & pompam apparatus, quibus honorificentissime excipiebatur ubiq; per terras Venetorum, per terras auitas comitatus Tyroli. In quibus occurrebat & excipiebat eum summo & gaudio & splendore, frater suus Rex Ferdinandus, eiusq; populus Suaciensis, qui nominatissimas habet fodinas argenteas, donauit eum nummo uno argenteo, qui Mille ac DCC. aureos precio æquabat, omnia Cæsaris stemmata uenustissime repræsentans. Et per terras Ducum Bauariae, qui in pulcherrima urbe sua, quæ Monacum dicitur, nullo non exhibito honoris genere, illum Quatriduo retinuerunt, simul cum Rege Ferdinando, & Cardinale Campegio sedis Apostolicæ Legato. Die autem XV. Iunii, in profesto corporis Christi, cum Cæsar appropinquasset urbi Augustæ: occurrerunt ei obuiam omnes Principes & Status Imperij, quorum omnium nomine Reuerendissimus & Illustrissimus Dominus ALBERTVS, Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus ac Magdaburgensis, Princeps Elector, uelut Archicancellarius Imperij per Germaniam, decentissima oratione eum excepit: Verum tamen priusquam adirent, omnes ab equis descenderunt in occursum ad L. aut LX. passus. Sed & Cæsar ipse una cum fratre suo, ut uiderunt, mox ab equis descenderunt honoris gratia. Facti autem urbi propinquiores, excepti sunt suppliciter deuotione à Senatu populoq; Augustensi, qui pedestres procedebant: habebant tamen & Equites aliquot accuratissime exornatos, & cohortes Quatuor ad Duo Milia peditum. In ipsa autem urbe expectabat aduentum eius Reuerendissimus Dominus, Christophorus à Stadio, Episcopus Augustensis,

Dux Saxoniae Ioannes Princeps Elector.

Iter Cæsaris ex Italia in Germaniam.

Aduentus Cæsaris ad Augustam

Lutherani  
recusarunt  
in proces-  
sione Cor-  
poris Chri-  
sti ire cum  
Cæsare.

Processio  
splendida.

Cæsaris ira  
placata cœ-  
ptū est agi  
publice.

gustensis, cum omni Clero suo, qui Cæsarem sub Tensa deduxerunt in Ecclesiam Cathedralem, peractisq; ibi ab Episcopo benedictionum Cæremonijs, decantatoq; hymno, Te Deum laudamus; Cæsar in Episcopi Curiam, quæ Palatina dicitur, uelut in hospitium suum concessit, alijsq; omnes in sua redierunt diuersoria, uespere iam in crepusculū inclinato. Cæsar & illo uespere adhuc, & altero die mane per suos egit cū Electore Saxonie, alijsq; Principibus Lutheranæ factioni adhaerentibus, ut antiquo more irent simul cū Maiestate ipsius, alijsq; cum Principibus ac Statibus Imperij, in processione publica, qua deportaretur Venerabile Sacramentum corporis Christi. Illis autem excusantibus sese, & multa obtendentibus, quæ circa eam rem suæ obfisterent fidei: petijt tandem, ut si nollent propter honorem Dei comitari, facerent saltem propter ipsum Cæsarem, ut Vasalli & Principes Imperij. At nec ea ratione persuaderi potuerunt. Vnde factum est, ut processio- nis tempus usq; in meridiem protractum fuerit. Cæsar uero nihilominus una cum alijs Principibus ac Statibus Imperij, suisq; cum Proceribus Hispanicis Burgundijsq;, eam processionem deuotissime simul & splendidissime peregit. Venerabile Sacramentum portabat Primas Germaniæ, Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus, quem deducebant Rex Ferdinandus à dextris, & Marchio Brandeburgensis Elector Imperij Ioachimus, Domini Moguntini frater Germanus, à sinistris. Ante ipsum Sacramentū procedebant sæculares Principes, ante eos Magistri Curiae, Caduceatores, Heroldi, Buccinatores tum Cæsaris tum Regis, ante quos præcedebant Proceres utriusq; Curiae totusq; Clerus. At pone Sacramentum sequebatur ipse Cæsar nudo semper capite, quamuis in ardentissimo sole, quadrifidam in manu facem ardentem gestans: Post eum omnes Archiepiscopi & Episcopi. Iussu autem & prouidentia Cæsaris, omnes tum Principes & Proceres gestabant quadrifidas faces ardentes in cera albata: tum longissima processione diuersi generis Musici decantabant in laudem Dei, et Tensam, sub qua portabatur Sacramentum, semper alternatis uicibus gestabant seni Principes sæculares. Lutheranorum uero contumaciā Cæsar ægerrime ferens, uoluit, ut mox altera die cum saluo conductu abi- rent domum. Alij autem Principes, pacis & concordiae auidi, supplicarunt eius Maiestati, ut sedata ira, daret eis publicam audien- tiam, iuxta tenorem Ediçti, per quod uocati fuerant. Quorū peti- tioni acquiescens Imperator, Die XX. Iunii incepturus Acta publi- ca, iussit omnes Principes ac Status Imperij adesse in Ecclesia Ca- thedrali. Vbi Missam quidē celebrabat Primas Germaniæ supra- dictus

dictus: Orationem uero Latinam disertissime habuit ad Principes R. D. Vucientius Pimpinella, Archiepiscopus Rossanus, Nuncius Apostolicus, Cardinalis nancq; Campegius, summi Pontificis Legatus de latere, Podagra & articulari morbo præpeditus, publicis actibus raro interesse potuit. Aderant & Lutherani Principes, tum in Missa tum in Concione: Quibus peractis, ad publicum in Prætorio confessum ex Ecclesia solenni more processum est: Elector Saxonie ante Cæsarem de more equitans, gladium euaginatum gestabat. In confesso autem publico, generalis facta est rerum agendarum propositio. Ne qua uero seditio in tanta hominum multitudi-  
 ne, ac linguarum religionumq; diuersitate oriretur: Cæsar Mille conduxit pedites, qui & portarum custodias & nocturnum uigilias seruarent. Publico præterea Edicto cavit, ac per omnia Plætearum capita promulgauit, sub grauissima pœna, ne fierent publicæ conciones ad populum, nisi in Ecclesia Cathedrali ab eo, qui ordinarius ibi erat Concionator. Id enim necessariũ uidebatur mandatum: Quandoquidem ante Cæsaris aduentum, in multis locis diuersæ habebantur conciones æmulatione quadam, dum unusquisq; turbam ad se trahere conaretur: Hic Lutherani, istic Zuingliani, alibi Catholici concionabantur. Maximus uero erat populi concursus ad Monasterium fratrum Minorum, in cuius æde amplissima concionabatur Apostata quidam Zuinglianus, homo facundus & ad concitandum populum idoneus & acer. Qui librum Iosue tunc ad populum declamabat, ea sane ratione, ut omnia aduersa, quæ regibus terræ Canaan ibi contigisse memorantur, homo ille in Cæsarem Principesq; nostros minaciter contorqueret, sectæ suæ homines filijs Israël, populo Dei, assimulans: ut eo commento confortaret illos in hæresi sua, ne metu Cæsaris ad Catholicam redirent Ecclesiam. Cæterũ Cæsar antiquo Romanorũ exemplo, ac laudabili religiosoq; Maiorum instituto, causam religionis omnibus alijs causis necessitatibusq; præferens: In proximo confesso publico audientiam dedit Lutheranis Principibus, qui ex scripto fecerunt recitari fidei suæ confessionem Teuthonice, per D. Christianum Beyer: quam et Latinam exhibuerunt, cuius Architectus præcipuus fuerat Philippus Melancton. In qua sane post exordium cõmemorantur XXI. Articuli de fide ipsorum. Deinde annectuntur alij articuli, in quibus recensentur abusus (ut aiunt) mutati, quorum Tituli sunt. De utraq; specie, De coniugio sacerdotum, De Missa, De confessione, De discrimine ciborum, De uotis Monasticis, & De potestate Ecclesiastica. In articulis de fide multa dissimulabant, quæ antea aliter docuerant. In articulis de abusus

Prouidẽtia  
Cæsaris cõ  
tra tumultus.

Conciona  
tor seditio  
sus.

Confessio  
fidei Luthe  
ranorũ reci  
tata.



Aperta mē  
dacia incō  
fessione illa

poterat astutus ille Architectus uel manifestorum arguimenda-  
ciorum. Ait enim, falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam  
aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia  
celebratur: seruantur & usitatæ Cæremoniæ fere omnes, præter-  
quam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ.  
At manifestū erat omnibus, Lutherū multis antea annis & librum  
de abroganda Missa priuata scripsisse, & sacrum Canonem tam  
maïorem quam minorem explosisse: Ipsumq; sacrificium, tum La-  
tine in libro de captiuitate Babylonica, tum Teuthonice in sermo-  
ne de nouo Testamento, sustulisse ac abnegasse. Atq; etiam postea  
rursus cōtra Missam plurima scripsit, quæ pijs auribus abominan-  
da sunt, non solum in eo libro Teuthonico, quem de Missa angu-  
lari & sacerdotum consecratione inscripsit: Sed etiam in quadam  
epistola optat, ut apud omnes homines tanta foret inter Missam  
& Sacramentum differentia, quanta est inter tenebras & lucem,  
immo inter Diabolum & Deū. Optat item omnibus bonis Chri-  
stianis tale cor, ut quando audierint hanc uocem Missa, exterrean-  
tur, seq; benedictione muniant, tanquam contra Diaboli abomi-  
nationem. Sic & De confessione ait in mēdaci confessione sua Phi-  
lippus. Confessio in Ecclesijs apud nos non est abolita. Non enim  
solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. At  
constabat plane, nullum Lutheranorū intra X. annos rite sua pec-  
cata occulta confessum fuisse. Cæsar pro innata sua clementia ac  
bonitate, omnia ad finem usq; patienter audiuit, acceptoq; exem-  
plari cœtum dimisit: profunda enim iam erat uespera. Examinandæ  
autem & confutandæ illius confessionis curā negociumq; Theo-  
logis Catholicorum Principum demandauit. Qui cum intra pau-  
cos dies bene ac rē copiosamq; responsionem adornassent (in qua  
non solum quæ erronea erant, scripturis & rationibus confutarūt:  
Verum etiam circa ea quæ recta erant, ostenderunt Lutherum suis  
cum complicibus antea longe aliter docuisse atq; scripsisse) exhibue-  
runt eam Cæsari: Cæsar Principibus Catholicis. Quoniam uero  
auidi pacis & concordia omnes erant, uisum est eis, lenius respon-  
dendum, atq; omittendum, quicquid illorum concionatores antea  
docuissent aut scripsissent aliter, quàm eorum habebat confessio.  
Dum autem mutaretur confutandī modus, abierunt dies aliquot.  
Exhibitus deinde breuior modus, iterum cōsultatione Principum  
in disquisitionem uenit, sub quam persona recitari deberet ipsa  
confutatio. Ea Principum disceptatio, uariaq; confutationis tran-  
scriptio, rem ultra tres Septimanas extraxit. Interea gloriabantur  
Lutherani, non solum Augustæ in colloquijs apud quoslibet, sed  
etiam

etiam per literas ad diuersas ciuitates, Papistas obmutuisse ad ipsorum Confessionem. Quando uero in publico Cæsaris & omnium Principum confessu recitata fuit per Alexandrum quendam Cæsaris A secretis Teuthonice, multi è Lutheranis inepte cachinnabantur, alij scripturæ citatos locos scripto excipiebant, ut postea repræhenderent. Vbi aut perlecta fuit usq; ad finem, approbauerunt eam Cæsar, & omnes cum eo Principes Catholici, atq; à Lutheranis Principibus petierunt, ut ipsi quoq; eam acceptarent & comprobarent. At illi petebant sibi exemplar confutationis tradi, Quod Cæsar ex iustis causis tradere noluit, nisi sub certis conditionibus: Nempe, ut seruarēt apud sese, & non communicarent alijs, antequam Cæsar iuberet. Illi eo pacto recipere noluerunt. Atq; ita discessum est è confessu. Cæsar non æquo ferebat animo eorum contumaciam: Illi sub publica fide tuti, non magnopere timebant.

Alij Principes & Status Imperij, uerentes, ne Cæsar propter obstinatam illorum indurationem, grauius commoueretur, ac de seuerioribus cogitaret remedijs: suas interposuere partes, Cæsariq; supplicarunt, ut sineret cum illis amplius tractari de concordia circa religionem. Vbi consensit Cæsar, fecerunt delectum certarum personarum ex omni ordine et Statu Imperij numero XVII, ut eo facilius rem expedirent, ubi non esset opus, omnium totius Imperialis confessus personarū uota sigillatim exquirere. Delecti sunt igitur Duo Principes Electores, Moguntinus & Brandenburgensis: Quibus additi sunt Tres Oratores aliorum trium Electorum, Coloniensis, Treuerensis, & Comites Palatini Rheni, & Georgius Truchses à Vualburg Baro, nomine Domus Austriæ. Tres item Episcopi, nempe Saltzburgensis, Spirensis & Argentinensis. Tres præterea Duces, Georgius Saxonix, Henricus Brunswicensis, & Albertus Meckelburgensis: Et insuper Abbas Vineæ, Comes Martinus ab Ottingen, Cancellarius Badensis, Orator Ratisponensis, & Orator Iuliacensis. Iste igitur delectus petijt à Lutheranis, ut ad colloquium cum eis uenirent in domum Capitularē Maioris Ecclesiæ Augustensis, die Dominica, quæ erat Septima Augusti, festa Diuæ Affræ: Illi haud grauatim uenerunt. Facto autem confessu, Marchio Brādeburgensis Princeps Elector, uir facūdissimus nomine Delectus cœpit illos exhortari lōga ac benigna oratione, ut uelint acquiescere uoluntati Cæsaris, & cōcordiam in fide & religione cū ipso et alijs Imperij Principibus ac Statibus redintegrare. Verendum enim esse, nisi ita fecerint, grandia inde mala exortura esse, bella seditionesq; & uastationes prouinciarū. Hec est summa orationis. Illi post bidui deliberationē responderunt per D.

Delectus  
Principum  
qui cū Lu-  
theranis a-  
gerent de  
concordia.

Colloquiū  
cū Luthera-  
nis habi-  
tum.

Gregorium Bruck, uirū egregie disertū, qui in omnibus fere Tractatibus cōmune os & organū eorum fuit. Primum igitur inique ferebant, in admonitione adiunctas esse minas. Deinde responsum in Quatuor extēderunt articulos. In quorū Primo causabantur, se nō sufficiēter auditos esse à Cæsare, iuxta tenorē Edicti citatorij. In Secundo, quod exemplar confutationis non sit eis libere absq̃ cōditionibus aggrauantibus traditum. In Tertio, quod non possent absq̃ conscientiarum suarum grauamine, confutationem non plene uisam approbare. In Quarto, quod in proximo Conuentu Imperiali, Spiræ habito, promissio conclusioq̃ facta sit de celebrando Concilio, & nihil sit effectum. Et hoc responsum in scripto tradiderunt, quod & ore iam recitatum fuerat. Delectus uero Principum ac Statuū Imperij, rursus per Marchionē Brandenburgensem Electorem responderunt: protestantes primum, sese omnia amica ac fideli intentione, tanquam erga cognatos affinesq̃ & amicos suos, agere, nihil animo offendendi aut minandi dixisse aut dicturos esse. Quæ autem de malis superuenturis dixerunt, eò referenda esse, quod metus sit, si absq̃ concordia & determinatione discederetur ex isto Cōuentu: multitudinem plebis rursus in seditiones & tumultus excitatū iri, unde ipsis & toti Nationi Germanicę grauisima possint oriri incommoda. Deinde responderunt ad Quatuor articulos. Ad primum sane, Quoniam Cæsar clementissime audierit eorū confessionem, & ore & scripto propositā, iusseriteq̃, ut si plura adhuc proponenda haberent, proponerent, ut super omnibus una fieret consultatio & responsio, admiseriteq̃, ut post datam à sua Cæsarea Maiestate responsionem, per Principes & Satus Imperij, amice cum ipsis ulterius tractaretur de concordia. Non esse igitur causandum contra Cæsarē, tanquam non satisfecerit suo Edicto. Ad secundum uero, Non uideri iniquas fuisse conditiones, quibus Cæsar Confutationis exemplar tradere uoluit, quoniā ipsimet sciant ac meminisse possint, quomodo Edictum Vuormaciense fuerit ab eorum Concionatoribus publice ac palam derisum, despectū & peruersum: In opprobrium, contemptum, & irrisionem, tum Cæsareæ Maiestatis, tum omnium aliorum Principum Statuumq̃ Imperij. Voluit igitur Cæsarea Maiestas, ut ista sua Responsio non cōmunicaretur alijs ante tempus, ne quid simile contingeret: Cum non ignorēt, legibus quoq̃ sub pœna capitis prohibitum esse, ne publice adunatis turbis de fide disceptetur. Ad tertium autem responderunt cum ueniæ p̃fatione, Quod illi uideantur sibi facere conscientiam, ubi non est opus: Vbi uero maxime opus esset, ibi nullam faciant. Maxime

Responsio  
Delectus  
ad Qua-  
tuor articu-  
los Luthe-  
ranorum.

Cōscientia

xime enim timere deberent suis conscientijs, quod ab Ecclesiæ unitate recedunt, quod Apostatis plus credunt, quàm Ro. Ecclesiæ, quàm sanctis patribus, Generalibusq; Concilijs: quod illis contra leges & Canones, multa permittunt in subuersionem multorum. Hoc saltem consyderare uelint, quàm sint illi diuersi & contrarij inter sese, quàm multas in sectas discindantur, quàm malos pepere- rit eorum noua doctrina fructus. Longe igitur tutius fore ipsorum conscientijs, Cæsari ac toti Ecclesiæ consentire, quàm talibus Apo- statis suas credere animas. Ad Quartum deniq; articulum re- spondentes excusauerunt Cæsarem, quod propter grauissima duo bella, quorum alterum aduersus regem Franciæ eiusq; fœderatos, alterum aduersus Turcas Viennam obsidentes, gerebatur: non po- tuerit celebrari Concilium, quodq; non ignorarēt ipsi, Lutherum Vuormaciæ nihil fecisse Concilia, nec ad hoc persuaderi à Princi- pibus ac Satibus Imperij potuisse, ut causam suam futuri Concilij determinationi submitteret, eumq; interim scripsisse multa aduer- sus Concilia, quibus eorum autoritatē populo uulgari contempti- bilem fecit. Rogabant igitur, ut his omnibus perpensis, mallent in concordiam cum Cæsarea Maiestate & cum tota Ecclesia redire, quàm cum periculo suarū animarū in schismate permanere. Quod si scirent ipsi aliam concordandi uiam, proponerent, ut ad Cæsa- ream Maiestatem de ea referri possit. Cum autem Lutherani hanc responsionē iniquius ferrēt, quod uideretur tangere eorum animas, honorem, conscientiam ac obedientiam Cæsari debitam: perierunt tempus deliberandi, ut accuratius respondere possint. Hoc eis facile concessum est: Marchio tamen publice interrogauit omnes, qui in delectu erant, An non omne, quod ipse dixit ac re- censuit, communi omnium consilio decretum fuerit: Et omnes con- fessi sunt, ita esse. Lutherani ergo in sua responsione multo uerbo- rum exquisitorum furo se ab obiectis excusarūt, maxime negan- tes, quod separauerint se à generali Ecclesia, aut quod Cæsari ullam culpam ascribant, aut quod Edictum eius irriserint, quod uē Conci- lijs non debitum tribuerint honorem. Quod uero alij scripserint aut fecerint, id sibi imputari non debere. Cæterum de alia uia con- cordandi id dederunt consilij, ut ex utraq; parte in pari, attamen paruo, numero, quædam personæ, quæ & rem intelligerent, & ad pacem concordiamq; inclinatae essent, deligerentur: ut super con- tentiosis articulis inter se inuicem benigne & amice tractarent, si quo modo possint concordiam inuenire. Vnde factum est, ut minor delectus ex utraq; parte factus sit. Catholici sane delegerunt septem duntaxat personas, nempe Duos Principes, Duos Iure- Concilium

cōsultos, & tres Theologos: Vtpote Episcopū Augustensem Christophorum, Ducem Brunsvicensē Henricum (& post eius iussu Cæsaris abitionem, Ducem Saxonix Georgium) Cancellarium Archiepiscopi Coloniensis, Cancellarium Marchionis Badensis, D. Io. Eckium, D. Conradum Vimpinam, & D. Io. Cochläum. Totidem personas delegerunt quoq; Lutherani, atq; etiam in tali differentia: Nempe Duos Principes, Ioannem Fridericum filium Electoris Saxonix, & Marchionē Brandenburgensem Georgium: Duos Iureconsultos, D. Gregorium Bruck, & D. Heller, Tresq; Theologos, Doctoratu tamen Theologiæ non insignitos, Philippum Melanchtonem, Ioannem Brentium, & Io. Schneppium.

Tractatus  
eorum.

Isti ergo sic delecti, Die XVI. Augusti, peracto prandio, conuenerunt in Exedra quadam Prætorij, ubi præmissis varijs proœmijs & consultationibus, ubi confessum fuit, proposita est Lutheranorum Confessio, ut illa examinaretur articulatim. In primo igitur confessu illo, concordauerunt mutuis ac benignis uerborum interpretationibus in XI. Articulis, confedentes usq; in extremam uesperā: Altero die iterum confederunt & ante & post prandium. Vnde factum est, ut circa XXI. articulos illius Confessionis, quæ ad fidem pertinent, concordarint in XV. In tribus ex parte discordia mansit, & Tres ad posteriorem Confessionis partem remissi sunt. Cæterum circa septem articulos, quos de abusibus inscripserant, durius diutiusq; laboratum est: Necq; in ullo ad plenum concordia reperta est, quamuis strenuè ab utraq; parte inuigilatum fuerit. Die itaq; XXII. Augusti, fecerunt Catholici eiusmodi

Delectus  
adhuc mi-  
nor, inter  
Tres &  
Tres.

actorum relationem in publico confessu ad omnes Principes Statusq; Imperij. Qui ubi intellexerunt, rem in pluribus ad concordiam spectare, & in paucioribus (quæ utiq; in concordiam reduci possent abscedente pertinacia) hæere discordiam: Ut res citius perageretur, adhuc minorem fecere delectum. Delegerunt sane Tres tantum, Duos Iureconsultos supra dictos Cancellarios, & Vnum Theologum. D. Io. Eckium. Quibus mandatum est, ut cum totidem personis ex altera parte delectis, Duobus Iureconsultis, & Philippo Melanchtone, agerēt super ijs, quæ hætenus concordata non erant. Attentauerunt quidem illi rem aliquot uicibus: Nihil tamen efficere potuerunt. Et iam festinabat ad abeundum Elector Saxonix, qui ultra III. Menses Augustæ cum suis fuerat. Cunctq; Catholici intellexissent, Lutheranis displicere, quod illi tractatui nullus interesset Princeps: decreuerunt, ut denuo confederent illi septem & septem, qui prius delecti fuerant. Elector aut Saxonix longioris moræ impatiens, petijt à Cæsare missionem:

Discessum  
est sine con-  
cordia.

&

& abiit cum suis. Interea dum hæc agerentur Augustæ, Lutherus uarios ædidi libellos Teuthonice, quibus & Cæsarem Germanis, & Episcopos plebi ac Nobilitati odiosos reddere studebat, & ij libri, non solum per diuersas Germaniæ urbes spargebantur, sed & Augustam mittebantur, atq; etiam palam prope curiam Electoris Saxoniae interdum uendebantur. Quorū unus erat quædam epistola ad Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum. In qua declarabat Psalmum secundum: Quare fremuerūt gentes, Quasi conuenissent Principes Augustam aduersus Christum & Euangelium eius. Et in fine illius epistolæ, tanquam zelans Germaniæ defensionem, odiosissime in Papam inuectus, Cæsarem quoq; perstrinxit, quod Coronam Imperialem a Papa receperit, absq; Germanorum Principum præsentia: Adiecta hac Ironia, iuxta tenorem Bullæ, in hæc tandem uerba concludens, Non possum non sollicitus esse pro paupere, misera, derelicta, contempta, prodita ac uendita Germania, Cui nihil mali, sed omne bonum faueo, ut deo dilectæ patriæ meæ. Ex Eremo, feria Quarta post Visitationis, Anno 1530. Alium uero librum scripsit ad omnes Ecclesiæ Prælatos in genere, quem inscripsit, Admonitionem ad Ecclesiasticos Augustæ, in Dieta Imperiali congregatos. In quo sane tanta est & suæ doctrinæ, nouæq; institutionis Ecclesiasticæ commendatio, & Episcoporum omniumq; Ecclesiæ Cæremoniarum & obseruationum repræhensio, ut nihil possit ad concitandum in Clerū Laicorum odium scribi uehementius: & tamen omnem illam amarulentiam suam uestiuit prætextu bonæ intentionis consilijsq; ad pacem. Ad longum ibi commemorat suæ doctrinæ beneficia, quibus purgauerit ab erroribus & abusibus Ecclesiā, & Episcopos liberauerit à Papæ Tyrannide, & à Monachorum importunitatibus. Et ea sic magnificat atq; gloriatur super ijs in malitia sua, ut nullus Regum aut Imperatorum ea præstare potuisset. Recenset item articulatim abusus, De Indulgentijs, De Confessionalibus, De Confessione, De Pœnitentia. Vbi ait sentinam ipsiusmet Inferni esse, adeo, ut si Episcopis omnis alia abominatio ignosceretur ac condonaretur: ista tamen nunquam ignosci queat, quæ & Infernum repleuerit, regnumq; Christi crudelius deuastauerit, quam Turca aut totus mundus unquam facere possit. Docuistis enim nos (inquit) satisfaciendum esse per nostra opera pro peccatis, etiam erga Deum, & hoc dicitur, pœnitentiam agere pro peccatis. Quid iam hoc aliud est dicere, Oportet te pro peccatis tuis satisfacere, quam istud. Oportet te Christum negare, Baptisma tuum reuocare, Euangelium blasphemare, Deū mendacij arguere, remissionē

Libri Lutheri calumniosi tunc æditi.

Liber contra Ecclesiasticos.

Verba Lutheri de satisfactione pœnitentiæ

peccatorum

Quid non alii  
fit calumniari  
de blasphema-  
re Lutherus,  
quod tot scriptu-  
re locos de a-  
ge nda pro pec-  
catis poeniten-  
tia reijci: et  
condemnat?

peccatorum non credere, sanguinem ac mortem Christi pedibus calcare: Spiritum sanctum uiolare, per te ipsum eiusmodi uirtutibus in caelum ascendere: Ah quæ linguæ ac uoces hac de re sufficienter loqui possunt: Quid hæc igitur fides aliud est, quam Turcarum Gentiumque & Iudæorum fides? Qui omnes quoque per opera sua satisfacere uolunt. Ex hac (inquit) abominatione omnes aliæ uenerunt, easque necessario inde uenire oportuit: Nempe, tot Monasteriorum Collegiatarumque Ecclesiarum sanctitatem propriam, cum suis cultibus diuinis, Missarum sacrificia, Purgatorium, Vigilias, Fraternitates, Peregrinationes, Indulgentias, Ieiunia, Cultum sanctorum, Reliquias, Spiritus tumultuantes, totamque processionem Infernalis ambitus. Hæc & id genus multa ibi exprobrat.

Verba Lu-  
th. pro satis-  
factione.

At uero in tractatu Colloquij, quod erat inter septem & septem, circa XII. articulum Lutheranicæ confessionis, ubi cum hæssisset discordia, propter satisfactionem, quam dicimus tertiam poenitentiae partem: dictum est primo uespere illo, Cochlæo & Philippo, ut altero die mane ea de re quicquam pro concordia afferrent. Attulit itaque Cochlæus locum unum ex Septicipite, quem Lutherus contra Indulgentias in assertionem XLI. articulorum (quos Leo Papa X. in Bulla publice damnauerat) circa Quintum scripserat, In hæc sane uerba. Ecclesia mater, pio affectu prouentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdã, ne incurrant flagella Dei: Sicut Niniuite operibus suis spontaneis prouenerunt iudicium Dei. Hæc poena arbitraria est (inquit) non in totum, ut illi uolunt, sed tamen necessaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per Indulgentias tollunt omnino. Cum si essent præpastores, potius imposeret poenas, & Ecclesiae exemplo præuenirent Deum, sicut Moyses eum præuenit, occidendo filios Israël,

Septiceps c. 31.

Confusi ru-  
bore Lu-  
therani per  
ea uerba.

propter peccatum uituli aurei. Optimum autem fuerit, si nos ipsos puniremus. Hæc ibi Lutherus. Quæ cum in confesso essent à D. Io. Eckio ex scheda recitata, Septem Lutherani, se inuicem intuentes, paululum tacebant: Philippus proxime absidens, suffuso rubore uultu dicebat, Scio hæc scripsisse Lutherum. Cuncti nihil adderet amplius, Dux Ioannes Fridericus dicebat, Quando scripsit hæc? forsitan ante X. annos. Dicebant Catholici, Quid tum? satis est nobis, hanc ipsiusmet sententiam esse. Tunc ira commoti Brentius & Sneppius, dicebant, Se non adesse, ut Lutheri scripta defenderent, sed ut suam assererent confessionem. Missa ergo facienda esse ea Lutheri scripta. Hinc, ut ulterius procederetur, hanc sua ma-

Verba Phi-  
lippi Mel.

nu scripsit sententiam Philippus. Non recusamus Tres partes poenitentiae ponere, scilicet Contritionem, quæ significat terrores incussos

culos conscientiae agnito peccato, Confessionem, sed in hac oportet respicere ad absolutionem, & illi credere. Non enim remittitur peccatum, nisi credatur, quod propter meritum passionis Christi remittatur. Tertia pars est Satisfactio, uidelicet digni fructus poenitentiae: Sed propter satisfactiones concorditer sentimus, non remitti peccata quo ad culpam. Verum de hoc nondum conuenit, utrum necessariae sint satisfactiones ad remissionem peccati quo ad poenam. His ita scriptis à Philippo, ad ulteriora processum est.

Cum in eodem Tractatu circa Quartum articulum, Catholici nolent admittere, Nos sola fide iustificari, quandoquidē & Iacobus Apostolus id non admittit: Ita concordatum fuit, ut dicatur quidem, nos fide iustificari, sed non sola fide. Quia id nulla scriptura habet, sed potius contrarium. Et D. Io. Eckius addidit iocum, ut hæc uox, Sola, remittatur ad Calcearios, qui probe intelligāt, quid Teuthonice sola sit, & sciant sola commode uti. Omissa igitur hæc uoce, Sola, concordatum est, quod Iustificatio seu Remissio peccatorum, fiat per gratiam gratum facientem & fidem formaliter: Per uerbum uero & Sacramenta instrumentaliter. At Lutherus cum esset eodem anno interrogatus à quodam amico, Cur in Paulo ad Rom. 3. diceret in Teuthonico, hominem iustificari sola fide: Cum id Paulus nō diceret, Et per hoc daret Papistis ansam calumniam di Teuthonicam eius translationem. Ipse superbissime magno cum contemptu Papistarum illi respondit. Primum ut ita diceret Papistis. Si Lutherus certo scire potuisset, omnes Papistas in unum coniunctos, ita habiles existere, ut uel unum Capitulum in scriptura nossent recte ac bene in Teuthonicum uertere, quod ea uoluisset esse humilitate, ut eos orasset pro ope & adiutorio ad uertendum nouum Testamentum. Deinde, ut eis diceret, Lutherum uertisse nouum Testamentum in Teuthonicum, iuxta summam diligentiam facultatemque suam, & per hoc neminē coëgisse ut legat. Summum itaque esse Testamentum, suamque Interpretationem, si errauerit ibi, nolit super hac iudices pati Papistas: quia habeāt adhuc nimis longas ad hoc aures, & eorū Ika Ika sit nimis debile, ad iudicandum super Interpretatione ex Latino in Teuthonicum. Ipsum quidem scire probe, eos uero minus scire quam animal molitoris, quid artis, diligentiae, rationis & intelligentiae requiratur ad bonam Interpretationem: Quia non sunt experti. Qui si duo prima uerba Matth. 1. Liber generationis, interpretari deberent, nullus eorum sciisset ad hoc dicere Gack, & iudicant mihi nūc totum opus, pulchri sane socij. Si ergo (inquit) Papista tuus multa uult garrere de hac uoce, Sola, ei confestim dicito sic. Doctor Martinus Luther

De sola fide  
de iocus  
D. Eckij.

Superba  
censura Lu  
the. contra  
Papistas.

uult



Confessio  
Zuingliana  
Quatuor  
Ciuittatum.

uult sic habere, & dicit, Papistam & asinum esse rem unam: Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. Nolumus enim Papistarum scholares aut discipuli esse, sed magistri ac iudices. Hæc & id genus ibi multa cōtemptim & superbe Lutherus. Augustæ uero post Lutheranos, aliã fidei Confessionẽ exhibuerunt Cæsari Oratores Quatuor Ciuittatum Imperialium, Argentinenſis, Constantienſis, Memmingenſis, & Lindauienſis, qui sectam sequebantur Zuinglij. Quamuis uero Catholicis exosa esset ea secta, maxime, quod negabant ueritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, Missamq; prorsus abolebant, & demoliebantur altaria, Ciboria, Imagines sacras, & alia Ecclesiarum ornamenta: iuxta tenorem tamen Edicti Cimatorij, concessa est illis publica audientia. In qua coram omnibus Imperij Statibus, recitata est eorũ Confessio: Adeo sane astute comptis uerbis adornata, ut simplicioribus, uelut per omnia probabilis, facile imponere posset, adeo bene fucata habebat speciem pietatis. Quam Cæsar per eosdem Theologos, qui Lutheranam confutauerant Confessionem, confutari iussit, quorum confutatio publice itidem recitata est. Cæsar itaq; serio ab illis petijt, ut dimissis erroribus cum Maiestate sua, atq; cum alijs Imperij Principibus ac Statibus, in fide & religione consentirent. Illi uero respondebant, se ad hoc non habere mandatum aut commissionem à suis ciuittatibus. Petebant autem exemplar confutationis, ut suis exhibere possint. Quod Cæsar iustis rationibus denegauit, quamuis uellet permittere, ut eis bis aut ter aut sæpius recitaretur, si audire uelint. At illi pertinaces in opinione sua perstiterunt.

Recessus à  
Cæsare Lu  
theranis da  
tus.

Cæsar discessuris Lutheranis certos proposuit articulos in publico recessu: Nempe, ut intra XV. diem Aprilis proxime futuri darent sigillatum responsum, An per omnia cū sua Maiestate, & cum alijs Principibus Statibusq; Catholicis, in fide conuenire uelint necne. Item, Ut interea temporis nihil noui in causa fidei sinerent in terris suis ædi aut uenundari. Item, Ut aliorum subditos non allicerent (sicut hæcenus factum fuerat) ad suam sectam, nec ab antiqua fide abducerent. Et si qui adhuc essent in terris eorum, qui fidem tenerent Catholicam, ne cogere eos in sectam suam, neq; ab antiquis ritibus arcerent. Item, Ut aduersus Zuinglianos & Anabaptistas cum Catholicis conuenirent, ad consulendum, quid contra eos agendum sit. Verum illi eiusmodi articulos recipere noluerunt, & sine concordia discesserunt. Cæsar autem nihilominus postea cum omnibus alijs Electoribus Statibusq; & alijs Principibus in generali recessu (ut uocant) firmiter conclusit, ut omnes constantissime in prisca Maiorum suorum religione

Generalis  
Recessus.

ligione ac fide permanerent. Hæc acta sunt Augustæ & ab omnibus sigillatim subscripta Die XIX. Nouembris. Deinde discesserunt omnes, Cæsar & Rex, frater eius, & multi cum eis Principes, descenderunt uersus Coloniam: Alij domum, reuersi sunt. Cæterum Lutheranorum Confessio per Typographos diuulgata fuit, & typis excusa Augustam uenit, antequam solueretur Principum conuentus. Cæsar quoq; commiserat quibusdam Theologis, ut Confutationem illius Augustæ Typographo alicui excudendam traderent. Cuncq; ea de re Cochlæus iam cum Alexandro Vuiffenhorn Typographo, qui aliquot eius opuscula iam antea excuderat, egisset: abiit Illustriss. Princeps, Dux Saxonie Georgius, clementissimus Dominus & Patronus eius, cum quo & illum abire oportuit, propter uiarum pericula: Alij alijs occupati negocijs, additionem Confutationis omiserunt. Atque inde factum est, ut in hanc usque diem ædita non fuerit ea Confutatio, luce aliqui non indigna.

Confutatio  
cur non est  
typis excusa  
sa.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXI.*



Um Cæsar alijsq; Principes ac Status Imperij, in generali Recessu constanter conclusissent, permanendum esse in antiqua fide ac religione patrum, nihilq; innouandum aut mutandum, ante Generalis Concilij determinatione: Lutherus, qui probe sciebat, quam fortiter essent Electori Saxonie confederati aliquot Principes ac Ciuitates sectæ suæ, cœpit ferocissime proteruire, edens Teuthonice libellos duos. Quorū unum inscripsit, Glosam in Prætensum Edictum Imperiale: alterum, Premonitionem ad Germanos suos dilectos. In utroq; sane protestatur nequissime, se non suadere ad bellum aut seditionem, cum interim nihil faceret studiosius aut uehementius, diffamando atq; criminando, non solum Papam & omnes Ecclesiasticos Prælatos: Verum etiam Cæsarem, omnesq; Principes Catholicos, quos uocat proditores ac sceleratos nequam, mendacesq; nebulones &c.

Duo sedi-  
tiosi libelli  
Luth. contra  
Cæs.

In Glosa uult omnibus persuasum esse, confictū fuisse sub nomine Cæsaris recessum Augustensem, quem Edictum uocat. Contra quem sic scripsit Cochlæus Teuthonice. Quis es tu, infamis intestabilisq; ac damnate hæretice, ut ausis, publicum ac legitime constitutum, atq; unanimiter conclusum recessum totius Ro. Imperij, hoc est, Generale Decretum Imperiale, dicere prætensum uel puta-

Mendacitū  
Lut. de Recessu seu  
Decreto  
Imperiali  
Augustæ  
facto.

T tiuum

Numerus  
Principum  
ac Statuū  
Imperiū.

Cōuitia et  
criminationes  
Luth.

tiuum Edictum Cæsareum: Cum manifestum sit, & negari non possit, quod illi Recessui & decreto, non solum proprijs manibus subscripserunt Cæsar ipse, Electores item aliqui, Principesq; alij & Prælati, Comites ac Barones permulti, Qui personaliter præsentibus fuerunt. Sed & alij non pauci Principes, Prælati, Comitesq; & Barones: Ciuitates item tum liberæ tum Imperiales, per suos legitimos ac plenum habentes mandatū, Procuratores missosq; Oratores, itidem subscripserunt absentes, tanquam præsentibus (Etenim in calce illius recessus, cōmemorantur subscripsisse, siue per seipsos, siue per legitimos Procuratores aut Oratores suos, Quinq; Electores, Principes alij: Ecclesiastici quidem XXX. Sæculares uero XXIII. Abbates XXII. Comites & Barones XXXII. Ciuitates deniq; liberæ ac Imperiales XXXIX.) Verum etiam plenum robur addiderunt, appensis sigillis, tum ipsius Cæsareæ Maiestatis, tum quorundam Electorum aliorumq; Principum ac Dominorum, loco omnium aliorum, Desperato igitur Apostatæ in eiusmodi libris nihil prorsus fidendum aut credendum est, qui non erubescit, tot Principum ac Statuum Imperiū, ipsiusq; Cæsaris subscriptiones, sigilla item & literas rejicere, calumniari, reprobare. Vbi mendacium eius, usq; adeo manifestum, potest per literas & sigilla in os eius retorqueri uisibiliter atq; etiam palpabiliter: Ita, ut facile suffocaretur, si omnia ea sigilla faucibus eius intruderentur. Hæc ille, contra inscriptionē ac protestationē Lutheri. At liber ipse nihilo melior aut uerior est ipsa inscriptione, aut protestatione eius. Etenim circa principium uehementer conuiciatur, quod in Recessu scriptum est, Lutheranorum confessionem fuisse per sacras literas, iustasq; rationes confutatam. Vocat autem ipsam confutationem (eò quod Lutheranis in manus tradita non fuit, nec ædita) Noctuum ac Vespertilionem, quæ lucem fugiat, ut nō ausint eam Catholici in lucem dare. De utraq; autem specie agens, præsupponit iam omnibus persuasum est, Christum in Euangelio præcepisse, ut Laicis detur utraq; species: Hoc usus fundamento, miris conuictijs ludibrijsq; & criminationibus insectatur quedā uerba Edicti, nempe, quod Ecclesia instinctu spiritus sancti, bonisq; rationibus, salubriter instituerit, ut extra Missam una tantum species porrigatur. Hic meretricem uocat Ecclesiā Papæ, hic alias iacitat Ecclesias sub utraq; specie Laicos communicantes, hic Ecclesiam & peccare & errare affirmat: hic queritur Christum à Papistis mendacem fieri, hic Ecclesiæ uolentiam iniuriamq; à Papistis illatam inculcat: hic docet, Ecclesiæ neq; credendum neq; obediendum esse, si præter & extra uerbum Christi loquatur aut instituat aliquid: Hic peccant

cant in spiritum sanctum Papiste, & impœnitentes descendunt ad Inferos. At tandem post multa folia libri, sic minando concludit. Confidenter (inquit) blasphemate Papistici Asini, dū tempus habetis, Breui aliter fiet: Interim Edictū huiusmodi nemo seruet, nisi filij Diaboli. De Missa scribens ibi, multis primum Ironijs irridet uerbum Cardinalis Campegi, de latere Legati, qui ad Cæsarem dixisse fertur, Se malle in frustra discerpi, quàm permittere, ut Missa aboleatur aut mutetur. Deinde irridet uerba Edicti, quæ iubent utrunq; seruare in Missa Canonē, aliasq; consuetas Cæremonias. Ait ergo Ironice. Quoniam per instinctum spiritus sancti & per Euangelia, confutata est nostra confessio: oportet in Euangelijs reperiri utrunq; Canonem, Casulas & calices, rasuras & Cappas: uendere Missas sex nummis, animabus in Purgatorio, nauis in mari, mercatoribus in terra, ægrotis in domo, & omnibus in quibuslibet causis: In summa, nundinas & negociationes ex Missa facere. Ita mi frater, quid uideatur tibi de his magistris? Multa dicuntur, quod Aquilæ Lyncesq; acute uideant: At collatæ ad hos magistros, prorsus cæcæ sunt. Qui in Euangelijs uidere possunt ambos Canones, uestes, ac omnis generis nundinationes Missæ. Hi possunt profecto acuti uocari Doctores, qui alicubi altius quàm inter Gallinas sederunt. Post multa uero ad amarulentias calumniasq; reuersus ait. Sed quid multa aduersus procaces blasphematores & impœnitētes Papæ Asinos disputem? Est, ut dixit Episcopus Saltzburghensis, Ah quid uultis reformare nos sacerdotes, qui nunquam boni fuimus. Estote igitur non boni, ac manete non boni in Dei uestri, Diaboli nomine. Quid ergo conamini reformare nos, quos confitemini bonos esse, iustamq; habere causam? Non satis est, uos nebulones ac Dei proditores esse, quemadmodum inuerecunde iactitatis uosmetipsos? &c. De libero arbitrio, quum in Edicto diceretur error ille non humanus, sed pecuinus ac blasphemia Dei: Ibi post longam criminationem, ignominiosam affert similitudinem de porcis, dicēs. Perinde atq; si doctū & illustre pecus, Porci, in Imperiali Conuentu suo concluderent. Nos porci præcipimus, ne quis teneat Muscatam esse preciosam speciem aromaticā: Quid uero sit, nos nescimus. Arbitramur autem, aliqui quod sint siliquæ: Nonnulli, quod sint fursura: aliqui, quod sint brassicæ folia: aliqui, quod sint preciosa opipera rusticorum sub sepibus. Sic & nostri docti ac Illustres Porci Augustæ tam sapienter agunt, & interea blasphemant ueritatem Dei, uelut rem pecuinam ac blasphemam. De sola fide, cū in Edicto præciperetur, ne doceatur posthac, nudam fidem solam, absq; charitate ac bonis operibus, iustificare:

Ironia Lut.  
contra Mis-  
sam.

Conuitia

Ignominio-  
sa compara-  
tio Princi-  
pū ad por-  
cos.

Calumnio-  
sa irrifio  
Lut. in Pa-  
pistas.

T ij ficare:

ficare: Ibi magno cum contemptu ait Lutherus, Quid boni Porcini Doctores eiusmodi intelligant de hoc sublimi ac sacro articulo, cum ne humiles quidem articulos ferre queant. Veluti, Quod uir possit habere uxorem, & mulier maritum: Quod homo possit edere ac bibere, quicquid ei Deus dederit ac procurauerit: Quod Christianus possit utranque speciem Sacramenti sumere, et id genus plura. Indignum foret, ut tam stolidum pecus foedi que porci hanc Muscatam olfacere deberent, taceo edere ac uesci. Sine eos docere atque credere, eum peccare mortaliter, qui in suppellicio pedit, & eum esse damnatum, qui in altari Ventum emittit. Veruntamen quum uideam (inquit) quod hunc praecipuum articulum Diabolus semper blasphematur per suos Porcinos Doctores, necque quiescere aut cessare potest: Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini nostri Iesu Christi indignus Euangelista, quod hunc articulum (Fides sola, absque omni opere, iustificat coram Deo) firmum atque inconcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus simul cum omnibus daemoniis, & debent insuper habere ignem Infernalem super capita sua, & nullam gratiarum actionem. Hic esto meus Doctoris Lutheri Instinctus a spiritu sancto, uerumque ac sanctum Euangelium. Haec & id genus multa impudenter iactitat nunc minando & terrendo, nunc gloriando & insultando, saepissimeque calumniando Lutherus, De celibatu sacerdotum, de Euangelio suo, de bonis Ecclesiasticorum, aliisque rebus. Tandem sub finem libri, gloriosum de seipso canit Encomium & Epinicion. Ego (inquit) Doctor Martinus uocatus atque coactus in hoc fui, ut fierem Doctor, absque mea uoluntate, ex mera obedientia. Ibi oportuit me Doctoris officium suscipere, & Charissimae meae scripturae sacrae iurare ac uouere, ut ipsam fideliter ac pure praedicarem ac docerem. Inter docendum ergo cecidit mihi in uiam Papatus, uoluique me prohibere: Id successit ei, sicut praeg oculis est, & adhuc semper peius succedet. Ego in Dei nomine atque uocatione, super leonem & serpentem ambulabo, & super catulum leonis atque Draconis calcabo, idque in uita mea debet inceptum, & post mortem meam perfectum esse. Sanctus Ioannes Hus de me prophetizauit, quando ex carcere Constantiae in Bohemiam literas misit. Nunc assabunt quendam anserem (Hus enim anserem dicunt) At post Centum annos, audient cantare quendam Cygnum, quem pati debent. Haec ibi Lutherus. In altero autem libello, quem Praemonitionem inscripsit, adhuc multo uanior est mentiendo,

Ferocia  
Lutheri de  
sola fide.

Encomium  
Luth. de se  
ipso.

endo, gloriosior iactando, terribilior minando, maligniorq; calumniando. Certe Cochlæus mox è primis duobus Duernionibus illius libri, excerpfit & confutauit XV. minas & mendacia. Quorum ultima duo sic habent. De cætero (inquit) non unum aut alterum Papistam, sed totum Papatum super me oneratum uolo, quousq; iudex in cælo signum faciat. Neq; uolo, neq; possum mihi timere à talibus Dei hostibus. Eorum proteruita, est mea animositas: eorum ira, meus risus. Item, Nolo hominum cōscientias dimittere oneratas hoc periculo ac metu, tanquam seditiosa sit eorum repugnatio. In tali enim casu nomen istud nimis est & malum & graue. Oportet aliud habere nomen, quod iura bene inuenient. Non oportet omne id seditiosum esse, quod cruenti canes seditiosum criminantur. Ad hæc ita respondit Cochlæus Teuthonice. Magnifica quidem uerba Lutheri non desunt, sed re ipsa nihil habent in se præter peccatū, nequitiam, miseriam, cladem, damnatumq; tum temporale, tum sempiternum miseræ plebis, quam ille per iniquam rapinam suos aut suum populum uocat. Quid enim infortunatum hoc Diaboli caput effecit hæctenus, nisi calamitatem unam post aliam? Profecto Iudex in cælo sat signorum iam pridem fecit, si credere uelimus. Multi ex nobilitate per has Lutheri machinationes iuerunt in ruinam. Multi præterea eruditi, multo adhuc plures agricolæ, neq; item pauci ex ciuibus, uel cæsi in prælijs, uel morti in iudicijs publicis adiudicati sunt. Et uehementer timendum est, ne in altero sæculo adhuc multo peius accepti sint. Maior nanq; pars eorum, uelut hæretici, perfidi, rebelles, atq; Apostatici Christiani hinc decesserūt. Quos illic Iudex Christus, pro suis agnoscere non potest: Quoniam ab illo & ab eius Ecclesia Catholica ad Apostatam quendam Monachum defecerunt, qui uelut alter Nemroth uiolentus ac potēs uenator, dicere audeat. Ego & mei: Suos uocans, quos nullo iure acquisiuit. At sceleratus Iudas iste, suos proditorie tradit, non solū Diabolo (sicut agricolas tradidit) per defectiōnem, per schisma, per antiquas hæreses: Verum etiam Cæsari ac Papæ, quibus per uerba propria suos in manus ad supplicia ultro tradit, uelut nequissimus ac scelestissimus proditor. Quid ita? Quia ait sic. Seditio non est, quando quis contra ius agit: Alioqui omnis transgressio iuris diceretur seditio. Verum is dicitur seditiosus, qui Magistratum & ius ferre non uult, sed inuadit atq; impugnat ea, & uult ea opprimere, ac per seipsum dominari, iusq; cōstituere &c. Hinc ergo sequitur, quod Lutheranorum repugnatio plane seditiosa sit, Cur ita? Quia Magistratum & ius ferre non uolunt. Quod si quis eorum id mihi neget aut inficias eat: huic publice his

Verba Lutheri.

Falsa de seditioe excusatio.

Responsum Cochlæi.

Luth. proditor suorum

Prouoca-  
tio Coch-  
lai contra  
Luthera-  
nos quosli-  
bet.

Lutherus &  
sui, ius & lu-  
dicem ferre nō  
possunt neq;  
uolunt: quia  
manifeste &  
notorie here-  
tici sunt & se-  
ditiosi, contra  
omnia iura, di-  
uina & huma-  
na.

Falsæ glo-  
riationes  
Luth.

scriptis nunc oblatum à me uolo & ius & Magistratum, sub peri-  
culo corporis & uitæ, ad experiendum cum eo super doctrinis &  
actis Lutheri: ad standum secum iuri coram Magistratu, usq; ad  
determinationē causæ: ad sistendū pedem pedi, atq; etiā ad iacen-  
dum in carcere aut captiuitate, usq; ad definitiuam sententiam Iudi-  
cis. Quis eorum hic animosus est: Hic sane uidebo, an Lutherus se-  
rio dixerit tam turgida ac ferocia uerba. Non est noua hæc mea ani-  
mositas & prouocatio: Dixi eam Luthero ipsi Vuormaciæ in fa-  
ciem, & in publicis scriptis eandem sæpe repetiui, & in ea adhuc  
semper firmiterq; persisto, quo diutius, eo constantius. Neq; fugio  
lucem: Non subrepto in angulum, quando res serio agitur. Quem-  
admodum Lutherus fecit, & pridem post Comitia Vuormacien-  
sia proditorie, & nuper sub Augustana Comitia meticulose. Palam  
ac manifeste comparui in Comitij Imperialibus Vuormaciæ,  
Nurenbergæ, Spiræ atq; Augustæ, quando hisce de rebus ageba-  
tur. Et frustra expectaui, an ullus Lutheranorum ibi propter eius-  
modi uerba uellet me conuenire, aut iudicio mecum experiri. At in  
hanc usq; diem nullus eorum uenit, ut periculum de me faceret. Hoc  
tamen nequaquam mihi laudi esse uolo, quasi ego tantæ sim eru-  
ditionis. Agnosco enim me pro omnium minimo, quantum ad eru-  
ditionem ingeniumq; attinet: Sed cupio hunc honorē tribui, tum  
Christo Domino, cuius promissis, Ecclesiæ ab eo factis, usq; adeo  
nitor & confido: Tum sponsæ eius, sanctæ matri Ecclesiæ, quam  
Diuus Paulus, 1. Timoth. 3. uocat columnam ac firmamentum ue-  
ritatis. Hæc ibi Cochlaeus. Cæterum nimis longum foret, cuncta  
Lutheri mendacia tumidaq; uanæ gloriæ iactantias, ex uno illo  
eius libro recensere, dum gloriatur de pacificis fidelibusq; suis ad  
Ecclesiasticos editis admonitionibus, ac de tranquilla sua doctrina,  
deq; ualidis suis ac suorum ad Deum precibus pro Papistis: & de  
suis protectionibus, quibus solis à seditiosorum ui conseruati sint  
Papistæ. Et quod omnium impudentissimum, uanissimumq; ac  
nequissimum est, sæpe iactitat, Papistas probe scire ac ultro confi-  
teri, Lutheri doctrinam uerum ac merum esse Euangelium: Neq;  
tamen desistere à persequendo illud cōtra proprias ipsorum con-  
scientias. Cunctq; eo in libro toto nihil potius quærat, quàm ut Cæ-  
sari alijsq; Principibus Catholicis rebelles atq; infensos reddat  
eorum subditos: attamen perfricta fronte protestatur, se non sua-  
dere, ut subditi mandatis aut uiolentijs eorum resistent. Atq; inter  
atrocissimas iniurias, criminationesq; & calumnias, quas in Cæ-  
sarem aliosq; pios Principes ei aculatur creberrime, Cæsarem inter-  
dum laudando, parti suæ gratiam quærit. Hæc sane sunt uerba  
eius,

eius. Hoc est fidele consilium meum. Si Cæsar uocauerit subditos ad arma, & parti nostræ, propter causam Papæ, aut propter doctrinam nostram, bellum inferre uoluerit: Quemadmodum Papistæ nunc horrendè gloriantur ac ferociunt (ego autem id de Cæsare nondum credo) Ut in eo casu nullus hominum in hoc uel usum sui præbeat uel Cæsari obediat, sed certus sit unusquisq; sibi à Deo id uehementur prohibitum esse, ne Cæsari tali in casu obediat. Quicumq; uero ei obedierit, is sciat, se Deo inobedientem esse, corpusq; & animam æternaliter eo bello perdere. Cæsar enim tunc agit, non solum contra Deum & ius diuinū, uerum etiam contra proprium ius suum Imperiale, contra iusiurandum, obligationemq; suam, & contra sigilla literasq; suas. Aduersus eiusmodi calūnias scripsit Cochleus Teuthonice libellum, ad Doctorem Gregoriū Bruck, qui præcipuum fuerat os Lutheranorum Augustæ. Inter multa alia sic dicens. Nosti Augustæ multum ac serio tractatum fuisse de causa fidei, at huius insimulationis contra Cæsarem, nunquam factam à parte uestra mentionem, sed utranq; partē adduxisse Euangelium sacrasq; literas: At uero in intellectu tantum & interpretatione scripturarum fuisse discordiam. Quamuis uero cunctis actionibus interfueris, atq; loquendo & scribendo multum ex parte uestra feceris: nunquam tamen intellexi, quod uos Cæsaream Maiestatem tam impiæ ac Tyrannicæ intentionis argueritis, tanquam Euangelium bello persequi uelit. Si enim Cæsar talis esset Tyrannus atq; Apostata, qui bello Euangelium (quod est uirtus Dei in salutem omni credenti, Ro. 1.) insectari uel intenderet uel conaretur: esset profecto Imperiali corona, officioq; ac dignitate prorsus indignus, ac perderet per hoc omnem autoritatem ac Iurisdictionem in Imperio: omnem subiectionem Homagiumq; Principum aliorumq; Dominorum, qui feuda atq; Regalia ab eo suscipiunt, nobisq; uilior peiorq; esse deberet quouis Pagano, Iudæoq; & Turca. Quemadmodum diuina scriptura iusq; utrunq; Ecclesiasticum scilicet & Ciuile, præscribunt ac definiunt. Iam inter omnes retro Cæsares, à magno & primo Constantino illo usque ad hunc CAROLVM Quintum, nullus omnino tantæ impietatis insimulatus fuit: quantumuis multa ac magna scelera, persecutionesq; & Tyrannides, pleriq; eorum alioqui exercuerunt, Excepto uno Apostata, Cæsare Iuliano, qui à Christo ad Idola defecit, Iulianus Euangeliumq; persecutus est: Non tamen bello sanguinisq; effusione (quemadmodum Lutherus nostro pio, Catholico, ac religioso Imperatori non ueretur imputare) sed edictis tantum & interdictionibus, ne prædicaretur Euangelium publice, De quo Eutropius,

Verba Lutheri. ne subditi obediant Cæsari contra Lutheranos.

Verba Cochleii contra calumnias Lutheri in Cæsarem scriptas.



qui cum eo aduersus Parthos ac Persas militauit, sic scribit. Nihilominus religionis Christianæ insectator, perinde tamen, ut cruore absti-

Tres causæ  
Luth. cōtra  
Cæsarem.

neret. Hæc & id genus ibi multa Cochlæus. Lutherus autem in sua Præmonitione Tres præcipue causas recenset, propter quas Cæsari ad bellum contra Lutheranos gerendum, nemo subditorum obedire debeat, easq; magnis ampliationibus odiosisq; & concitatis criminationibus extendit. Prima (inquit) causa, quod Cæsari obedire ac militare nō debeas in tali casu, hæc est. Quoniam tu (quemadmodum & Cæsar ipse) in Baptismo iurasti, Euangelium Christi seruare, non persequi nec impugnare. Iam uero nosti probe, Cæsarem in hoc casu per Papam incitari ac decipi, ad belli-

Manifestū  
mendaciū.

gerandum contra Euangelium Christi: Quandoquidem doctrina nostra palam inuenta est Augustæ, quod sit uerum Euangelium ac sacra scriptura. Idcirco ad Cæsarem aut Principem tuum, te ad bellum tale uocātem, sic dicito. Bone Cæsar, bone Princeps, quando seruas iuramentum promissumq; tuum, quod in Baptismo iurasti, charus es mihi Dominus, eroq; tibi obediens ad bellandum quodcumq; uolueris: Sin minus, alium tibi quære, qui obediat. Ego propter te nolo Deum meum blasphemare, uerbumq; eius insectari, ac tecum tam animose in abyssum Inferni currere ac desilire. Hæc (inquit) causa prima, multas alias casq; magnas ac horribiles causas in se compræhendit. Quisquis enim contra Euangelium pugnat, hunc pariter pugnare oportet contra Deum, contra Iesum Christum, contra spiritum sanctum, contra preciosum sanguinem Christi, contra eius mortem, contra uerbum Dei, contra

Gravis ca  
lumnia.

omnes articulos fidei, contra omnia Sacramenta &c. Turca sane tam insanus non est, ut contra suum Mahumetum, aut contra suum Alcoranum pugnet aut insaniat, sicut faciūt Diaboli nostri, Papistæ, qui contra proprium suum Euangelium, quod pro uero agnoscunt, furunt atq; insaniunt: Atque per hoc faciunt Turcam purum sanctum, se uero meros ac ueros Diabolos. Secunda causa est (inquit) Etiam si doctrina nostra non esset uera (Cum tamen ipsi omnes aliter sciant) hoc saltem te absterrere maxime deberet, Quod tali bello onerares te, atq; participem te faceres coram Deo omnium abominationum, quæ in toto Papatu, & contigerunt prius, & deinceps contingent. Hæc causa compræhendit in se innumeras abominationes & omnem malitiam, omne peccatum & scandalum, breuiter, est ipsamet abyssus Infernalis cum omnibus peccatis: Quorum omnium te participem esse oportet, si Cæsari obedieris in hoc casu. Hic horrendis criminationibus enumerat Lutherus peccata, scandala & scelera omnium statu-

tuum Ecclesiasticorum, maxime Papæ atque Cardinalium, qui-  
 bus nefandissima quæcūq; imputat, tanquam pro eorum sceleri-  
 bus manutenendis pugnandum foret Cæsaris mandato. Et  
 ultra crimina uitæ, commemorat abusus circa Indulgentias, circa  
 Purgatorium, circa Missas, circa Venerationes sanctorum, circa  
 Confessiones auriculares, circa Excommunicationes &c. Summa  
 (inquit) est, Omne quod docet ac faciunt, eo tendit, ut nos à Chri-  
 sto ad sua ac nostra opera ducant. Et nulla est literula tam parua in  
 eorum doctrina, nec ullum opus adeo modicum, ut non abneget  
 ac blasphemet Christum, uiolentēq; fidem in ipsum, ducatq; misera  
 corda tum ad impossibilia, tum ad desperationem: Quemadmo-  
 dum & uerus Antichristus facere debet. Tertia causa est (in-  
 quit) quod si in tali bello Cæsari obedieris, non solum omnia eo-  
 rum mala in te suscipere ac defendere: Verū etiam optima quæcūq;  
 quæ per Euangelium recuperata sunt atq; instituta, abolere ac ex-  
 terminare te oportebit. Hęc quoq; causa in se multa comprehendit:  
 Euangelium enim nostrum multa ac magna bona effecit. Nemo  
 antea sciuit, quid sit Euangelium, quid Christus, quid Baptismus,  
 quid Confessio, quid Sacramentum &c. Summa, Nihil prorsus sci-  
 uimus, quod Christianus scire debet. Omnia sunt per Papæ Asinos  
 obscurata & oppressa: Sunt utiq; Asini, & quidem magni, rudes  
 & indocti Asini, in negocijs Christianis. Nam & ego unus eorum  
 fui, & scio, me hic ueritatē dicere. Et infra. Hic oportebit te coope-  
 rari, ut omnes Teuthonici libri, Nouū Testamentum, Psalterium,  
 Orationalia, Cantualia, & quæcūq; nos scripsimus de multis re-  
 bus bonis (quod ipsimet fatentur) comburātur. Oportebit te coo-  
 perari, ut nemo sciat X. præcepta, Pater noster, & Credo: Ita enim  
 prius fuit. Oportebit te cooperari, ut nemo de Baptismo, de Sa-  
 cramento, de fide, de potestatibus, de statu matrimonij, nec de Euan-  
 gelio quicquam discat. Hęc & id genus plurima ibi, ad concitan-  
 dos plebis seduētē affectus, artificiosa calliditate grandisonisq; am-  
 pliationibus commemorat Teuthonicus Rhetor iste. Sed & in  
 ipsam Conuentum Imperialem dire alicubi exclamat, dicens. O in-  
 felices omnes, qui ex parte Papæ Augustæ fuistis. Pudori eritis  
 cunctis successoribus ac posteris uestris, qui non poterunt iucun-  
 de audire nomina uestra, quod habuerint tam infelices maiores.  
 O turpem Dietam Imperialem, qualis nunquam uel celebrata uel  
 audita fuit, nec unquam celebrabitur audieturūe, propter tam tur-  
 pem actionem: Quam oportet cunctis Principibus, totiūq; Imperio  
 sempiternam esse maculam, quæ nos Germanos omnes & coram  
 Deo, & coram toto mundo rubore confundit. Quid ad hæc dicit  
 Turca

Graues cri-  
 minationes  
 contra Pa-  
 pistas.

Falsa facta  
 tia Luth. de  
 suo Euan-  
 gelio.

Exclama-  
 tiones Lut.  
 cōtra Prin-  
 cipes Ger-  
 mania.

Turca totumq; Imperium eius, quando tam inauditam tractationem de hoc nostro Imperio audierit: Quid dicent Tartari ac Moscovitæ: Quis de cætero sub toto cælo timebit sibi à nobis Germanis, aut aliquam de nobis existimationem habebit, quando audierint, quod sinimus, maledictum Papam cum laruis suis sic facere ex nobis fatuos, stultos, pueros, immo trūcos ac stipites: ut propter eorū sceleratam, Sodomiticam, turpemq; & doctrinam & uitam, tam turpiter, immo plus quàm turpiter, in publicis Comitijis Imperij, cōtra iustitiam & ueritatē, agamus: Merito pœniteret unumquēq; Germanum, se & Germanum natum esse, & Germanum dici. Miras præterea minas interdum profert. Satis diu uixi (inquit) mortem bene merui, ac Dominum meum Christum de Papatu egregie uindicare cœpi. Ipsi post mortem meam, Lutherum primo recte sentient: Quamuis & nunc, si in Papali ac sacerdotali seditione interfectus fuero, mecum recipiam agmen quoddam Episcoporum, Presbyterorum ac Monachorum, ut omnes dicturi sint, Doctore Martinum magna cum processione ad sepulturam deductum esse. Est enim magnus Doctor supra omnes Episcopos, Presbyterosq; & Monachos: Idcirco & ipsos oportebit cum eo ad sepulturam ire super dorsa, ut de hoc & cantica & confabulationes fiant. Atq; ita peragemus ultima uice peregrinationem quādam simul. Ipsi quidem Papistæ in abyssum Inferni deorsum, ad suum Deum mendacij ac homicidij, cui mentiēdo ac interficiendo seruiērūt: Ego uero ad Dominum meum Iesum Christum, cui in ueritate ac pace seruiui. Aduersus hunc librum Lutheri, usq; adeo malignum contumeliosumq; prodijt é Dresda libellus quidam paruulus, à Laico quodam Teuthonice scriptus, Cuius ita habet initium. Lutherus iam rursus libellum quendam ædidit, quem uocat Præmonitionem ad dilectos suos Germanos. Verum iustius uocaretur Seductio, atq; incitato ad rebellionem atq; seditionem: Quandoquidem re ipsa nihil aliud in eo quærit, quàm ut nos Germanos faciat & à Cæsare deficere, & omnibus potestatibus rebellare. Quam insidiosis dolis, mendacijs, clamoribus atq; præstigijs id faciat, ac quoties Diaboli nomine ad hoc utatur, uiderint ac responderint illi, qui semper dicūt, cum esse uirum sanctum, & cum eo esse spiritum Dei. Primum igitur scribit, Eorum, qui Lutherani non sunt, intentionem stare super uim, eosq; causam suam constituere super dextras. Idcirco euenire inde oporteat uel seditionem uel bellum: Vtrum horum cōtingat, Lutheranos fore innocentes, qui neq; consilium, neq; causam ad hoc dederint. Quàm uerum aut sit istud, probe testari sciunt ij, qui quotidie uident atq; audiunt,

Minæ Lut.  
contra Epi  
scopos &  
Clericos,

Libellus  
cuiusdam  
Laici cōtra  
Luth.

audiunt, quæ conſpirationes, qui apparatus belli, quæ militum con-  
ductiones, quæ equitum congregationes, quæ confœderationes,  
apud Lutheranos, toto isto tempore attētatae atq; institute fuerint.  
Et qui contra ſciunt, nihil horum apud Cæſarem Cæſarianoſq; fie-  
ri: Immo ipſum Cæſarem, uelut benigniſſimū ac manſuetiſſimum  
dominum, multo magis curare ſemperq; curaffe, ut cauſam hanc  
componat atq; ad pacem redigat. Hæc & id genus multa Laicus  
ille.

Contra quem conuitiſſime ſcripſit Lutherus libellum,  
cui titulus eſt. Contra Sicarium Dreſdæ. In quo poſt ſui excuſa-  
tionem ſic ait. Hic uide, bone lector, an Lutherus ſit mentitus in  
duobus ſuis libellis, ubi criminatus eſt Papiſtas, Proditores, homi-  
cidas, Nebulones, & proh dolor non ſatis criminatus eſt. Iſte Ar-  
chinebulo uult nos docere uirtutes Papiſtarum: Nempe, ut ſubditi  
nequaquam ſint inobedientes ſuis ſuperioribus, ubi uelint contra  
Deum & iuſtitiam effundere ſanguinem innocentem. Et infra.  
Quoniaſ uero Papiſte, per hunc Sicarium indicant ſeſe arbitrari,  
quod Lutherani ſint in apparatu belli militumq; conductione: Id  
ego ex corde libenter audio, placetq; mihi, Papiſtas in tali opinio-  
ne ac ſollicitudine exiſtere, ac credere, tale Lutheranorum propo-  
ſitum eſſe uerum. Quod ſi poſſem, uellem libeter eiufmodi opinio-  
nem ſollicitudinemq; eorum confortare, donec præ timore more-  
rentur. Ac uelim huiuſmodi cantilenam de ipſis cantare. Domi-  
celle Cain ſcis interimere fratrem tuum Abel: habe ergo & præ-  
mium tuū, ut tremas ac paueas, ne te interimat quiſquis tibi fit ob-  
uiam, ac nunquam ſis ſecurus, terreatq; te etiā folij ſonitus. Sciunt  
Domini Hannas & Caiphæ perſequi Chriſtum: habeant & ipſi  
præmium ſuum, ut timeant ſibi à plebe, & dicant, O he, o he, ne fiat  
ſeditio in populo. Sic & homicidæ noſtri, qui tantum innocentis  
ſanguinis fuderunt, hanc debent habere plagam, ut uereri ac time-  
re debeant, ne fiat Seditio. Atq; etiam ſi Lutherani nullum facerent  
belli apparatus, ipſi tamen metuere debeant, Germaniam eſſe ple-  
nam armatis Lutheranis: nec aliter cogitare, quam hoc anno nul-  
lam arborem producturā eſſe folia, ſed pro folijs Lutheranos Ca-  
taphractos ac Sclopetarios. Hoc habere debēt, ſic orauit ego & ad-  
huc oro, ſicut ſcriptum eſt. Fugit impius nemine perſequentē. Et  
infra. Quoniaſ igitur luce clarius eſt, Papiſtas ipſos fateri & uer-  
bis & factis, ſeſe nobis eſſe inimicos & contrarios: Hoc Doctoris  
Martini uerax eſto iudiciū, tum in ſcripturis fundatum, tum ex  
fructibus eorum demonſtratum, Certiſſime propoſuiſſe in animo  
ſuo Papiſtas, die noctuq; excogitare, inſidiari ac practicare, quo-  
modo nos perdant atq; exterminent. Hoc de ipſis unuſquiſq; no-

ſtrum,

Conuitia  
Luth. in  
Laicū illū.

Cantilena  
Luth. con-  
tra Papiſt.

Lutheri iudicium de  
cogitationibus Papiſtarum.

strum, & nihil melius, de ipsis sperare potest, nec ullū est dubium: Quicquid ipsi præterea uel amice uel pacifice prætendunt, id totum esse oportet proditorium atq; osculum Iudæ: Aut oportet eos ex timore aut metu facere, quod nondum possunt id, quod libenter facerēt. Hoc iudicium uolo nostris uniuersq; mundo constituisse, ut secundum hoc sciat sibi prospicere quicumq; uoluerit: Scio, me non mentiri, nisi falsa sit scriptura. Idcirco Sicarius iste duplex est Nebulo, qui hoc totum in corde suo probe nouit, & nihilominus cruentos canes suos nobis proponit, tanquam bonos ac pacificos, apud quos plures sint fructus fidei, quam apud nos. Et iterū. Nihil (inquit) curo, quod queritur, nominari in meo libro fere mera maledicta atq; Diabolos: Hoc debet esse mea gloria meusq; honor. Sic & habere uolo, ut deinceps dicatur de me, quod plenus sim maledicentiæ criminationisq; & execrationis in Papistas. Volo & de cætero me aduersus nebulones istos exercitare execrationibus ac maledictis, usq; ad sepulturā meam, nec ullum uerbum bonum amplius ex me audient: Ego meis tonitruis ac fulminationibus sic eis ad sepulturam compulso. Dum hæc in Saxonia fierent, ac grande ad Lutheranae sectæ defensionem conflaretur coniurationis fœdus quorundam Principum, Comitumq; & ciuitatum: Cæsar uero in Germania Inferiore (ubi multas habet prouincias hæreditarias) occupatus esset, Apud Heluetios multis iniurijs tribulationibusq; uexabantur Catholici, maxime à Bernensibus & Tigurinis, qui cæteris erant potentiores, opibusq; & armis magis instructi. Vnde factū est, ut Quinq; Cantones Catholici, nempe, Lucernenses, Vrienses, Suitenses, Subsyluani atq; Zugenses, communi decreto bellum Tigurinis indixerint: Causas belli recensentes ad longum in literis denunciatorijs. Quoniam longo (inquiunt) tempore nos omnes ac singuli, satis superq; obtulimus nos ad standum iuri & æquitati: Vos autem contra iurata fœdera, contra pacem publicam, contra Christianam disciplinam & concordiam, contra confœderatorū fidem charitatemq; & amicitiam, atq; etiam contra omne ius naturale, & cōtra omnem æquitatem, subditos nostros nobis subtrahitis ac rebelles facitis, ut facti iam sint erga nos perfidi atq; periuri: nostram recusantes Iurisdictionem, in Capitaneatu S. Galli, & in præfectura uallis Rhenanæ, alijsq; in locis non paucis: Quos defenditis, & nos ipsos multis dolis uersutijsq; inter nos discordes reddere paratis, ut eo periculo nos ab antiqua & indubitata fide nostra Catholica depellatis. Et dicitis, nos nolle audire uerbum Dei, neq; sinere Nouum ac Vetus Testamentum legi, atq; propterea criminati nos estis, tanquam

impios

Gloriatio  
Lutheri de  
maledicen-  
tia sua.

Bellum à  
Quinq;  
Cantonibus  
Heluetio-  
rum Tigu-  
rinis indi-  
ctum.

Pro eisdem ac-  
cipe, Tiguri-  
nos, Turicen-  
ses & Turre-  
gensis ex oppi-  
do Zurg.

Causæ  
belli.

impios ac malignos proditores, ac proditorios nebulones, Cum igitur nouæ ac fictæ fidei uestræ non adhæreamus, denegatis nobis Victualia, publicumq; mercatum, ut compellatis nos hac ratione ad famem, ad perdendum non solum nos, uerum etiam infantulos innocentes, qui adhuc in materno gestantur utero. Nobis autem omne ius denegetur, neq; quisquam ad iustitiam cōsequendam nobis opem ullam ferat, nosq; longo tempore eiusmodi angustiam, uim, superbiamq; & iniquitatem tulerimus, nec ullus sit iniuriarum finis: Cogimur itaq; hæc omnia Deo suæq; Genitrici, præclaræ ac uniuersæ Curiaæ cœlesti, cunctisq; probis hominibus, quibus ius & æquitas placent, conqueri. Et uolumus, si Deus nobis gratiam uirtutemq; ac fortitudinem concesserit, ista potenter manu ac facto de uobis uindicare: Id quod uobis omnibusq; adiutoribus & adhæsoribus uestris clare hisce literis denunciamus, nostrumq; honorem per hoc erga uos pro nobis ac nostris adiutoribus assertum esse uolumus. In fidem & testimonium harum literarum, appendimus sigillum fidelium nostrorum confœderatorum Zugensium, omnium nostrum nomine. Datum feria Quarta, Die Quarta Octobris, Anno à natiuitate Christi 1531.

Indictio belli.

Mox igitur hac denunciatione facta, ad pugnandum sese ex utraq; parte parauerunt. Die itaq; XI. Octobris, Tigurini, præmissis eorum Capitano cum cohorte una, ac sex Bombardis rotatis, ipsi cum optimo quoq; milite ac XX. Bombardis grandibus subsequuti, transenso Albi monte, prope Monasteriū, quod Capella dicitur, tres Cātones Catholicorū, nempe, Suitenses, Zugenses, & Subsylanos, aggressi sunt. Catholici autē positis insidijs, statim post cōgressum retrocesserūt, fugā simulātes. Mox uero ualido cum agmine prorūpentes, Tigurinos in fugā uerterunt. Cæsi sunt igitur omnes, quotquot magnū præcesserāt uexillū, & ereptæ sunt eis omnes Bombardæ atq; muntiones. Numerus cæsorū fuit M. D. Repertus fuit in ea strage Zuinglius, omnis perfidiæ discordiæq; inter Heluetios autor, à duobus Catholicis, pronus in facie adhuc spirans, quem illi non cognoscentes interrogarunt, an uellet confiteri: At ille tacuit uelut mortuus. Superueniens autem alius, qui eum cognouit, lethale inflixit uulnus, Capitaneisq; protinus indicauit. Qui iusserunt eum sisti publico iudicio, in quo sane iudicatus est ut proditor, atq; combustus ut hæreticus. Ferūt autem, quosdam Tigurinos asportasse inde cineres, domumq; retulisse. Cæsi autem sunt & alij Apostatæ insignes, nempe Abbas & Prior Capellæ, Commendator Risnacensis, Antonius Vualdner, Cantor & Canonicus Turicensis, Henricus Vtinger, Custos & Canonicus

Primum prælium et cædes Tigurinorū.

Zuinglij exitus.

Secundum  
prælium.

nicus ibidem: Et ex ciuibus fortissimi quicq̃. Capti præterea Duo insignes uiri, Præfectus quidam & subscribo Turicensis. Alterum deinde prælium commissum est Die XVII. Octobris, iterum Catholicis secundum, hæreticisq̃ aduersum. Nam Tigurini seu Turicenses, post acceptam cladem, uocauerunt in auxilium Bernenses, collectoq̃ exercitu circiter XXX. Milia peditum, processerunt in campum, partitoq̃ exercitu in duo agmina, Turicenses uersus Zugam: Bernenses uersus Lucernam profecti sunt. Quinq̃ autem Cantones Catholici, cõiunctis uiribus ad XVIII. Milia peditum habuerunt, congressiq̃ cum Bernensibus circa fluuium quendam, compulerunt eos in fugam. In fluuio autem perierunt D. & cæsi sunt in prælio DCC. Altero die prorepserunt ex uepribus aliqui Turgauenses, quos Catholici clementer ac benigne tractarunt, quicunq̃ uenerabile Sacramentum percipiebant. Rursus præliatum est Die XXIII. Octobris.

Tertium  
prælium.

Tigurini enim ac Bernenses uindictæ cupidi, accersierunt in auxilium Basilienses quoq̃ & Schaffhusenses, uolebantq̃ noctu in hostes imparatos irruere. Catholici non omnes erant simul: Lucernenses enim propter Bernenses seorsum habebant exercitum. Alij autem Quatuor Cantones, intellecto hæreticorum proposito, albas camisas super arma sua induerunt, ut noctu inter sese cognitionis signum haberent. Inito igitur prælio, primum certamen adeo asperum atq̃ cruentum fuit, ut Catholici circa principia ad Quintum usq̃ membrum seu ordinem cæderentur. Deo autem adiutore, uicerunt tandem, atq̃ hæreticos in fugam compulerunt, cæsis sex Milibus eorum. Neq̃ tamen

Quartum  
prælium.

quieuit ira hostiũ. Ultimo enim die Octobris, in Vigilia omnium sanctorum, rursus congressi sunt Turicenses contra Quinq̃ Cantones Catholicos, sed nihilo foelicius quam prius. Nam Catholici secunda hora noctis sex milibus inuaserunt illorum castra, cæsisq̃ Quinq̃ milibus hostium, reliquos qui non aufugerant, ceperunt: fuerant autem in ipse castris VIII. Milia. Ceterum apud Helue-

Templum  
Heremiti-  
cuna.

tios admodũ religiosum ac uenerabile, miraculisq̃ clarum est templum, Deiparæ uirgini Mariæ sacrum, quod Heremus dicitur. Ad quod sane publicam processionem instituerunt Quinq̃ Cantones Catholici, a senibus, puerisq̃ & mulieribus, uirginibusq̃ ac omni turba imbelli peragendam. Id quod Turicenses, Zuinglij peruersa doctrina imbuti, ægerrime ferebant. Decreuerunt itaq̃ facta

Quintum  
prælium.

expeditione templum illud deuastare, atq̃ Imaginem Diuæ uirginis Mariæ minutatim discindere atq̃ comburere. Quod ubi perceperunt Quinq̃ Cantones, festinanter illuc profecti sunt, atq̃ indutis rursus super arma albis indutis, in montis planitie duriter exceperunt hæreticos, interfectis plus minus Quinq̃ Milibus, ra-

ptisq; uexillis Quatuor. Quorum unum Turicensem, Alterum  
 Basiliensem, Tertium Schaffhusensium, Quartum Mulhusensium  
 fuisse dicitur. Erant quidem hæretici opibus auxilijsq; & nume- Religiōsa  
gēs Quin-  
que Can-  
tonum;  
 ro militum atq; armorum & Bombardarum apparatus longe ua-  
 lentiores quàm Catholici. At Catholici fide, pietate, religione, bo-  
 nacq; conscientia atq; recta in Deum & sanctos eius fiducia egregie  
 armati, foeliciter uicerūt semper. Toto enim expeditionis tempore,  
 obseruarūt religiose pristinam suam deuotionem, secumq; habue-  
 runt suos sacerdotes, ut interessent eorum sacrificijs in quotidianis  
 Missis, serio ac religiose flexis genibus ad Deum orātes, tum ante  
 prælium, tum peracto prælio. Constituerunt præterea XVIII. ui-  
 duas in territorio Suitensium, quæ alternatis uicibus senæ iugiter  
 in templo Beatæ Virginis Heremitico, pro exercitu Deo supplica-  
 bant die noctuq;. Merito igitur uicerunt eos, qui superis contem-  
 ptis, confidebant in hominibus, ac ponebant carnem brachium  
 suum. Vnde non iniuria comparari possunt Quinq; Cantones illi  
 Indytis Machabæis, qui dicebāt. Facile est concludi multos in ma- i. Machab. 3.  
 nu paucorum. Et non est differentia in conspectu Dei, liberare in  
 multis & in paucis: Quoniam non in multitudine exercitus uictoria  
 belli, sed de coelo fortitudo est. Hæretici igitur toties uicti at- Post prælia  
pax & cori-  
cordia facta  
est.  
 que fugati, petierunt ac inierūt tandem, intercedentibus multarum  
 ciuitatum Imperialium Oratoribus, concordiam cum Catholicis  
 Quinq; Cantonibus. Turicenses quidem Die XVI. Nouembris;  
 Bernenses uero Die XXIII. eiusdem mensis. Operę precii ergo  
 fuerit, recitare primi articuli uerba, ex Teuthonica concordie for-  
 mula, quæ de fide (propter quam præcipua discordia & belli occa-  
 sio erat) per arbitros concepta fuere. Primum igitur debemus ac  
 uolumus nos Turicenses nostros fideles confœderatos de Quinq;  
 Cantonibus, similiter & dilectos eorum cōciues ac prouinciales de  
 Vuallis, atq; omnes eorum adhæsores, siue Ecclesiastici sint siue sæ-  
 culares, circa ueram, indubitatam, Catholicam fidem suam, nunc &  
 deinceps in suis proprijs ciuitatibus, territorijs, præfecturis & do-  
 minijs, absque redargutione ac disputatione, quietos dimittere:  
 Cunctis malis adinventionibus, exceptionibus, circumuentioni-  
 bus dolisq; uitatis atq; remotis. Econuerso debemus nos Quinq;  
 Cantones nostros confœderatos Turicenses, ac proprios eorum  
 adhæsores circa fidem eorum quietos dimittere. Atq; eadem hæc  
 uerborum forma circa primum concordie articulum, cum Bernen-  
 sibus quoq; est obseruata. De qua sane merito gaudēt, & Quinq;  
 Cantonibus illis cōgratulantur omnes per orbem terrarū Catho-  
 lici, quod non dubitarunt pro fide Catholica uiriliter asserenda, sua



Duo teteri  
rimi hostes  
Ecclsię sub  
lati.

corpora, suas uxores, liberosq; ac totā patriā suam in ultimū expo-  
nere discrimen. Vnde et Deus pro ea pietate gloriosos eis retribuit  
de hereticis triumphos, ut cogentur ipsimet fateri, antiq̄ Quinq; **Cantonum** fidem esse uerā atq; indubitātam. Merentur & aliam  
laudem Quinq; Cantones illi, quam nulla posteritas reticere de-  
bet, quod eorum strenuitate & opera sublatis sunt de medio duo  
acerrimi deterrimiq; hostes Ecclesię, **Vlricus Zuinglius**, & **Ioan-  
nes Oecolampadius**. Quorum prior in primo statim prælio cęsus  
& exustus est: Posterior uero non longe post tanto mœrore animi  
confectus est **Basileę**, ut scortū suum (quod ipse **Monachus Apo-  
stata** pro uxore habebat) inuenerit eum mane mortuum in lecto  
suo. De quorum interitu, sic rescripsit ad **Ioannem Cochlæum**  
ex **Angliā Clariss.** uir **Thomas Morus**, supremus Regni Cancel-  
larius. Postquam **Georgius** in **Angliam** redijt, cōplures diuer-  
sis temporibus epistolas abste accepi. Postrema ea fuit, quam de  
**Zuinglio** & **Oecolampadio** scriptam misisti: Quorum nunciata  
mors lætitiā mihi attulit. Quanquam enim dolendi causas reli-  
quere nobis heu nimium graues, propter multa, quę nec; sine hor-  
rore eloqui possum, & nemini sunt ignota: nec; audire homines  
pij sine profundo gemitu debent. Sublatos tamen è medio esse tam  
immanes fidei Christianę hostes, tam accinctos ad Ecclesię exci-  
dium, tam intentos ubiq; in omnem perimendę pietatis occasio-  
nem, iure gaudere possumus.

**Thomas Mo-  
rus**, qui postea  
propter uerita-  
tē martyrium  
suscepit, anno  
1535. Sicut et  
**Episcopus  
Rossensis**.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXII.*

Dietā Im-  
perialis Ra-  
tisponę ce-  
lebrata.



**C**æsar, ut eiusmodi motus conspirationesq; & dis-  
cordias Sectarum in **Germania**, incruentis con-  
silijs reprimeret atq; compesceret: indicebat Die-  
tam (ut uocant) Imperialem, **Spiræ** celebrandam.  
Verum ubi intellexit maximum **Turcarum** appa-  
ratum & exercitum appropinquare, ad inuaden-  
dam **Vngariam** atq; **Germaniam**, transtulit eam Dietā non **Spi-  
ræ**, sed **Ratisponę** celebrandam, ut esset ipse **Cæsar** propinquior  
ita hosti Christiani nominis, eiq; citius resistere possit. Conuocauit  
igitur omnes Principes ac Status sacri Ro. Imperij, in supradictam  
ciuitatem Imperialem, **Ratisponam**, quam **Danubius** præterfluit  
in **Bauaria**. Inter Principes autem **Electores** personaliter compa-  
ruerunt, post Imperatorem **Carolū**, & Regem **Romanorum**,  
**Vngarię** & **Bohemię** **Ferdinandum**, **Albertus** Cardinalis &  
Archiepi-

Archiepiscopus Moguntinus, Ludouicus Comes Palatinus Rheni,  
 Dux Bauariæ: & Ioachim Marchio Brandeburgensis, Dux Ste-  
 ting &c. Ex Episcopis, Saltzburgensis & Tridentinus Cardinales,  
 itē Bambergensis, Herbipolensis, Spirēsis, Augustensis, Patauien-  
 sis, Ratisponensis, Mindensis, Vienensis. Ex alijs Principibus, Du-  
 ces Bauariæ Comitesq; Palatini Rheni, Fridericus, Vuilhelmus,  
 Ludouicus, Otto Hēricus, & Philippus: Dux item Saxonix Geor-  
 gius, Dux Brunswicensis Henricus, Lantgrauus Leuchtēbergen-  
 sis Georgius: Comites præterea & Barones non pauci, Abbates  
 item & alijs Prælati. Multi aut per suos Oratores comparuerunt,  
 quemadmodum & ciuitates liberae atq; Imperiales. At Luthe-  
 rani Principes cum confœderatis suis seorsum conuenerūt Suein-  
 fordix in Franconia: Ad quos Cæsaris cōsensu profecti sunt Duo  
 Electores, Moguntinus & Palatinus Rheni, ut cum ipsis tracta-  
 rent de maturando aduersus Turcas (qui iam cum maximis copijs  
 in Vngariam peruenerāt) auxilio, quod in Augustensi Dieta pro-  
 missum fuerat. Quantum uero apud eos profecerint, non est uul-  
 go cognitum: Retulerunt autem Cæsari Ratisponæ. Vbi & alio-  
 rum Regum ac Dominorum Oratores erant, Curiam sequentes  
 Cæsaris. Inter quos erat Thomas Cranmerus, Orator Regis  
 Angliæ, qui secum ex Angliā attulerat librum, in quo accuratissi-  
 me probabatur Regis Angliæ & diuortium & nouum Matrimo-  
 nium. Quem cū tradidisset uidendum Ioanni Cochlæo, is breuissi-  
 me ad omnes Rhetoricas argutiarum amplificationes, illi respon-  
 dit priuatim. Et quanquam Anglus ille acutus ac eruditus erat  
 Theologus & Sacerdos, ad scripta tamen Cochlæi non respondit:  
 Qui tum familiariter sæpe cum illo colloquebatur. Erant præ-  
 terea in eadem Dieta R. D. Cardinalis Campegius, Legatus de  
 latere, & D. Hieronymus Aleander, Archiepiscopus Brūdufinus,  
 Nuncius Apostolicus. Ad quos delatus fuit liber quidam hominis  
 eruditi, qui Lutheranos cum Catholicis concordare in doctrina  
 nitebatur. Verum dum abrogaret multa Catholicis, iam diu obser-  
 uata, repertus est in multis iudaizare. Liber itaq; eius, iussu & Car-  
 dinalis legati, & Aleandri Nuncijs Apostolici, à quibusdam Theo-  
 logis Hispanis (quibus additus erat Cochleus) examinatus, eorum  
 iudicio reiectus fuit, uelut iudaizans: Quandoquidem & autor  
 eius ex Iudaismo ad Christi religionem conuersus fuerat. At  
 longe peiorem reperit ibi publice uenalem librum Cochlæus, cum  
 hac inscriptione. De Trinitatis erroribus, libri VII. Michaëlis Ser-  
 ueti Hispani. Quem cum attulisset ad D. Io. Quintanam, Theo-  
 logum eximium, ac Cæsareæ Maiestatis A confessionibus, uirum  
 V in Hispanum:

Conuētus  
 Lutherano-  
 rum Suein-  
 fordix.

Tho. Crā-  
 merus An-  
 glus.

Condēna-  
 tio cuiusdā  
 libri iudaiz-  
 zantis.

Liber Ser-  
 ueti contra  
 Trinitatem  
 personarū.

Hispanū is ægerrime tulit indignitatē eius rei, tum quod autor Hispanus esset (quē & de facie se nosse dicebat) tum quod impijssime atq; inauditæ in eo libro essent hæreses. Mox itaq; curauit, pestilentissimū illū librum supprimi, ne amplius uenderetur. Verum eodem tempore insurrexit aduersus Ecclesiam quidam Germanus ex terra Iuliacensi, Ioannes Campanus, qui Lutheri discipulus per biennium fuerat Vuittenbergæ. Is eosdem fere errores de Trinitate asseuerauit: Cui etiam Lutherani & Lutherus ipse restiterunt, ut non possit hæresis illa ulla acquirere uires. At uero Georgius Vuicelius Germanus, ex oppido Vach (quod Lantgrauio Helsingorum paret) oriundus, qui X. annis misere Lutherizauerat, ex lectione ueterum Theologorum sanctorumq; patrum, resipiscere tum cepit, ut non omnia probaret amplius, quæ docebat Lutherus. Quod ubi percepit Lutherus cum suis, effecit, ut ille è Nymeco (quod oppidum tribus distat miliaribus à Vuittenberga) uel abduceretur captiuus Vuittenbergā, turricq; inclusus aliquandiu detinebatur in carcere, haud secus atq; malefactor aut hæreticus.

Iussit itaq; mox inquiri Lutherus ac discuti omnes Vuicelij libros chartasq; & epistolas, si forte inuenire ibi posset aliquid, in quo ille iuste accusaretur: Maxime uero cupiebat reperire nonnihil iudicij de Campano illo, qui mensem unū Nymeci apud Vuicelium fuerat. Cum uero excussis omnibus angulis nihil prorsus accusatione dignum inueniretur, dimissus est liber Vuicelius. Qui domum reuersus, ac ægre ferens eam captiuitatis ignominiam, accepit literas à patre suo è Vach, quibus reuocabatur in patriam. Ne autem clam aufugere uideretur, petijt missionem à Principe Electore Saxonie, qua concessa, redijt in patriā. Verum Lutherus & sui metuentes doctrinæ suæ ab illo, cœperunt eum & clandestinis & manifestis criminationibus insectari, cum alibi, tum maxime Erfordia, ubi is olim Philosophiæ operam dederat in publica Academia, in qua iam profiteri bonas literas intendebat. Ne igitur ullum ibi uel concionandi ad populum, uel docendi in scholis locum obtineret, enixe curauerunt Lutherani, Iudocus Cocus, qui se Iustum Ionam uocat, sacerdos uxoratus, ac Duo Apostatæ Monachi, Langus & Aegidius. Quibus ille cedens, redijt ad patrem. Cum uero sibi tutum non esset, eo in loco contra Lutheranos uel agere uel scribere, aliunde sibi Patronum quæsiuit. Quem & optimum inuenit, uirum pium, religiosum atq; potentem, Dominum Hoygerum, Generosum Comitē à Mansfelt, qui uel in medio Lutheranorum egregie tuebatur eum Islebij. Vbi uir ille: cum sit ingeniosus, acutus, disertus, linguarumq; Græcæ & Hebraicæ insigniter peritus, iuuenis

Ioannes  
Cāpanus.

Georgius  
Vuicelius  
ex Lutherif  
mo ad Ec-  
clesiam re-  
uersus.

Lutheri cō-  
tra Vuice-  
lium inqui-  
sitio.

Erfordia.

Patronus  
Vuicelij.

iuuenis præterea ætate ac laborum tolerantissimus: Multa in Lutheranam sectam atq; doctrinam scribit æditq; opuscula, quibus Germanos à perniciosissima secta illa absterrere, in uiam reuocare, satagit, atq; id facit non paruo cum profectu multorum. Multa quidem Lutheri dogmata impugnat, sed nullum uehementius copiosius uè aut crebrius, quàm illud, quod reiectis honorum operum studijs ac meritis, solâ fidem extollit. Aduersus criminationes Lutheranorum, ædidiit quandam Apologiam Teuthonice, & Confutationem quandam Latine, aduersus maledicum calumniatorem, Iustum Ionam, quem rectius Iudocum Koch seu Cocum uocat. In eundem scripsit postea & alium librum Teuthonice, quem de Catholica Ecclesia inscripsit. Ex quo pauca (est enim bene prolixus) hic recitabo, quantum ad Trinitarium pertinet hæreticum, Io. Campanū seu Campensim. Ait ergo. Idcirco mentiris, Coce, quod Campanus sectam suam apud nos Nymeci effuderit. Testis est Deus, Campanum illum nemini ullum uerbum de proposito suo Nymeci dixisse: sed id unum egit (propter quod aduenerat) ut Orthodoxorum patrū libros perscrutaretur, nescimus uero quam ob causam. Mecum sane raro uel conuersatus uel colloquutus est. Neq; ego ex omni eius sermone unquam considerare potui, quod Trinitarius fieri uellet. Id uero statim percepi, quod non esset amplius Lutheranus. Quapropter id quoq; mentiris, quod is apud nos occulte latuerit: Nihil ibi factum est in occulto aut suspecto, neq; quicquam impie aut inhoneste. Id de quo testor omnes Incolas illius oppidi. Sed esto, sit Archiblasphemator Christi Campanus, Vbi, quæso, aut à quo didicit: Apud nos fuit septimanas Quatuor, apud uos annos Duos. Et non nos, sed uos docuistis eum. At nec uos illud eum docuistis. Esto ita: At quis reclusit ei ianuam ad illum errorem tam abominabilem atq; horrendum? Ego an uos? Hic sane apparebit, quisnam sit Campanicæ hæreseos reus, Quandoquidem ille tam diu Vuittenbergæ permansit atq; nidificauit. In quo sane nido adhuc incubat Struthio Camelus, uir ille, qui modicum tenet de hoc uerbo Homouision, atq; palam scripsit, sibi hanc uocem, Trinitas, in Teuthonico non placere. An non potuit etiam Campanus ex tali primum ouo prorepere? Hæc ibi Vuicelius. Cæterum Hispanus ille, Michaël Serueti, alias Reues ab Aragonia, ultra VII. libros supradictos, Duos eodem anno Dialogos ædidiit. In quibus argute & acute ex scripturarum diuersis locis, nouam de Christi carne Theologiam docet: Nempe, quod Christus tam iuxta carnem, quàm iuxta spiritum habeat substantiam æternam, & quod in eadem substantia, in qua tam iuxta carnem,

Opuscula  
Vuicelij.Verba eius  
in Iustum  
Ionā, Iodo  
cum KochError Cā  
pani de  
Trinitate  
ex Luth.Luth. in lib.  
contra Iacobū  
Latomum.Alius er  
ror Serue  
ti.

quàm iuxta spiritum nunc est, fuerit antea in cœlo creator. In præfatione uero ad lectorem sic ait. Quæ nuper contra receptam de Trinitate sententiam, septem libris scripsi, omnia nunc, candide lector, retracto: Non quia falsa sint, sed quia imperfecta, & tanquàm à paruulo paruulis scripta. Precor tamen, ut ex illis ea teneas, quæ ad dicendorum intelligentiam te poterunt iuuare. Hæc ille, homo nimirum acris ac uehementis ingenij, qui Græcæ quoque ac Hebraicæ linguæ peritus uidebatur. Sed hic est cõmunis omnium fere nouorum Theologorũ morbus, ut linguarum peritiã tumidi, ac literalis scripturæ sensui, quem non ex probatis doctoribus, sed ex capite suo sibi effingunt, innitentes, contemptis & sanis patrum expositionibus, & solidis scholasticorum Theologorum informationibus, suæ confidunt prudentiæ: sed pro mobilitate ingenij instabiles, ut facili momento per nouam adinventionem, priorem sententiam suam, quam primo inuentionis calore laudauerant, mutant, uariant, augeant aut minuant: iuxta illud Iacobi Apostoli. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus ujs suis. Sic & Lutherus nimis uehemens plerunquẽ in contentiõibus, multa, torrentis in modũ, currenti committit calamo, quæ si maturius considerasset, non tot tamque horrendis aliorũ erroribus ansam & originem præbuisset. Quæ enim supra ex Vuicelio recitata sunt, ea & Cochlæus Philippo Melanchtoni obiecit. Hæc enim sunt uerba Lutheri in D. Iacobum Latomum olim ædita. Nec est (inquit) quod mihi Homouision illud obiectes, aduersus Arrianos receptum: Non fuit receptum à multis, ijsdem præclarissimis. Quod & Hieronymus optauit aboleri, Adeoque non effugerunt periculum hoc inuento uocabulo, ut Hieronymus queratur nescire, quid ueneni lateat in syllabis & literis. Quod si odit anima mea uocẽ Homouision, & nolim ea uti, nõ ero hæreticus, Quis enim me cogit uti? &c.

At Cochlæus quodam in libro acriter ab hac calumnia Hieronymum defendit, Lutherumque de falso conuicit. Non enim de Homouision, sed de Hypostasi dubitabat Hieronymus in sua ad Damasum Papam Epistola, in qua eum per Homouision Trinitatẽ orabat, ut responderet. Qua autem ratione Lutherus oppugnat Homouision, eadem oppugnari posset & hæc uox, Trinitas. Quia & ipsa in sacris literis nõ est expressa: Quemadmodum nec ista, Tres personæ. Stultissime igitur pariter & impiissime quidã ex ijs Poëtici Theologis, dixit Tres personas Tres Chimeras, Qui Lutheri de Homouision audaciam imitatus est. Lutherus enim Arrianos in hoc iustificare ausus fuit, quod noluerunt Homouision (quam uocat prophanam uocem) recipere. Interea, dum Cæsar Ratisponæ simul

Morbus nouorum Theologorum.

Lutherus multos hæreticos erre facit.

Calumnia Luth. in S. Hieron.

simul cum Rege fratre, alijsq; Principibus ac Statibus Imperij, de rerum summa, & de salute Germaniæ consultat: Turcarū Tyrannus maximis cum copijs per Vngariā uersus Austriam, ut Viennā rursus obsideret, contendebat. At Cæsar, misso illuc ualido præsidio, festinatū & iam pridem Augustæ promissum, à Principibus & Statibus Imperij auxiliū exigēs, è Burgundia quoq; & ex Inferiori Germania egregium accersuit Equitatū. Accurrerūt itaq; plurimi undiq; è Germania milites uersus Viennam: Quorum omnium Dux & Imperator per sese uoluit esse Cæsar, qui Turcarū Tyranno iam denūciauerat suum aduentū, ad ineundū cum eo prælium. At Turca, qui totis uiribus cum uniuersis copijs suis paruū circa fines Austriæ oppidū, nomine Gynsam, oppugnabat multis diebus: cum expugnare nō posset, miratus præsidij uirtutē, euocauit in colloquium oppidi Præfectum, uirum strenuissimum ac Regi Ferdinando fidelissimum, qui uulneribus, laboribusq; & uigilijs confectus (nam die noctuq; oppugnatum fuerat oppidum) animi uirtute Turcis admirationi spectaculoq; fuit. Vbi uero accepit Turca, aduenisse iam ipsam Cæsarem (qui Ratispona serius discessit propter afflictū casu equi crus, quod fomentis Thermarum curabatur) Viennā usq; (à qua IX. Miliaribus distabat oppidum Gynsa) immemor addicti prælij, soluta obsidione, turpi fuga retro abiit, cum esset alioqui bellicæ gloriæ auidissimus. Ne tamen impune aufugeret, Cæsar XVII. Milia Turcarum, qui populando moram fecerant, assecutus, internicioni eos dedit. Dimisso deinde exercitu, quem sane pulcherrimū ualidissimumq; habebat, adeo, ut multis sæculis Germania maiorem atq; instructiorem non uiderit: relicta Germania, in Italiam rediit. Eodem anno scripsit Teuthonice aduersus Catholicos Ioannes Bugenhagius Pomeranus, Apostata, quem pastorem & Episcopum suum uocāt Vuittenbergenses, librū maledictis mendacijsq; & odiosis calumnijs plenum, Cui titulum fecit. Aduersus fures Calicis. Reprobat in eo acerbissime & communicationem Laicorum sub una specie, & sacrificium Missæ, quod pro uiuis atq; defunctis offertur. Ut autem Laicos & in fauorem sui & in odium Cleri totius concitet, excusat Laicos, tanquam per ignorantiam fecerint, & iniuriam à furibus Calicis (hoc est ab Episcopis & Clericis) passi fuerint. Episcopos uero mox grauiter accusat, dicens. Episcopi uero, qui Christi mandatum neq; uidere neq; audire uolunt, neq; curant, quod Apostoli utranq; speciem docuerunt &c. Hæc Apostata ille pestilentissimus, qui uelut Emissarius ac equus hinniens, sæpe abiit ad tempus è Vuittenberga, ad magnas & opulentas urbes Maritimas (quæ Stagnale

Grādis ex  
ercitus Cæ  
sarīs cōtra  
Turcas.

Gynsa con  
tra Turcas  
fortiter de  
fensa.

Fuga Tur  
carum.

Liber Po  
merani cō  
tra fures ca  
licis.

Accusat o  
diose Episc  
opos.

Pestilens et  
auarus hæ-  
reticus Po-  
meranus.

Stagnales uulgo dicuntur ) nunc Lubecum, nunc Hamburgum,  
nunc Flensburgum, nunc alio, ad disseminandum ibi non sine se-  
ditiosis tumultibus Lutherismum, donec ex uarijs ciuium donatio-  
nibus locupletatus, secure nunc Vuittenbergæ opibus illis fruitur.

D. Micha-  
el Vehus.

Cæterum grauitè ac eruditè respondit Teuthonice libro eius  
eximius quidam Theologus, Ordinis Prædicatorum, **Doctor**  
Michaël Vehus, quem ob probitatem & eruditionem in Præpo-  
situm Hallensis Ecclesiæ in Saxonia assumpsit, sibiq; in Consilia-  
rium asciuit R. & Illustriss. Dominus, Cardinalis & Archiepisco-  
pus Moguntinus ac Magdeburgensis. Quoniam uero prolixus  
est liber ille, hic ex eius Principio tantum pauca, uelut gustum

Verba Ve-  
hi contra  
Pomeranū

quendam propinantes, recitabimus. Vulgatum est (inquit) pro-  
uerbium. Qui malam habet causam, is eo magis maledictis proter-  
uit: Et cui deficit ueritas, is nititur mēdacijs. Iuxta hoc prouerbium  
agit autor iste in toto hoc libro suo, qui in principio, medioq; & fi-  
ne, eandem ubiq; cantat cantilenā: Hoc est, undiq; refertus est pro-  
teruis criminationibus, contumelijs, maledictis & mendacijs. Quæ  
si à ueritate, quæ reliqua est, separarentur, admodū exiguus foret  
libellus. Qui si calumniandi gratia scriptus est, satis artificiosum ha-  
bet initium: si uero propter ueritatem declarandam atq; inquiren-  
dam scriptus est, autor merito rem aliter aggressus esset. Etenim in  
omni causa optimum fundamentum est ueritas, at hanc omisit ille,  
& librum à mendacijs incepit. Calumnias igitur eius domū remit-

Quantum  
deest à pro-  
batione sui  
propositi  
Pomera-  
nus.

temus, donec sua probet mendacia. Quod si nesciat, quid proba-  
re debeat, nos haud grauatim id eum docebimus. Primum sane  
probare debet, quod Calix ex mandato Christi sit omnibus Chri-  
stianis ad salutem necessarius. Hoc ipse cum suis hæcenus non fecit,  
nec unquam facere poterit. Hæc enim uerba Christi, Bibite ex eo

Mdr. 14.  
Luc. 22.

omnes: Non omnes tangunt Christianos. Quemadmodum nos  
& alij ex Euangelio, tum Marci tum Lucae, efficaciter probauimus.  
At esto, sint hæc uerba Christi ad omnes dicta, probare tamen de-  
bet, ea esse necessarium præceptum. Quod si hic suos consuluerit, in-  
ueniet præcipuos sectæ suæ id negare, atq; dicere, quod Christus  
neq; alteram, neque utranq; speciem præceperit, eò quod dixerit.  
Quotiescunq; feceritis. Deinde, concessio & isto, quod ea uerba sint  
necessarium præceptum, probare debet, quod ad singulos in spe-  
cie dicta sint, & non ad omnes in genere: sicut dictū est illud. Cres-  
cite & multiplicamini. Rursus, hoc quoq; concessio, quod ad singu-  
los in specie dicta sint, probare ulterius debet, omnia huius mati-  
dati uerba ad singulos pertinere: Sunt enim hic multa, consecrare,  
offerre, edere, bibere, in memoriam eius facere. Atqui nunquam  
probabit

probabit hoc, nisi uelit unicuique rusticorum consecrandi munus imponere. Denique concessio & isto, adhuc tamen ulterius probare debet, quod Christus Deus & Dominus noster, in casu necessitatis et periculi, non reliquerit nobis mandatū istud liberū, quodque Ecclesia in tali casu nō habeat potestatem faciendi ordinationem, qua tale periculum euitetur. At ne hoc quidem probare poterit: Nos autem contrariū ex sacra scriptura postea probabimus. Hæc in principio libri sui Vehus contra Pomeranum. Dum uero Cæsar contra Turcas præliari molitur, moritur non longe à Vuittenberga in loco uenationis Indlytus Dux Saxonie Ioannes, Princeps Elector. In cuius funere duas ad populum conciones habuit, ac scriptas in lucem ædidiit Teuthonice Lutherus. In quarū priorē Thema ex Pauli prima ad Thessal. In posteriore ex prima ad Corinthios Epistola mutuauit ac declarauit. Cæterum in utranque scripsit breuem Postillam (ut uocant) Teuthonice Cochlæus ad Illustrem Principem, Dominum Ioannem ab Anhalt, qui tum non leui in periculo uersabatur, dum Lutherus per Nicolaum Hausman, quem pro concionatore Dessauiam ad illum mittebat, cum à Catholica fide subuertere, ac in sectam suam, uelut in Nassam, allicere quæreret. Ostendit ergo breuiter, & quàm uagus ac phanaticus in priorē, & quàm lubricus atque inconstans fuerit in posteriorē illa concione Lutherus: Ita, ut nemo secure ei uel adhærere, uel credere quicquàm possit. Verbi gratia. Lutherus ait, Quid contristamur de morte aliorum, uel etiam de nostra? Nam homo tantum moritur, neque tamen totus homo, sed altera pars tantum, nempe corpus. In morte autem Christi est ipsemet filius Dei, & moritur Dominus omnium creaturarum. Respondet Cochlæus. Quid hic uult agere Lutherus? Nunquid in Christo plus mortuū fuit, quàm in nobis hominibus moritur? In nobis moritur tantum corpus, ait Lutherus: fateor, Quid autem in Christo amplius mortuum fuit, quàm corpus? Nunquid & anima eius, immortalis & impeccabilis, mortua fuit? Aut mortua est eius impassibilis & omnipotens diuinitas? Quemadmodum igitur nō moritur totus homo: ita nec totus Christus est mortuus. Rursum ait Lutherus, Deus cogitat & te & omnes alios, quicumque baptizati sunt & in Christo dormierunt, ducere secum: quia inuoluit eos in morte Christi, & in eius resurrectione cōpræhendit, non dimissurus eos sub terra. Respondit Cochlæus. Dico adhuc, ut supra. Quoniam Lutherus nō potest scire cogitationes Dei, neque consiliarius eius unquam fuit, sicut dicit Esaias. Hoc quidem uerum est, quod Deus non dimittet sub terra neque Christianos, neque Paganos, Turcas aut Iudæos. Oportet enim

Obitus Electoris Saxonie, Due conciones Luth., 1. Thess. 4., 1. Cor. 15.

Postilla Cochlæi cōtra duas illas conciones.

Esaiæ. 40.



*2. Corinth. 5.* enim omnes procedere, ac stare ante Tribunal Christi, in nouis-  
*Matth. 16.* simo die, ut recipiat unusquisque iuxta opera sua. Quod autem Chri-  
*Apoc. 2.* stus secum ducturus sit omnes baptizatos, hoc nusquam scriptum  
*Luc. 19.* habetur. Multi enim ab ea innocentia excidunt, & non sunt memo-  
 res unde exciderint: Dumque non retinent quod habent, auferetur  
 ab eis & illud quod habent, ac dabitur alteri. Christus quidem mor-  
*Matth. 22.* tuus est pro toto mundo. Cum autem peccent multi, seque mortis  
 Christi indignos faciant: non inuoluuntur in morte Christi, ut lal-  
*Ro. 6.* lat somniatque Lutherus, sed non habentes uestem nuptialem, effi-  
 cientur in tenebras exteriores. Christus quidem nos omnes per Ba-  
 ptismum in morte sua inuoluit. Qui uero per subsequentia peccata  
 se iterum euoluunt, & non agunt poenitentiam, in perpetuo foris  
 permanebunt, ac durius punientur quam alij, qui eam gratiam non  
*Heb. 6.* degustarunt, ut ait Paulus. Non oportet sic ex proprio coniectare  
*Psal. 61.* capite: Deus enim iudicat unumquemque iuxta opera eius. Am-  
*Matth. 25.* plius ait Lutherus. Omnes enim scitis, quomodo Caput nostrum,  
 Quomodo Elector Princeps Elector, secundum Christum, Augustae ante biennium  
*Sax. mor-* mortuus ac ueram mortem passus est, non pro seipso tantum, sed  
*tus fuit* pro nobis omnibus. Respondet Cochlaeus. Haec uerba uirulentus  
*Augustae.* Apostata sepe repetit multum odiose, aduersus Caesarem omnesque  
 alios Principes Catholicos: Neque tamen scit stolidus blaterator,  
 quoniam tendant ea uerba. Elector enim Augustae utique in corpo-  
 re mortuus non fuit. At mors animae longe grauior est, quam cor-  
 poris, sicut & ipse fatetur Lutherus. Si ergo in anima ibi mortuus  
 est, quid laudis aut gloriae inde accepit? Nonne per talem mortem  
*Matth. 22.* excidit a Deo? Non enim est Deus mortuorum, sed uiuentium: Eorum  
*Exod. 3.* inquam, qui in anima uiuunt, etiam si corpore mortui sint, ut Deus  
 Abraham, Isaac & Iacob. Quod si Princeps Elector, ueram ibi  
 mortem passus est, ut ait Lutherus, non in corpore, sed in anima:  
 non recte comparat eum Christo, qui utique in corpore, non in ani-  
 ma mortuus fuit. Et multo ineptius ait, quod Elector ille, non pro  
 seipso tantum, sed pro nobis omnibus mortem Augustae passus sit,  
*1. Timoth. 2.* quasi alter Christus. At Paulus contra ait. Unus est Deus, unus &  
 mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redem-  
 ptionem semetipsum pro omnibus. Delirat ulterius Lutherus,  
*Luth. pro-* dum ait. Ibi oportuit eum omnes malas offas atque aconita siue cicu-  
*ditor &* tas exedere, quas propinauit ei Diabolus. Illud uero est uera & hor-  
*animicida* renda mors, qua Diabolus aliquem interimit. Respondet Cochlaeus.  
*sui Princi-* Ecce quae terribiliter excacat Deus superbam Apostatam, ut etiam con-  
*pis.* tra proprium patronum & Principem suum, factus sit palam proditor  
 & animicida. Quae ait omnes malas offas atque aconita exedisse &c.  
 O quam

O quam ualidum & efficax est illud uerbum Apostoli de homine hæretico: Proprio iudicio condemnatus. Quales ibi dicit offas & cicutas: Nunquid corporales? At non est ibi corporaliter mortuus ille Princeps. Dicit igitur spirituales, quæ sunt, falsæ doctrinæ, hæreses, schismata, superbia, inobedientiâ &c. per quas sane pestes Diabolus miseras interimat animas. Utinam uero dissimulasset ibi quoque, ut antea, ille Princeps, & non subscripsisset ibi palam Confessione Lutheranae (quæ utique malis offis atque aconitis plena est) nec finaliter in illa, contra utranque potestatem ac Maioritatem suam, perseuerasset. Rursus ait Lutherus. Ibi confessus fuit dilectus noster Princeps Elector Christi mortem, ac resurrectionem publice coram toto mundo, atque in ea perstitit, & pro ea in periculum exposuit prouincias & homines, immo & proprium corpus atque uitam. Ea sane confessio transcendit atque absorbet multitudinem peccatorum, sicut mare magnum scintillam ignis. Respondet Cochleus. O inanes fabulas putridosque pisces. Quis obsecro impugnavit Augustæ mortem & resurrectionem Christi: Quis Principem Electorem ab ea confitenda deterrere aut depellere uoluit? Inspiciatur, quaeso, tum Cæsaris, aliorumque Principum ac Statuum Imperij responsio, super Tertium Lutheranorum confessionis articulum: Tum Tractatus per delectum inter septem & septem ibi habitus. Clarissime profecto comperietur, in nullo unquam uerbo fuisse ibi dissensionem de morte et resurrectione Christi. Quomodo potest plebs ulla tam stolidâ atque insana esse, ut tam aperta & incredibilia nugæ mendacia, uel audire uel credere queat? Confitemur sane quotidie in Symbolo Apostolorum, Christum mortuum esse atque resurrexisse: Et Lutherus per hoc uult Patronum suum sic extollere, ut Martyrem ex eo faciat, quod coram Christiano Cæsare, aliisque Christianis Principibus, Christi mortem ac resurrectionem confessus est, perinde ac si stetisset coram Nerone, Decio aut Diocletiano. Hæc obiter ex Postilla in priorem Lutheri funebre concionem recitata sint. In posteriore concione acrius arguitur inconstantia Lutherus, circa uenerationem sanctorum. Nam quando primum scribere ac in lucem ædere libros cepit, acriter inuectus fuit in Thaboritas & Vualdenses Bohemicos, propter cultum & uenerationem sanctorum. Etenim in libro de Decem præceptis sic ait. Verum ne Pighardi, infelices heretici, suas partes à me adiutas confidant, qui præ nimia ruditate nobis Teuthonicis (superbissimo fastidio indignati) imponunt, quod sanctos Dei colamus, & Idola faciamus, & ideo contra nos aceruum uersuum scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis nisi unum Deum.

Nugæ Lutheri de Confessione Augustæ facta.

Incōstantia Luth. circa Inuocationem sanctorum.

Et ut nobis apud suos iustissimā inuidiam conflare uideantur, in-  
 sidiosissime omittunt, quod scribitur Rex Dauid & Salomon &  
 multi alij adorati: Simul impij peruersores scripturæ, & subdoli ca-  
 lumniatores pietatis nostræ. Ita enim rustici illi nos tandem docēt,  
 quod solus Deus sit adorandus, et glorientur ac si nos idipsum ne-  
 gauerimus unquam. Item, In eodē libro ait, Omnes sancti omnia  
 possunt, & tantum per eos tibi à Deo datur, quantum credis te ac-  
 cepturum. Quid enim aliud sunt sancti, nisi uelut guttulæ roris, siue  
 can. 5. guttæ noctium, in cincinnis & capite sponsis: Sic & in sermone  
 de Preparatione ad mortem docebat ægrotū, ut inuocaret omnes  
 sanctos Angelos, præcipue angelum suum, Dei genitricem; omnes  
 Apostolos aliosq; sanctos, eos præsertim, ad quos Deus ei specia-  
 lem indiderit deuotionem. Verum posteaquam superbia atq;  
 inobedientia eum in furorē concitauerunt, longe aliter de sanctis  
 & scripsit & concionatus est, ut uix ullus Suermerorum & Phana-  
 ticorum esset ei par. Tunc enim Dei genitrix MARIA nihilo  
 erat uel melior uel maior Luthero: Tunc uicinus eius poterat tam  
 bene iuuare eum, quàm illa: Tunc oratio sua tam bona erat, quàm  
 illius: Tunc œ tabulis puerorum eijsi oportebat Aue Maria: Tunc  
 impia erant cantica, Salue regina, & Regina cœli. Itē sancti Apo-  
 stoli, Petrus & Paulus, nihil amplius poterant, quàm Lutherus. Et  
 qui mendico dabat florenum unum, melius faciebat ac plus mere-  
 batur, quàm si Beato Petro aureum tēplum ædificaret. Item sancti  
 in terra adhuc uiuentes erant ut gemmæ: Mortui uero (uti eos ap-  
 pellabat, quos nos in cœlis cū Deo uiuere credimus) ut ligna erant:  
 Immo mera erant Idola, & quicumq; eos uenerabatur. Hinc in-  
 surrexerunt seditiosi prophetæ, qui omnes sanctorum Imagines  
 atq; etiam ipsius saluatoris, è templis eiecerūt tam tumultuose quàm  
 impie: Ita, ut is melior magisq; pius habebatur, qui pluribus aut  
 maioribus cōtumelijs Imagines afficere nosset; neq; mitiores erant  
 erga ossa & quaslibet reliquias atq; exuuias Diuorum, & in calices  
 Monstrantiasq; deauratas, donec furentes tandem rustici super-  
 uenirent, qui templa quoq; ac Monasteria deuastarunt, tanta cum  
 insaniam atq; impietate, ut Lutherus ipse & gladio temporali & eter-  
 næ damnationi eos adiudicauerit. In ista uero concione funebri  
 rursus cōmendare sanctos cœpit, in gratiam nimirum sui patroni,  
 quem & Martyrem & sanctum Dormitorem facere parabat. Id-  
 circo de sanctis persuadere cœpit, quàm digna ac preciosa sit in  
 conspectu Dei mors sanctorum, quanto plus æstimet sanctos de-  
 functos, quàm adhuc in carne uiuentes: quāto minus curet sanctos  
 in terra, quos infirmos ac miseros relinquat, perinde ac si nō uideat  
 eos;

Impia dis-  
 cta Luth.  
 contra  
 sanctos,

Luth. In ser.  
 de natiui. Ma-  
 riæ: De sancta  
 cruce, &c.

Iconoma-  
 chi.

Rursus be-  
 nigna de  
 sanctis in  
 celo opi-  
 nio.

eos: quàm eos, qui morte ablati è conspectu hominum, ac sub terra iacentes, tunc primum preciosi coram Deo fieri incipiant. Hæc omnia eo refert, ut plebi persuadeat, Principem Electorem, quem Caput suum uocat, à conspectu mortalium ablatum, preciosum esse in conspectu Dei, & in requiem receptum, ubi tutus sit ab omnibus Diabolis & inimicis, eiusq; memoria sine perditione & obliuione in æternum permaneat. Hæc idcirco retulit Cochläus Principi Anhaltino, ut ostenderet ei, quàm uentosa & instabilis sit doctrina Lutheri, quæ ad omnem uentum, uelut arundo, uertitur ac mutatur. A qua cauere nos iussit, & Christus in Euangelio, & Paulus in Epistola ad Ephesios.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXIII.*



Nterea noua oritur Lipsiæ (quæ urbs & celebri Academia & insigni Emporio clara, Duci Saxoniae Georgio, per omnia Catholico Principi parent) iurgandi occasio: Dum multi è plebe diebus Dominicis excurrerent in propinquum pagum, nomine Holtzhausen, qui ad ditionem Electoris Saxoniae spectat. Vbi prædicabat homo Lutheranus, populumq; sub utraq; specie cõmunicabat, quem aliqui Diaconum, aliqui purum Laicum ac lini textorem fuisse dicunt. Hæc ubi rescieuit Dux Georgius, prohibuit Lipsensibus, ne amplius illuc exirent. Cum uero multi iam infecti essent ab illo, & occulte Lutherizarent: Pius Princeps, ut morbidas pecudes à sanis ouibus discernere possit, iussit certa dari symbola, in modum nummi procusa, quæ sacerdotes confitentibus atq; communicantibus tempore paschali darent, & illi redderent Senatui, cum professione nominis quisq; sui. Hæc quidam è ciuibus, qui Lutherizabant, ægre ferentes, iramq; Principis timentes: scripserunt ad Lutherum pro consilio, num metu Principis sui possint salua conscientia sub una specie cõmunicare. Quibus ille (quoniam Vuittenberga septem duntaxat Miliaribus à Lipsia distat) statim respondit in hæc uerba Teuthonice.

*Epistola Lutheri ad Lipsenses.*

Honorabilibus ac prouidis bonis amicis meis Lipsiæ, quos Dux Georgius, hostis Euangelij, nunc proscribit: Gratiam & pacem in Christo, qui apud uos patitur ac mori debet, & certissime resurget atq; uos reget. Intellexi chari amici, quosdã è uobis procurasse interrogari, An bona cum conscientia unam speciem Sacramenti accipere

Noua contentio inter Luth. & Lipsenses ac Ducem Georgiũ.

Senatus Lipsiensis.

Detractiones Luth. cõtra Ducem Georgiũ.

Cōiūtia in  
Principē,  
quæ subdi-  
tos docet  
Luth.

cipere queant, sub eo prætextu, ac si utraq; speciem acceperint, ut hoc modo pacata redderetur uestra Superioritas. Quoniam uero nullum è uobis nosco, neq; scio, quomodo se habeat cor & conscientia uestra, hæc mihi optima uidetur esse sententia. Quisquis hæc de re instructus, in conscientia sua pro Dei uerbo atq; ordinatione tenet, quod utraq; species recte datur: is sub corporis & animæ periculo, contra eiusmodi conscientiam suam, hoc est, contra Deum ipsum, non agat. Iam uero quoniam Dux Georgius nititur etiam secreta conscientia explorare, dignus omnino esset, ut deciperetur, ueluti Sathanæ Apostolus, quacumq; id ratione fieri queat. Non enim habet neq; ius ullum, neq; opportunitatē, tale quid postulandi, & peccat in Deum ac spiritum sanctum. Verum quum nos considerare debeamus, non quid alij faciant homines mali, siue homicidæ sint, siue raptores, sed quid nos deceat pati ac faceret. In hoc sane casu optimum fuerit, ut ferociter dicatur in faciem huic homicidæ atq; raptori, Hoc nolo facere: Si rapueris mihi propter hoc seu corpus seu substantiā meam, alteri rapuisti, cui exacte persoluas oportet. Sicut Petrus ait. Iesus Christus paratus est iudicare uiuos & mortuos. Vade igitur bone raptor, Quod tu uis, id nolo ego. Quod autē ego uolo, id Deus quoq; propediem uolet. Id experiemini: Oportet enim Diabolo crucem in faciem impingere, & non multum uel applaudere uel blandiri, sic sciet, cum quonam sibi res est. Christus Dominus noster uos confortet ac sit uobiscum Amen. Datum Vuittenbergæ in magna sexta feria 1533.

Doctor Martinus Luther manu propria.

Senatus  
Lipsensis.

Hæc epistola, ut Lipsiam uenit, sacratissimis Paschæ diebus, quando populus maxime deuotus unanimisq; esse deberet: odiæ discordiaq; faces in animis ciuium accendit, hinc inde circumlata inter ciues ac multiphariam exscripta. Quod ubi Senatus accepit, ad præcauendam seditionem, confestim ad Dresdam (quæ XIII. Miliaribus à Lipsia distat, ubi Curia est Principis) misit nuncium, cum hac in Teuthonico Epistola.

Epistola  
Luth. dici-  
tur mole-  
stū scriptū.

Illustrissime ac Generosiss. Princeps: Principali Clementiæ uestræ, in primis nostra deuota, promptaq; omnino & officiosa obsequia sunt studiose omni tempore parata. Clemens Domine, paucis iam elapsis diebus comperimus, exemplar molesti cuiusdam scripti (quod Doctor Martinus Luther ad quosdam huc scripsisse fertur) hinc inde per ciuitatem circumlatum esse: Quemadmodum & nobis duo illius exempla in manus tradita sunt. Super quo sane nos multam diligentemq; inquisitionem atq; explorationem fecimus, illius Epistolæ acquirendæ gratia, atq; etiam ad rescendum, quisnam

quisnam eam impetrauerit, ad quem scripta sit, & quisnam eam apud se habeat. Tandem uero post multam nauatam operam, hodie rem certo comperimus, hoc sane modo. Est hic insignis & ingeniosus Gemmarum sculptor atq; Aurifaber, Stephanus Steinber dictus, qui e Nureberga huc se recepit. Huic res hęc nota esse ferebatur. Cuncq; ex dicto magistro Stephano scire omnino uellemus, ubinam ea esset epistola, promisit ille, daturum se operam, ut eam ad manus nostras afferret: Quemadmodum & fecit demum, eam Consuli nostro tradens. Quam nos Illustriss. Clementię uestre his literis inclusam transmittimus. Curauimus præterea, ut prædictus Gemmarū sculptor seu Aurifaber, adhibitis fideiussoribus promiserit, se intra Quatuor Septimanas hinc discessurum non esse, quousq; res ista suum attingat finem. Hęc Illust. Clementię uestre, deuota intentione nō potuimus non denunciare. Cui sane omni cum subiectione ac obedientia, seruire semper paratissimi sumus. Datum sub nostræ Ciuitatis sigillo, Sabbato post Quasi modo geniti, Anno Domini M. D. XXXIII.

## Senatus Lipsensis.

His lectis, Dux Georgius scripsit Principi Electori Saxonie, Ioanni Friderico, qui Patri suo in regimine ac dignitate successit: conquerens de hac Lutheri iniuriosa Epistola, per quam ille non solum grauiter leserit nomen & existimationem personæ eius: Verum etiam subditos eius rebelles facere attentauerit. Atq; per hoc uiolauerit pacta, quæ pater Electoris cum Duce Georgio per utriusq; partis Consiliarios anno Domini 1527. iniuerat. Petebat igitur à filio, Electore nouo, ut propter hanc malignā attentationem uelit ita se gerere in Lutherum, ut manifeste appareret, eam sibi displicere, curaretq; iniurijs tãdem ab illo finē imponi. Caput autem concordie, quod hic citat Dux Georgius, ita habet in Teuthonico de uerbo ad uerbum. Quod ad Lutherum attinet, Clementiss. Dominus noster Princeps Elector Saxonie, debet Luthero, eò quod is in terris & Principatibus eius degat, denunciare per suos, significatum esse Clementię suæ, quod minacia scripta intenderet, ex quibus conijcere liceat, ipsum in animo habere, contra Illustriss. Clementię suæ Cognatum, Ducem Saxonie Georgiū, eiusq; terras & subditos, seditionem ac rebellionem excitare, atq; etiam famosis & conuictiosis uti libellis. Et quamuis Illust. Cle. sua nolit suspicari, quod intentio eius sit, uel contra Clementię suæ Cognatum, uel contra quemcunq; alium, ad seditionem actitare. Id quod non minus Illust. Clemētiæ suæ, quam suo Cognato intolerabile foret: Velit tamen Illust. Cle. sua serio illi mandasse, Cum ipsemet sciret,

Querela  
Ducis Geo-  
orgij ad  
Electorem  
Sax.

Capitulū  
quoddam  
concordiæ  
inter Prin-  
cipes de  
Luthero;

seditionem & iniuriarum irrogationem diuinæ scripturæ atq̃ Euangelio contrariam esse, ut in hoc seipsum admoneat, & ab his omnibus abstineat. Et post pauca. Debet præterea Clementissimus Dominus noster serio præcipere Luthero, ut neq̃ ab ipso, neq̃ ab ullo sibi adhærente, in terris Ducis Georgij, quouis modo aut prætextu quicquam attentetur, prædicetur, proponatur aut agatur. Hæc ibi. Interea Consul Lipsensis, Vuolfgangus Vuideman, propter uarias suspiciones de Epistola illa in populo, scripsit ad ipsum Lutherum, adiuncto Epistolæ exemplo: Benigne rogās, ut clarū det responsum, an ea Epistola ab ipso sit isto modo emissa, & ad quem sit scripta, aut quomodo res aliter se habeat: Quoniam plurimi homines Lipsiæ ob eam habeantur suspecti. Velit igitur suo responso prospicere, ut homines illi, quibus cum ea Epistola nihil negocij est, & nihilominus in suspicione tenentur: à concepta suspicione liberentur ac dimittantur. Huic autem Lutherus ita respondit.

Epistola  
Consulis  
Lipsen. ad  
Luth.

Responsum  
Luth.

Honorabilis prudensq̃ ac dilectæ Domine & amice, scripta uestra recepi, & eorum sententiam admodum probe intellexi. Et ad uestram precationem atq̃ petitionem, est uicissim precatio & petitio mea, dignemini indicare mihi, quisnam uos iusserit aut incitauerit, huiusmodi literas ad me scribere. An fecerit hoc Plebanus in Collen, an Sicarius in Dresden, an uero Domicellus uester Dux Georgius. Tunc sane acquiretis responsum, mensuram plenam, referatam, coagitatam & supereffluentē, Deo uolente. Nam ad seruiendum uobis promptus sum. Datum Vuittenbergæ Dominica post S. Georgij 1533.

Martinus Luther, Doctor &c.

Liber Lut.  
contra Du  
cem Geor  
gium.

Hoc proteruum Lutheri responsum, ubi Consul Lipsensis Duci Georgio Dresdā misisset: Ille rursus scripsit Duci Electori, Agnato suo, adiungens utriusq̃ Epistolæ & Consulis & Lutheri exēplum, addens & minas Lutheri, nuncio Consulis factas, si de cætero tali cum Epistola ad ipsum rediret. Rogauit igitur benigne, ut ea in re faciat, quemadmodum sibi fieri uelit. Inde nactus criminandi occasionem nouam Lutherus, ædidit librum, cui titulum fecit. Confutationem imputatæ sibi à Duce Georgio seditionis, & literas consolatorias ad Christianos, ab eo è Lipsia sine causa expulsos: In cuius sane libri exordio recitat quædam Electoris uerba ad se scripta, In hunc sensum Teuthonice.

Verba Ele  
ctoris ad  
Luth.

Quod si hæc uestra esset intētio, cōcitandi homines nostri Agnati, aut alios per scripta uestra ad ullam seditionem: id nobis nullo pacto à uobis tollerandum esset. Ac facile possētis conijcere, nos

non intermissuros, quin dignam sumeremus de uobis pœnam: At putare uolumus, non esse ad hoc animum uestrum. Quapropter uestrum erit, de tali inculpatione atq; imputatione pro necessitate uestra, ut uestra intelligatur innocentia, uos per scripta uestra defendere: Ne nos quoq; si talis defensio non fieret, existimare oporteat, tanquam harum rerū sitis reus. Hæc Elector iuuenis, qui Lutherum uehementius amare ac magnificare uidebatur.

Eius igitur potentia protectioneq; & iussu fretus Lutherus, pleno conuictiandi ac malignandi impetu, in Ducē Georgium inuectus est. Primum igitur impudentem præmittit Pij Principis præ se contemptū, dicens Teuthonice. Iam nolo Ducem Georgium, tanq̄ meum meiq; Euangelij hostē, eo afficere uel honore uel obsequio, ut fateri uelim, eam epistolam esse meam, etiamsi & manus mea & sigillum meum adesset, quandoquidem secreta est Epistola, quam eum habere nō licet, multo minus super eam agere aut proteruire: Veruntamen, cum propter eam irascatur atq; proteruiat, meq; coram Clementissimo Domino & Principe meo uult accusare, uendicabo mihi eam epistolam, & debet mea esse atq; uocari, ad experiendum, an & eiusmodi epistolam aduersus tam altam & acutam artem Ducis Georgij defendere queam: læte sperans, Deum ad hoc gratiam mihi concessurum esse. Deinde uane protestatur, se nihil dicturum in personam aut statum Ducis Georgij, quemadmodum nec unquam dixerit aut scripserit antea. Et de sua glorians prudentia subiungit. Ego semper (inquit) uerba mea sic posui ac antea ponderaui, quod bene uolo ad ius prouocare, ac proteruire cōtra Ducem Georgium, & omnes eius Papistas in unum, ut non possint cum ueritate ex illis facere ullam seditionem, aut hæresim, aut conuictia, aut famosos libellos. Audacter itaq; prouocat Ducem Georgium, ut si bonus ac uerax sit Christianus, procedat scriptaq; sua probet: In quibus eum coram Electore accusauit, quod ei subditos suos rebelles atq; inobedientes faciat &c. Quem sane librum, ubi uidit Cochlaeus, magno accensus zelo, scripsit Apologiam pro Pijssimo Patrono suo, Duce Georgio. In qua liberè commemorauit multa, quæ ægre tulit postea Elector Saxonix, ad quem ille librum suum, quamprimū excusus fuit, per proprium nunciū misit: quemadmodum in Apologia illa sua publice promiserat. Recitat enim ibi rei gestæ seriem, & omnes supra dictas Epistolas. Deinde admiratur, quod Elector cum Consiliarijs suis nouis perspicere nō potuerit, talem Lutheri Epistolam esse & pactis antiquis contrariam, & plane seditiosam: Cum in ea apertis uerbis scriptum sit, quod optimum sit, ferociter homicidæ ac raptori in faciem dicere,

Scurrilitas  
Lut. in Du  
cem Geor  
gium.

laetantia  
Lut. de sua  
prudencia.

Apologia  
Cochlæi  
pro Duce  
Georgio.



Nolo id facere. Quis enim bonum potest uel gerere uel concipere animum erga homicidam et raptorem: aut erga hostem Euangelij Apostolumq; Diaboli? Præsertim uero, quod addit ibidem Lutherus, dignum esse Ducem Georgium, ut decipiatur, quacumq; id ratione fieri queat. Quid enim aliud intendit seditionis machinator, quàm ut decipiat qualibet arte aut ratione suum Principem aut Magistratum? Obijcit eam quoq; impudentiam, qua sibi uult Lutherus liberum esse, tum ad confitendum, tum ad negandum, quod ea Epistola sit sua: Cum alioqui fœdissime confusa atq; redarguta sit persæpe eius inconstantia atq; contrarietas, etiam Auguste coram ipso Electore. Et aduersus excusationem Lutheri, qua suas contrarietates excusare nititur, affert idem Cochlæus sex rationes, quibus omnem excusandi uiam præcludit. Cum autem Lu-

Duplex calumnia Lutheri in Duce Georg.

therus Duci Georgio rursus obijceret confictum fœdus quorundam Principum: Cochlæus Quinq; rationibus acriter eam calumniam confutauit, ac in Lutherum retorsit, ut non minus ipse, quàm D. Pak, proscriptione dignus esset, propter seditiosum illud figmentum. Confutauit & aliam calumniam recens excogitatam, de quadam iurandi formula, secundum quam cogeret (ut asserbat Lutherus) Dux Georgius subditos suos, Lutheranam abiurare hæresim. Dicebat ergo Lutherus. Si ars est, uenenose interpretari ac malitiose peruertere alicui uerba sua: uellem et ego Duci Georgio bene interpretari iuramentum, quod Lipsiæ subditis suis imponit, & eos iurare cogit, ut iuuare uelint dånare ac persequi doctrinam Lutheranam. Velim ergo dicere, His uerbis uibrat gladium Dux Georgius, & in campum proficiscitur contra Electorem, Lantgrauiumq; & eorum confœderatos. Et post pauca subdit. Nihilominus cum res ipsa doceat, Ducem Georgium non esse compotem sui, Diabulusq; sit in mundo undiq; nequam: uelim, ut eius Nobilitas provincialisq; populus ludum hunc attenderent, atq; etiam uicini Principes. Non intelligo iuramentum istud, scio tamen probe, Diabolum nihil boni intendere, & ex contemptibili scintilla grande incendium nasci posse. Ego nolim accipere omnia bona mundi, quod epistola mea tam seditiose sonaret, quàm sonat iuramentum à Duce Georgio impositum: Oporteret me in hoc ictu oculi præ dolore

Testimonium Senatus Lipsensis, contra Lutherum de iuramento.

mori. Aduersus hanc calumniam produxit Cochlæus publicum testimonium Senatus Lipsensis, qui in sua ad Ducem Georgium Epistola, sic respondit. Nos ad scripta Illustris Clementiæ uestræ, quibus indicat, Lutherum scribere de quodam iuramento hic quibusdam proposito, ad damnandum & persequendum Lutheranam sectam: Tres Ordines Senatus congregauimus, quibus ea perlegimus,

perlegimus, & interrogauimus. Qui omnes unanimiter dixerunt, se nihil scire neque de tali propositione, neque de ipso iuramento: Quemadmodum & nos nescimus, illud cuiquam hic propositum fuisse, neque id nobis ab Illustri Clementia uestra mandatum fuit. Quare scire non possumus, quidnam Lutherus per hoc intendat. Hæc Senatus. Veruntamen postea nactus est Dux Georgius duo exempla conficti iuramenti, quod ad excitandam & conflandam ei inuidiam, à Nebulonibus quibusdam in terris Lutheranis alicubi publice affixum fuerat. Et satis quidem ingeniose confictum fuit, ut facile crederetur esse uerum. Nam secundum cōmunem formam Iuris, de abiuranda quauis hæresi, uerba sonabant. Odiosa tamen uerba illa, ad damnandum ac persequendum doctrinam Lutheranam, in ea formula non habebantur. Affinxit autē ea Lutherus, ut eo grauius odium in bonum Principem concitaret.

Id uero omnium ægerrime ferre uidebatur, quod Dux Georgius diceret, cum seditiose scripisse. Dicebat ergo. Si qua gratia de maledicto ac scelesto mundo promerenda esset, & ego D. Martinus, nihil aliud boni docuissem aut fecissem, nisi quod secularem gubernationē atque potestatem sic illustraui atque exornaui: propter unum hoc saltem deberent mihi & gratias agere & fauere. Talem enim gloriam & honorem habeo, per gratiam Dei, de hoc (sive gaudeat siue doleat Diabolus cum omnibus squamis suis) quod à tempore Apostolorum nullus Doctor aut scriptor, nullus Theologus aut Iurisconsultus, tam insigniter ac clare conscientias sæcularium statuum confirmauit, instruxit & consolatus est, sicut ego feci, per singularem gratiam Dei, hoc pro certo scio. Quoniam neque Augustinus, neque Ambrosius (qui tamen hac in re optimi sunt) mihi in hoc æquales sunt &c. Contra hanc eius iactantiam ita respondit Cochlaus. Ait Sapiens, Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Ego profecto hætenus nunquam audiui, hanc Luthero laudem à cordatis tribui hominibus, qui eius scripta legerunt. Iactitat quidem & multa alia de se suaque doctrina, quæ mera sunt mendacia: Gloriatur enim, Euangelium suum lucidius clariuscque esse, quam fuerit temporibus Apostolorum, & Germanos ante doctrinam suam nunquam uerum habuisse Euangelium. At huiusmodi gloriations tam stolidæ ac monstroscæ, apud ueteres grauesque autores nusquam reperiuntur. Iactitat forsitan hie librum suum (cui titulus est, De sæculari potestate) usque adeo gloriiose super omnes doctores. Quisquis autem eum perlegerit librum, inueniet procul dubio, nullum esse librum uel seditiosiorē, uel conscientijs sæcularium potestatum grauiorem. Deinde commemorat

Iactantia  
Lutheri de  
scriptis suis  
pro sæculari  
potestate.

Prouer. 27.

Cōfutatō  
huius iactā  
tiæ.

Luth. in sermo  
ne de destru  
tione Hieru  
salem.

Seditiosus  
liber Luth.  
de sæculari  
potestate.

idem

idem Cochläus XX. articulos ex eo libro, uelut exempli gratia. Inter quos sane hæc quoque uerba habentur. Sæculares Domini deberent prouincias hominesque gubernare extrinsecus: Hoc omittunt, non plus scientes, quam excoriare ac deglubere, unum uectigal super aliud, unum tributum super aliud imponere: hic ursum, illic lupum emittere: Ad hæc, nullam fidem aut ueritatem apud se retinere. Agunt itaque peius, quam prædones ac Nebulones agerent. Et sæculare eorum regimen tam profunde iacet, quam iacet Ecclesiasticorum Tyrannorum regimen. Quapropter Deus tradidit eos in reprobum sensum, ut agant peruersè, uolentes spiritualiter dominari super animas: Quemadmodum illi uolunt dominari sæculariter, ut confidenter alienis sese onerent peccatis, Dei que & omnium hominum odio, donec intereant simul cum Episcopis, presbyteris ac monachis, unus nebulo cum altero. Hæc ibi Lutherus, & adhuc multo grauiora magisque seditiosa, paulo ante rusticorum tumultus ædidit. Cum autem Dux Georgius depræhendisset circiter LXX. homines, qui Lutheri dogmata sectantes, noluerunt sub una specie Sacramenti Eucharistiæ communicare: præfixit eis terminum à Pascha usque ad Pentecosten, si forte interim deliberarent, Ecclesiæ potius usum, quam Lutheri noua præscripta sequi & amplecti. Quod si nollent, uenderent ædes suas atque emigrarent. Illi per astutum Rhetorem Germanicum (omnia enim hæc Germanice & dicta & scripta fuerunt) confinxerunt supplicationem bene prolixam. In qua sane simulata deuotione, offerebant sese ad omnem obedientiam, quam salua conscientia præstare possent, & argute multas recitabant sui propositi probationes, ut ea supplicatione plebem Lipsensem in odium Principis, & in misericordiam sui concitarent. Cum autem inter cætera scripsissent, se libenter parituros, si quis eos aliter doceret, ut recte possent sub una specie communicare: Pius Princeps rogauit Episcopum Merseburgensem, tanquam Ordinarium loci, ut eos ab erronea conscientia reuocaret sanis admonitionibus. Id quod ille fidelissime fecit, assumptis aliquot secum Prælati & Doctoribus. Quoniam uero recens adhuc feruebat discessio, mentesque hominum titillabat uana gloriatio, quod uiderentur & sibi & alijs Lutheranis persequutionem pati propter uerbum Dei, Et maior pars eorum hominum iam alibi apud Lutheranos in propinquis oppidis domos ad inhabitandum conduxerat, pars uero eorum, qui iuuenes erant soluti & artifices, locum mutare poterat facile: Inde factum est, ut ex toto eorum numero uix duo potuerint sanis admonitionibus reuocari, quamuis diceretur quibusdam sigillatim, quibusdam collectim, si gloriarentur de uerbo Dei, certum

LXX. homines Lutherani è Lipsia discedere iussi

Eorum supplicatio.

Cur sana doctrina non habuit locum apud eos homines,

certum & clarum haberent uerbum Dei, quo Christus expresse iubet, audire Ecclesiam: At nullum haberent uerbum Dei, quo expresse iubeat Christus, Laicis dare utranque speciem Sacramenti. Sed pudor uidebatur eis & dedecus, a cœpto resilire, persecutionisque famam (quæ rudes animos titillabat quasi martyres essent) amittere. Maluerunt itaque abire quàm remanere. Potuisset quidem Princeps de iure seuerius aduersus eos agere, sed noluit: Id unum quærens, ut separaret oues morbidas à sanis. Nihil aliud igitur aduersus eos constituit, quàm ut personaliter Lipsiæ non habitarent: Permisit tamen, ut retinerent ibi non solum domos & bona sua, uerum etiam uxores liberosque cum familia. Quin & ipsis ter in anno tempore Nundinarum Lipsiam reuifere liceret, sicut alijs mercatoribus. Cæterum neminem eorum uel in minimo mulctauit obulo. Lutherus autem, cum scriberet ad illos literas consolatorias, rebellionem & discessionem illorum maximis extulit precationibus, per multas rationes Rhetoricis persuasionibus fucatas. Quarum Tertia sic habet, Tertia (inquit) consolatio fortis ac potens est, si consideretis causam, propter quam patimini ac expellimini. Diabolus quidem & Dux Georgius simul cum Contyrannis suis, pretendunt apparenter, uos expelli, propter unicū articulum de utraque specie Sacramenti. At sub eo articulo est eorum intentio (quam & factis demonstrant) ut debeatis abnegare totam doctrinam nostri Euangelij, omnesque Papæ abominations adorare. Hic merito debet gaudere cor uestrum, quod ex ea urbe & illa prouincia existitis: In qua præcipitur, ut abnegetur ac infestetur uerbum gratiæ & remissionis peccatorum, & quomodo per solum Christum, absque meritis, iustificamur ac saluamur. Hic est enim principalis articulus, ex quo omnis nostra fluxit doctrina, & tam clare in lucem prodit, quod etiam Augustæ coram Cæsare confessa & cognita fuit, quomodo in scripturis sit fundata: & Aduersarij ipsi coacti sunt fateri, quod per sacram scripturam confutari non queat. Cui igitur non fiat nausea? Cui non inhorrescant pili? Cui non tremat in uisceribus cor? (si Christianus esse uelit) ut in ea habitaret urbe, in qua Euangelium, Sanctus Paulus, ac tota scriptura sacra prohibetur atque damnatur: Et ut abnegetur atque infestetur, præcipitur atque iuratur. Deberet sane aliquis nudus potius ex ea currere, & ne uno quidem ictu oculi in ea remanere. Hæc & id genus plurima ibi Lutherus conuictiosissime simul & calumniosissime, quibus in odium pijs Principis populos concitare nitebatur. Aduersus ea specialem ædidi librum Cochleus, plurima in eo Lutheri mendacia redarguens, suumque Patronum pijs Principem excusans, Vbi inter alia sic ait.

Clemens  
Principis  
contra eos  
sententia.

Consolatio  
Luth. ad  
expullos.

Mendacia  
& calumniæ  
Luth. im-  
pudentiss.

Responsio  
Cochlæi.

Agre

Ægre quidem fert Lutherus, quod Dux Georgius causam fidei tam strenue tutatur, & dicit, Episcopis cōcionatoribusq̄ dimittendum esse regimen Confessionis &c. At nequitosus monachus probe scit, Lutheranos nihil prorsus deferre Ecclesiasticæ potestati, sed omnem ei obedientiam subtrahere, absq̄ omni timore ac uerecundia. Scit item, Ducem Georgium non mittere manum suam in Confessionem & in secreta conscientiarū, sed extrinsecus duntaxat (ubi opus fuerit) inquirere, siue per signa siue per alium modum, quisnam suorum confiteatur & communice, sicut Ecclesia instituit atq̄ præcepit. Qui sane id facit, ex nulla uel Tyrannide uel te

Tenantur  
Principes  
sæculares  
hæreticis  
resistere.

1. Reg. 15.

C. de Episcopa  
li. aud. l. Statui  
mus.

Per Ama-  
lech maxi-  
me Luthe-  
rani signifi-  
cantur.

Liber Co-  
chlæi ad  
Electorem  
Sax. ab eo  
missus, ut  
Lutherum  
iudicio si-  
steret.

meritate: sed ex debita obedientia, quæ eius conscientiæ sub animæ suæ salute iniuncta est, tanquam Christiano Principi, tum à Deo ipso, tum ab utroq̄ iure, uti supra ostensum est. Væ autem ei, si istud non fecerit, sed ex timore humano tam serua Dei ac utriusq̄ iuris mandata neglexerit aut præuaricatus fuerit. Timendum enim foret ei, ne sibi contingeret, sicut contigit olim bellicoso ac uictorioso Regi Saul, quem Deus reprobauit destituitq̄ & à regno proiecit, ex nulla alia causa, nisi quod gentem Amalech non penitus deleuit, sicut ei Deus per Samuelem prophetam præceperat: sed cepit ac reseruauit Agag regem, ac permisit populo de ouibus & armentis meliora quædam ad immolandum domino. Sic & Dux Georgius contra Deū peccaturus esset, si non pro uirili sua (quem admodum ius Imperiale ei sub iureiurando iniungit) cunctis hæresibus in terris suis resisteret. Quamuis autem omnes hæretici generaliter per Amalech designantur, qui contra Ecclesiā pugnant, sicut pugnauit Amalech contra filios Israël: Præcipue tamen Lutherani per Amalech intelligi possunt. Amalech enim interpretatur gens bruta, siue lambens populus, qui secundum carnem sensumq̄ animalē uiuit, sicut uiuunt nunc Lutherani: In primis uero Idolum eorum, Monachus iste cum Moniali sua. Idcirco tenetur unusquisq̄ Princeps Christianus Rom. subditus Imperio, sub iureiurando, nullam in terris suis hæresim tolerare, atq̄ Ecclesiasticæ potestati (quæ ab hæreticis hoc tempore maxime contemnitur) assistere, ut Christiani ritus ordinationesq̄ & Cæremoniæ in terris suis conseruentur.

Cæterū ad ipsum Principem Electorē Saxonix, misit Cochlaus librum suū (sicut in ipso publice promiserat) cum quadam Epistola manu sua scripta. In qua humiliter petebat ab eo, ut Lutherum, iuxta propriam ipsius prouocationem ad ius, adigeret ad standum iuri, atq̄ ad experiendum in iudicio cum ipso Cochlæo, qui sub periculo corporis & uitæ offerret sese ultro ad probandum sufficien-

ter,

ter, quod Lutherus sit hæreticus atq; seditiosus: Id quod Lutherus nunquam probari posse scripserat. Elector ille receptis ac lectis libro & Epistola Cochlaei, nihil respondit. At Cancellarius eius dedit nuncio scripturam, quæ testificabatur & librum & Epistolam Principi Electori à nuncio traditam esse, adiecta indignatione minaci, quod Elector paterq; eius in eo libro essent iniurijs affecti, quæ memori mente reponerentur. Verum dum liber Cochlaei Dresdæ excuderetur, Iurisconsultus quidam Vuittembergensis, cui nomen est Benedicto Pauli, à Typographo fallaciter per mediam personam sex Quaterniones eius libri adeptus est, data fide, quod redditurus esset antequam Dresdam egrederetur: sed uir Euangelicus, qui fidem in ore semper habet, calcata fide data, non redditis Quaternionibus abiit. Lutherus itaq; mox alium scripsit librū, cui titulum fecit. Paruum responsum Lutheri, ad proximum librum Ducis Georgij: Vt ad easdem nundinas Lipsenses parata esset responsio in librū Cochlaei, qui eodem tempore iam primum æditus erat. Quam malignus uero in Ducem Georgium, quam superbus in Cochlaeum, & quam impius in uota uitamq; Monasticorū, in eo fuerit libro Lutherus, non facile enarrari queat. Etenim Duci Georgio imputauit ibi librum Cochlaei, tanquam autori, eò quod Typographus in frontispicio libri, ad decorem aspectus, appresserat arma Ducis. Ait igitur. Ducem Georgium habui quidem pro uiro superbo & iracundo: At tam rudem ac inconsideratum non putauit, ut paterna arma sua, Nobilem ac preciosam Coronam ruteam, summum suum decus super terram, deberet fa-

Liber Luti  
malignus  
in Ducem  
Georgiū.

De rutea  
corona.

tuo in eius narium excrementa illuuiemq; apprimere, ac sinere, ut sic circumferretur in terra. Maius dedecus nobili coronæ ruteæ nunquam accidit, Quam tot memorabiles Imperatores, Principesq; ac Domini, tanto tempore, hætenus in summo honore, atq; adhuc, circumtulerunt, ac tot egregia facinora uirtutesq; sub eius uexillo, tum in bellis tum in pace ædiderunt &c. Ad hæc ita respondit Cochleus. Corona rutea per Typographum ultro apposita est: Id quod ei neq; à Duce Georgio, neq; à meipso mandatum fuit. Quemadmodum ipsemet fatetur, ac fateri uult, ubicunq; ea de re rationem postulatus fuerit: Quandoquidem illam antea ultra XX. annos plæriscq; libris à se excusis appresserat. Neq; immerito stat laudabile illud stemma circa ueritatem, quæ meo in libello, per gratiam Dei, asserta, confirmata & in lucem prodita est eui-

Dux Saxo  
niæ, Alber  
tus Pater  
Ducis Ge  
orgij.

Quod autem Lutherus acri exclamatione ait. O si uiueret Dux Albertus, nobilis ille Heros, & uideret sic degenerasse filium suum:

Y Ah

Ah multo libentius est mortuus &c. Hoc est Rhetoricū quoddam præstigiū, quo ex musca facit Elephantem Lutherus. Profecto si hactenus uixisset laudatissimus ac fortissimus Princeps ille, nequaquam permisisset, ut Apostaticus Monachus (quem Papa, Cæsar, omnesq; Status Ro. Imperij, multæ præterea Vniuersitates, atq; externæ Nationes Christianitatis, publice ut hæreticum condemnauerunt) deberet sub protectione præclarissimæ domus Saxonix, tantum schisma, tãtamq; turbationem in Generali Christianitate, tantumq; damni, calamitatis, cædumq; & sanguinis effusi in Germania, per mendacia hæreticæ & seditiosa scripta excitare atq; procurare, ipsumq; stemma Ducum Saxonix, ruteam Coronam, tam graui ac indelibili nota cõmaculare. Neq; dubito, si gloriosus Princeps Elector Dux Ernestus, cum suis Catholicis progenitoribus, à mortuis resurgerent, atq; uiderent, quid in Catholicis eorū prouincijs Lutherus intra XII. annos instituerit: Quin ipsum ignitis forcipibus facerent dilaniari, atq; in puluerem comburi, suumq; nepotem ac patruelem, Ducem Georgium, summis laudibus prosequuturi essent, quod prouincias suas, non solū strenue in Catholica fide antiquisq; Caremonijs (sicut ipsi post se reliquerant) conseruarit: Verum etiam temporalium rerum incrementis, multisq; præclaris ædificijs, per prouidam accuratamq; regendi solertiam suam ita extulerit atq; ditauerit, ut meliores antea nunq; fuerint. Hæc ibi Cochlaus. Cæterum quantæ sint calumniæ impietatesq; Lutheri eo in libro suo, cõtra omnem statum Monasticum: Integro declarauit idem Cochlaus libro. Sed nimis longa foret omnium recitatio. In summa uocat ibi Lutherus omnes Monachos perfidos, abnegatos, Apostaticosq; Christianos, atq; etiam blasphematores ac novos Crucifixores redemptoris sui Iesu Christi, criminatoresq; eius passionis ac sanguinis. Ideoq; suadet ibi populo, ut assuescat per Monachum nihil aliud intelligere, quàm abnegatum Christianum, Apostatam a fide Christi, confederatū Diabolo aut Magū &c. Erat itaq; grauis inter agnatos Principes, Ducem Electorē, et Ducē Georgiū, dissensio, non solum in causa fidei & religionis: uerum etiam in quibusdā alijs rebus, quæ ad temporale regimen spectabant. Quoniam uero inter Ducem Electorē Ernestū, huius Electoris auum, & inter Ducē Albertum, Ducis Georgij patrem (qui erāt fratres Germani) ita mixtim facta fuit terrarum diuisio, ut alter alteri bellum inferre, absq; propria terrarum suarum iactura, non posset: Ideo ex utraq; parte factus est delectus Consiliariorum insigniumq; uirorum, qui in unū conuenientes, uelut arbitri, in quos uterq; Princeps compromiserat, ita composuerunt

Dux Sax.  
Ernestus  
olim Prin-  
ceps Ele.

Cõuitia Lu-  
the. in Mo-  
nachos.

Cõcordia  
inter Ele-  
ctorem &  
Ducē Ge-  
orgiū facta

composuerunt foeliciter omnes dissidiorum causas, ut tam Luthe-  
 ro quam Cochlaeo alijsq; interdictum sit, ne de caetero suis de reli-  
 gione contentionibus intermisceant nomina causasq; Principum  
 istorum aut earum ciuitatum. Interea coeperunt, non sine laude  
 multorum, legi opuscula Georgij Vuicelij, qui X. annis Luthera-  
 nus fuerat: Resipiscens autem, Lutheri dogmata docte acriterq;  
 impugnabat. Lutherus quidem longe superbior erat, quam ut di-  
 gnaretur illi respondere: Ionas autem & Cordatus ac Raidenus  
 quidam, partim Latine partim Teuthonice, criminationu & con-  
 uitiatorum plaustra plena in eum effuderunt, Quibus ille intrepide  
 respondit. Ionae quidem inter multa alia sic obuiat. Atq; adeo  
 tu ipse (inquit) Iona fassus es Balthassari Phacho, uiro incorrupto,  
 ante quatridentu, quam isthinc discederem, immitius mecum actum  
 fuisse. Vbi nunc laqueus praefocator, a quo non longe abfuit. Immo,  
 ubi est frons tua Iona? O sanctum uirum, cui ex corde imo dolet,  
 quod non iam diu in crucem subactus, coruos pasco. Parum erat,  
 me Cethegum factum, nisi & Verrem faceret, & post fidefragum,  
 uirtutis omnis hostem, mente praua natu, carnificem furiosum &c.  
 O linguam recte Euangelicam, probe saluificam. Vellem autem  
 Iona, tui nominis tuaeq; sectae aliquam habuisses rationem, in ista  
 tua perturbatione, quae te, quatus quantus es, totu absorptu, adeoq;  
 dementatum, per tot conuitiatorum ac mendacioru praecipitia agi-  
 tauit &c. Maxime uero aegre tulerunt, quod Vuicelius omnem  
 tumultuum calamitatumq; culpam & originem Lutheo impu-  
 tauit: sic enim scripsit in eodem libro. Qui fax & origo totius cala-  
 mitatis extitit, is in summu cacumen euectus, rerum belle potitur:  
 Vere Leo (nam ita uolunt praedicatu) in cubili suo accubans, qui  
 sibi catulisq; suis sufficienter cepit. Quare rugitu suo misera animal-  
 cula perterrefacit, ut ne mutire quidem contra audeant, & attra-  
 hit pauperem, ut attractum deuoret. Dic mihi, ad quem fecit in  
 Conuentu Vuormaciensi Secretarius Badensis haec uerba. Ingen-  
 tes motus excitaturi sunt libri tui: An fefellit eum opinio: Quis pri-  
 mum scripsit, Verbum Christi annunciare Tyrannis tumultum?  
 Quis suasilit, ut quisquis possit et uelit, discindat atq; aboleat Bullas,  
 immo in cinere uertat ualuas, quibus fixae eae sint: Quis suasilit, Mo-  
 nasteria solo aequanda esse, ut Diaboli lupanaria: Et sat esse causae  
 dixit, cur Ecclesiae Collegiatae, una cum Monasterijs & sacellis era-  
 dicentur. Quis cecinit Dorium hocce, Episcopos commeritos, ut e  
 Christianismo, ceu lupi, fures, & latrones expellantur? Quis scri-  
 psit de lotione manuum in sanguine Cleri Rom. Ecclesiae? O  
 Thraces, O Scordisci, qui adeo humano sanguine delectamini.

Georgius  
Vuicelius  
desertor  
Lutherisimi

Verba eius  
in Iustum  
Ionam.

Fax & origo  
seditio-  
nis fuit Lu-  
therus.

Y ij Mirum,



Mirum, quod non ex ossibus capitum magis bibere libet, quam e cyphis auratis. Taceo hic Bohemicum exemplum, quod minatur Amatodipsas ille. Quem refert Epistola ad Lyncum, in qua absq[ue] misericordia perdantur Papistæ: Hæc & id genus seditiosa scripta non pauca obiecit ex Lutheri libris Lutheranis Vuicelius.

Præfatio  
Lut. contra  
Vuicelium

Ad quæ sane nihil respondit Lutherus, nisi quod in Raideni librū scripsit præfationem Teuthonicam. In qua magno fastu & contemptu ait, Manifesta mendacia responso digna non esse: Vuicelij aut impudens & os & cor, contra propriam suam conscientiam, adeo manifeste mentiri, ut etiam eius Papistæ palpare queant, etiamsi cæci essent: Ideo non esse dignum leuem illum nebulonem, ad cuius scripta respondere debeat. Hac Lutherus calumniā, soluit, iudice se & cæco uulgo suo, cuncta Vuicelij argumenta. Verum apud cordatiores, cœpit indies suspectior fieri Lutheri doctrina, dum uiderent ab ea deficere doctos & disertos quosdam uiros, qui & stylo & ingenio ualent. Inter quos sane præcipue Doctorem Ioannem Crotum & hunc Vuicelium, criminatur & odit Lutherus cum suis. Eodem anno missi fuerunt in Germaniam Ora-

Duo Ora-  
tores, unus  
Papæ, alter  
Cæsaris,  
propter  
Concilium  
generale  
ad Princi-  
pes missi.

tores duo. Vnus à Papa Clémente VII. alter à Cæsare Augusto Carolo V. Qui Principibus ac Statibus Ro. Imperij annūciarent futuri Concilij Generalis celebrationem. Quæ qualiter agenda esset, Octo declarabatur articulis: Qui ubi propositi fuissēt Electori Saxonie, is petijt dilationem ad respondendum, donec super ea re cum cæteris sibi adhaerentibus consultaret in Conuentu Smalkaldensi, sub finem Iunij mensis habendo. Facta igitur ibi deliberatione, scripserunt responsum, in quo ubiq[ue] prætulerunt summo Pontifici (tāquam ei nihil obedientiæ debeant) Ro. Imperatorem, quem pro domino suo agnoscebant. Quamuis igitur in proponēdo & subscribendo uidissent ubiq[ue] primas partes datas fuisse Nuncio Apostolico, R. Domino Hugoni de Rangonibus, Comiti, & Episcopo Regiensi, qui & Principem se subscripserat. Post quem Cæsaris Orator absq[ue] omni additione subscripserat simpliciter, Lambertus à Briaerde: Ipsi tamen in responso suo, hoc uisunt

Respōsum  
Lutherano  
rum.

initio. Salutem plurimam & officia nostra. Magnifice & Reuerende in domino, amice singularis, et Domini obseruandi. Cum nuper nobiscum die secundo Iunij essetis, in oppido nostro Vuinmaria, in Turingia, postquam nobis deliberata quædam Inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti, Cæsaris Augusti, Domini nostri Clemētissimi, et Ro. Pontificis Clemētis, de Concilio exposuistis, et Nuncius Pontificius exhibuit nobis quosdam articulos de Concilio scriptos: Respondimus uobis, nos collocuturos esse de hac re cum

cum alijs Principibus, Comitibus ac Ciuitatibus, nobiscū sentien-  
 tibus de religione &c. Quoniam uero primus articulus ita ha-  
 bebat. Quod Vniuersale hoc Concilium, quod indicendum & ce-  
 lebrandum proponitur, liberum sit, & iuxta morem Ecclesie con-  
 suetum, atq; multis ante sæculis ab initio usq; Vniuersalium Conci-  
 liorum ad hæc tempora obseruatū, celebretur. Secundus uero sic.  
 Quod ij, qui Concilio interesse habebunt, eius decretis stare & in-  
 uiolabiliter parere, profiteantur & promittant. Et sextus locum in  
 Italia Concilio præfigebat, unam ex his tribus ciuitatibus. Man-  
 tuam, Bononiam, Placentiam. Quarum unaquæq; cum tuta, ca-  
 pax, fertilis, & salubris sit: uicinitate etiam situs, Germaniæ magis,  
 quam ceteris omnibus Transalpinis Nationibus esset accommoda.

Lutherani in responso suo de ijs maxime conquerebantur arti-  
 culis, tanquam prorsus dissentientibus à deliberationibus Princi-  
 pum, quæ in Conuentibus Imperialibus habitæ atq; conclusæ fue-  
 rant. Etsi enim in primo (inquiunt) articulo uocat liberum Conci-  
 lium, tamen aliud agitur re ipsa, cum primū omnes potentatus sibi  
 obligare uult. Si enim liberā Synodum habere uellet, hanc obliga-  
 tionē non requireret: Quæ ei nihil profutura est, si quid contra eum  
 in libera Synodo, ex uerbo & scripturis Dei decernatur. Nunc cum  
 obligat Principes, certe per speciem & nomen Concilij, id facit sue  
 potentie stabilientiæ causa, uultq; habere obnoxias omnium uo-  
 luntates &c. Aduersus hæc ita præfatus est Cochleus, in quo-  
 dam ad Primatem Scotiæ Archiepiscopum S. Andreæ libello. Quod  
 Lutherani in hos Octo de habendo Cōcilio articulos con-  
 sentire nolunt, mera uidetur esse tergiuersatio. Quid enim in illis  
 est, quæso, uel durum uel iniquum, quod ulla æquitate aut ratione  
 honeste recusari queat? Etenim in primo articulo petitur, ut Con-  
 cilium sit liberum, ubi scilicet Patribus tuto ac secure decernere li-  
 ceat, quicquid spiritui sancto uisum fuerit. At illi efflagitant, ut in  
 Germania celebretur, ubi Patres ita forent captiui, ut nisi decerne-  
 rent ea, quæ Lutheranis placeant, mox armis Nobilium & Luthe-  
 ranæ plebis furori obijcerentur interficiendi. Petitur in eodem,  
 ut celebretur Concilium iuxta morem Ecclesie consuetum, & tot  
 retro sæculis ab initio usq; seruatum. At illi nouum quærent mo-  
 rem, iuxta quem summo Pontifici præponatur Ro. Imperator;  
 Cardinalibus & Episcopis Principes & Domini sæculares: Pasto-  
 ribus scilicet oues, Sacerdotibus Laici, Patribusq; filij. Et de fidei  
 quæstionibus non decernant Episcopi & Theologi, sed clamosi  
 Rhetores & Syllabarij Laici, qui nouam Bibliorum interpreta-  
 tionē, quam Lutherus ædedit, in manibus gestantes, sacræ Theo-  
 logiæ

Articuli de  
Concilio  
futuro.

Querela  
Lutherano-  
rum cōtra  
eos articu-  
los.

Cochleus  
de equitate  
illorum ar-  
ticulorum.

Nouum  
morem in  
Concilio  
petunt Lu-  
therani.

Parere De-  
cretis Con-  
ciliij, alienū  
est Luthe-  
ranis.

Sola scri-  
ptura diui-  
na non po-  
test in con-  
trouersijs  
iudex esse.

2. Cor. 3.

Quis de-  
bet esse iu-  
dex in cau-  
sis fidei.

+ iudicij ueri-  
tatis.

Malach. 2.

Matth. 18.

logiæ Doctoribus insultent & reclamant, contentiosissq; uocifera-  
tionibus præualeant, quod non aliter intelligendus sit cuiuslibet  
scripturæ textus, quam ipsi cum suo Luthero intelligunt. In se-  
cundo autem articulo petitur, ut Concilij Decretis pareatur. Hoc  
Lutheranis alienissimum uidetur, Quasi contra libertatem Chri-  
stianam sit, parere Cōcilio. Vellent potius ita celebrari Concilium,  
sicut celebrati sunt hæcenus apud nos Germanos plaricq; Conuen-  
tus Imperiales. In quibus licuit eis, per saluum conductum, impune  
contradicere quibuslibet aliorū Principum Ordinūq; atq; adeo  
& ipsius Imperatoris decretis: Consumptis frustra tot Milibus atq;  
etiam Myriadibus Aureorū, dum fictis uerbis spem cōcordiæ no-  
bis proponerēt &c. Dicebant in eodē responso suo Lutherani,  
Ad officium Cæsareæ Maiestatis pertinere, ut Cæsar curet, rem ex  
uero Dei cognosci ac iudicari, quando cunq; Ro. Pontifex uerita-  
ti aduersatur: Ne Papa, cum pars sit, simul etiam Iudex sit. Ad hæc  
ita respondit Cochleus. Quomodo in Concilio iudex præcipuus  
& solus erit scriptura (ut Lutherani uolunt) quæ sententiam per sese  
neq; sentit, neq; intelligit, neq; eloqui potest? Nihil per hoc dero-  
gauerim sacræ scripturæ, quam ut opus spiritus sancti ueneror &  
sacrosanctam habeo, à qua & pendeo, ac sciens prudensq; ne la-  
tum quidem digitum ab ea discesserim. At uerū eius sensum in con-  
trouersijs, non ab ipsamet requiro, quia eloqui nescit: sed à sanctis  
Patribus, qui uiuo Dei spiritu inspirati, locuti sunt: Aut à Ro. Pon-  
tifice, pro cuius fide Christus ipse rogauit: Aut à Generali Concilio,  
in cuius medio Christus ipse est, & spiritus ueritatis realiter præ-  
sens existit, sententiamq; per ora patrum (qui Ecclesiam repræsen-  
tant) ueraciter dicat. Habitat enim spiritus ille, non in mortua li-  
tera, sed in uiuo corpore Christi, quod est Ecclesia, quam gubernat,  
sicut anima corpus: Non in uerbis aut syllabis scriptis, sed in cordi-  
bus fidelium, quæ sunt Epistola uiua (ut ait Apostolus) nam uere  
uiuunt per fidem. Sicut enim corpus ex anima: Ita & anima ex fide  
uiuunt. Quando ergo clamant Lutherani (uerbi gratia, circa hæc  
uerba. Hoc est corpus meum) suū sensum esse uerum: Contra uero  
clamant alij hæretici, ut Zuingliani, suū esse ueriorē: Catholici uero  
reclamant utrisq;. Quis hic, quæso, eloquatur sententiam? Nemo  
profecto iustius, quam summus Pontifex, aut Generale Cōcilium.  
Diuina enim scriptura in controuersijs, non ad scripturā mutam,  
sed ad summū sacerdotem ire iubet, ut ab eo petatur + iudicium ue-  
ritatis, Deut. 17. Sic & Malachias ait. Labia sacerdotis custodiunt  
scientiam, & legem requirent ex ore eius: Quia angelus domini  
exercituum est, Sic Christus iubet audire, non mutas literas, sed  
Ecclesiam

Ecclesiam uiuam. Deniq; & Paulus cum Barnaba, in controuersia *Act. 15.*  
 de circuncisione exorta, appellauerunt, non ad scripturam, quæ de-  
 cernere nequit, sed ad Apostolos & Seniores in Hierusalem. Et  
 illi eam controuersiam determinantes, non scripturam, sed spiri-  
 tum sanctum, & seipfos posuerunt iudices, dicentes. Visum est spi-  
 ritui sancto & nobis &c. Si enim aduersarij Pauli fuissent tam per-  
 uicaces & rebelles Ecclesiæ, quàm hodie sunt Lutherani: nequa-  
 quam acquieuisent illi iudicio, sed dixissent. Quæ scriptura decer-  
 nit, ne circuncidantur gentes: Atq; ita in hunc usq; diem perman-  
 sisset ea controuersia: Quia non scriptura, sed spiritus sanctus per  
 Apostolos & Seniores eam determinauit. Hæc & id genus alia  
 Cochlæus ad Primatem Scotiæ, contra exceptiones & tergiversa-  
 tiones Lutheranorum. Qui sub idem fere tempus aliam quoq; *Apologia*  
 Apologiam scripsit, pro Episcopis Scotiæ, aduersus Alexandrum *Cochlæi*  
 Alesium Scotum, qui Apostatica perfidia e Scotiæ regno Vuitten- *pro Epis-*  
 bergam profugerat, atq; ibi odiosam aduersus Episcopos illius *copis Sco-*  
 regni, querelam & accusationem ædiderat, ad Sereniss. Regem *tia, contra*  
 Scotiæ, Iacobum Quintum: propter quoddam Decretum, quod *Alesium*  
 prohibebat legere Noui Testamenti libros lingua uernacula. Di- *Apostata.*  
 cebat Alesius. Quid facerent aliud Turcæ, aut aliæ gentes inimicæ  
 nomini Christiano, quàm quod isti faciunt, ne populus attingeret  
 sacros libros, ne cognosceret Christi beneficia & sanctissima præ-  
 cepta &c. Respondit Cochlæus. Nequaquam faciunt Episcopi  
 per illud Edictū, sicut Turcæ aut aliæ gentes inimicæ nomini Chri-  
 stiano, Turcæ enim omnibus, ubi possunt, Christianis sacros libros  
 adimunt, sacerdotibus iuxta ac Laicis, absq; ullo discrimine & re-  
 spectu. Episcopi autem optima intentione, non in odium Christi  
 aut plebis Christianæ, sed ad gloriam Christi, & in ædificationem  
 atq; utilitatem plebis, ita statuunt, Ut plebs in Ecclesia à sacerdoti-  
 bus, rite uocatis & ordinatis, uerbum Dei, beneficia, præcepta &  
 promissa Christi audiat deuote, & addiscat cum fructu. Scriptum *Malach. 2.*  
 est enim: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirēt  
 ex ore eius. Hoc enim longe melius est, & diuinæ ordinationi  
 conformius, quàm est nouitas Lutherana: Qua rudis populus re- *Prædicatio*  
 trahitur à concione publica, & seducitur angulari prædicatione aut *nes Luthera-*  
 lectione Laicorum, quos nemo in Ecclesia Doctores constituit. *ranæ sine*  
 Nullum itaq; pariunt fructum bonum: De quibus dicit Dominus *fructu*  
 per Prophetam. Expectaui ut facerent uuas, & fecerunt labruscas. *bono.*  
 Et Christus in Euangelio. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de *Esaï. 5.*  
 tribulis ficus: De quibus & Erasmus Roterodamus, uir quo nostro *Matth. 7.*  
 longe doctissimus, ita scribit ad Vulturium. Nunquam illorū Eccle-  
 sias

Chronica  
Sebastiani  
Franci hæ-  
retici.

fiat sum ingressus, sed aliquando uidi redeuntes à concione, ueluti malo spiritu afflatos, uultibus omnem iracundiam, ac miram ferociam præ se ferentibus. Quis uero unquam uidit in illorum concionibus quenquam, pro peccatis suis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Hæc ille. Laudandi igitur, non redarguendi sunt Episcopi, qui tales deordinationes & peruersitates prohibent. In hunc modum respondit Cochlæus ad 50. huiusmodi obiectiones Alesij, quas longum foret recitare. Sed & contra Sebastianum Francum Teuthonice scripsit, nempe contra hominem Zuinglianum, qui Teuthonice grande scripsit uolumen, quod Chronica inscripsit, in tres partes diuisum. In quarum prima, recitat historias ab Adam usque ad Christum. In secunda, à Christo usque ad coronationem Imperatoris nostri Caroli V. Augusti, Bononiæ factam. In tertia uero (quæ ut cæteris est prolixior, ita & longe pestilentior) totis ingenij sui uiribus oppugnat Ro. Pontificum auctoritatem gestaque & constitutiones. Diuisit eam partem in VIII. libros bene longos. In quorum primo ex Veleno, aliisque hæreticis probare nititur, Sanctum Petrum Romam nunquam uenisse: Et uitas Pontificum adeo maligne describit, ut multo plures sint ibi criminationes & calumniæ, quam rerum gestarum historiarum. In secundo libro scribit de Concilijs. In tertio de hæreticis. In Quarto de Monachorum ordinibus. In Quinto de sanctorum cultu & de Missa. In sexto de uitijs & malis artibus Ro. Pontificum. In septimo de Ecclesiasticorum Curtisanicis negotijs. In octauo de signis, Papam & Antichristum concernentibus, & de extremo iudicio. Totum sane uolumen adeo refertum est & impijs erroribus, et odiosis mendacijs seditiosisque calumnijs, in Papam omnemque Clerum, atque etiam in tributa & uectigalia sæcularium Principum: ut Magistratus Argentiniensis, & Typographo interdixit uenditionem librorum, & auctori ciuitatem: Nihilominus multa per fallaciam furtiue in occulto uendita sunt uolumina. Cochlæus igitur, ut

Duo Libelli  
Cochlæi.

Germanis suis breuiter ostenderet, quam misere ac maligne ab huiusmodi nebulonibus decipiantur: Duos ædidit libellos. Vnum contra Reformationem falso adscriptam pio Principi, Sigismundo Imperatori Augusto: Alterum contra unum duntaxat Capitulum Quinti libri Tertiarum partem Chronicorum Franci iam dicti, Cui hanc fecit Francus ille superscriptionem. Quando, quomodo, & à quo, Occidentalis Ecclesia Europe, Missam & Trāsubstantiationem panis & uini in corpus & sanguinem Christi acceperit. Ad quam sane Cochlæus dolenter ita respondit. Vtranque certissime accepimus à Christo Domino nostro: Vtranque enim non humanis uiribus

De Missa  
et Trāsub-  
stantiatione.

aut

aut uerbis, sed mandato, uirtute & uerbo Christi, Omnipotentis filij Dei, fit, qui dixit, Hoc est corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem. At Francus iste, uelut hostis tum Missæ tum Ecclesiæ, uult utranq; rem facere nouam ac nuper introductam, & à Diabolo inuentam. Quod tamen nec ipse, nec Lutherus, nec ulli spiritus seclitiosi, simul cum omnibus demonijs, ostendere unq; poterunt &c. Respondit deinde sigillatim ad LXXXVIII. articulos ex uno illo capitulo excerptos. Circa ultimum ergo sic ait. Mallem equidem multo potius ex sacra scriptura religiosiq; scriptis sanctorum patrum, contemplatiuam quærere uitam, & cor meum in Dei laudibus mirabilibusq; cōsolari atq; oblectare, quàm huiusmodi uanis impijsq; nugis hæreticorū intendere: Sed oportet me, uelut exiguum & qualecunq; membrum Ecclesiæ, aduersus immanes, uirulentos, & importunos istos Ecclesiæ hostes, facere quod in me est, quantum Deus dederit. Vnde cogor, tantum molestiarum, uaniloquiorum, uenenosarum deceptionum, odiosorum mendaciorum, criminationum, conuitiarum calumniarumq; ab istis illotis, & à dæmonio obsessis blateronibus pati atq; uidere. E quibus nihil suaue, iocundum aut ædificatorium recipio, sed amarissimum fel omnemq; sordem, hæresimq; & illuuiem rudissimorum Bubalorum & Onagrorum ueteris nequitiae & impietatis, nempe Leonistarū, Albigensum, Pighardorum, Thaboritarum, Hulsitarum &c. cum nausea conspicio. Quam nouelli isti hæretici pleno uomitu in publicum eructant, iteratisq; sordium uieibus in plebem Dei euomunt. Fuit isto anno apud Lutheranos tanta de nouissimo die & extremo iudicio fama, atq; etiam de certo die huius anni persuasio, ut ex plebe multi nollent ædificare, ex agricolis multi nollēt seminare & arare: ex Nobilibus non pauci sumpserint Eucharistiam, tanquam certo die (qui mundo nouissimus foret) morituri. Verum ubi dies ille, prefixus à Pseudoprophetis, præterijt absq; mundi transitione: misere decepti atq; illusi homines illi Euangelici, & coram alijs erubuerunt, & se inuicem deriserunt, Vuittenbergæ, atq; in plerisq; alijs oppidis. Quemadmodum & Anabaptistæ plerunq; terruerunt ea comminatione homines simpliciores: Qui si uere Euangelici aut essent aut unquam fuissent, scirent utiq; Christum dixisse, Matth. 24. De die autem illa & hora, nemo scit, nec angeli cœlorū, nisi pater solus. Et Act. 1. Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.

Acta

Præfatio  
Luth. in li-  
brū suum  
De angula  
ri Missa.



Mina Lut.

Disputatio  
Luth. cum  
Diabolo.

Nterea longe immaniorē uirulentiorēq; Teu-  
thonice euulgauit librū Lutherus, quem inscripsit  
de angulari Missa consecrationēq; sacerdotum.  
In quo sane sic præfatur. Nos hæcenus semper,  
præsertim uero in Conuentu Imperiali Augustæ,  
humiliter obtulimus nos Papæ & Episcopis, quod  
nollemus eorum ius Ecclesiasticamq; potestatem dissipare, sed si  
nos ad impios non cogerent articulos, uellemus libenter ab eis &  
consecrari & gubernari: Vellemus præterea coadiuuare ad manu-  
tenendum tale ius atq; potestatem. Verum non potuimus id ab eis  
obtinere aut impetrare, Sed uolunt nos aut ad sua mendacia abo-  
minationesq; cogere, aut neci dare. Quod si aliquando euen-  
rit eis (quandoquidem sic indurati sunt Pharaones) circa potesta-  
tem & consecrationem, sicut euenit circa Indulgentias, Cuius, que-  
so, erit culpa? Cum enim offerre me de Indulgentijs tacere, si modo  
de me tacerent alij, tum neq; Papa, neq; Cardinales, neq; Episcopi  
me audire uoluerūt, sed uolebant simpliciter, ut reuocarem, aliosq;  
clamare sinerem. Quid inde lucrati sunt? Hic iacent Indulgentiæ,  
& literæ simul cum sigillis euanuerūt, nec est quicquam in mundo  
Indulgentijs contēptius. Et infra. Quid, si propediem sic eueniet  
eis circa Ecclesiasticam potestatem, & circa sacrorū ordinum con-  
secrationē, ut quemadmodum Indulgentiæ cum literis disparuerūt  
atq; euanuerunt: sic & Chrisma ratiæq; coronæ dissipentur, ut  
nesciatur ubi Episcopus aut presbyter manserit: Deus est mirabi-  
lis, Indulgentias aboleuit, Purgatorium ignem extinxit, peregrina-  
tiones suppressit, multosq; alios Dei Mammonæ cultus, atq;  
Idololatrias Papistarum prostrauit, per uerbum suum: An etiam  
tantū medullæ in manibus suis adhuc habeat, ut rancidum Chrisma,  
præter suam uoluntatē, per mera figmenta humana introductum,  
possit exufflare? Hæc in præfatione ibi Lutherus. Deinde subiun-  
git disputationem Diaboli cum ipso habitam. In qua sane Quinq;  
rationibus probauerit ille, Lutherum XV. annis, dum celebraue-  
rit Missam fere quotidie, meram cōmisisse Idololatriam, eo quod  
non confecerit ibi corpus et sanguinem Christi, sed merum panem  
uinumq; adorauerit, alijsq; adorandum proposuerit. Dein fingit,  
se illi respondisse, quod fuerit consecratus sacerdos, & acceperit ab  
Episcopo Chrisma & sacros Ordines, idq; totū se fecisse ex man-  
dato et obedientia, ac serio protulisse uerba cōsecrationis, magna  
cum

cum deuotione Missas celebrasse. Quomodo igitur dicat ille, quod non consecrauerit: Tum respondisse Diabolum, hæc quidem esse uera: Sed Turcas quoq; & Paganos omnia in Templis suis facere ex mandato & obediētia. Ac sacerdotes Ieroboam (ipse Ierabeam dicit) in Dan & Bersabee omnia fecisse, forsitan maiori cum deuotione, quàm ueros sacerdotes in Hierusalem. Quid ergo, si tuus ordo, tuum Chrisma, tuæq; consecratio impia fuerit & falsa, sicut Turcarum ac Samaritarū: Hic ait sibi Lutherus erupisse sudorem, corq; cœpisse tremere ac palpitare, tanquā fuerit à Diabolo uictus.

Postea subdit illius argumenta, quæ pro inuictis acceptat. Contra has impietates Cochlæus protinus ædidit sex libros Innocentiū Tertij, doctissimi ac laudatissimi Pontificis: De sacro altaris mysterio, eosq; nuncupauit Nobilissimo Principi, Domino FERDINANDO, Romanorum Vngariæq; & Bohemiæ Regi. Inter cætera sic dicens. Non arbitror, mihi ad Maiestatem tuam scribenti uel decorū uel necessarium fore, exquisitis declarare argumentis, quanto iustius securiusq; credendum sit tam pio ac erudito Pontifici, quàm desperato & in reprobum sensum dato Apostatæ, cuius amarulentia, furor, inconstantia, fastus animi, & excæcatæ mentis malitia, iam pridem uario rerum tractatuumq; experimento Maiestati tuæ probe cognita sunt. Nec dignum existimo aut rationabile, ut tam insanus, infamis & impius Diaboli satelles, ulla ex parte uel doctrinæ uel uirtutis, cum tanto Pontifice conferatur, aut in comparationē ullam admittatur: cum in eo ne mica quidem ullius uirtutis aut sanæ doctrinæ, amplius sit reliqua. Hæc ibi Cochlæus, qui & alios tres eiusdem Pontificis libellos, de contemptu mundi seu de miseria conditionis humanæ tum ædidit, atq; etiam Duos compendiosos libellos Isidori de officijs Ecclesiasticis, ante annos 900. ab illo scriptos: quibus merito rectius creditur, quàm furij Lutheri. Et ne Germaniæ populos negligere uideretur, Teuthonice quoq; respondit tã impio ac plane Diabolico libro Lutheri. Vbi sic præfari cœpit. Inquietus Ecclesiæ hostis Lutherus, rursus nouū ædidit librum, hocce cū titulo. De angulari Missa et sacerdotū cōsecratione. In quo sane sanctissimum patrem nostrum Papam, contumeliose uocat Regem Glirium (tanquam Cæsar, Reges, Principes, Cardinales, Episcopi, alijq; Domini, qui eū pro summo Christi Vicario summoq; totius Christianitatis Prælato agnoscunt, pro Gliribus habendi sint) Nostros uero Episcopos & Pastores, uocat fures Dei, sacrilegos, sacerdotes angulares, dānatos, fatuos &c. Missam uocat abominationem: immaculatū altaris sacrificium, uocat stercus, lutum, sordem, illuuiem: sacros Ordines, rancidum putidumq; Chrisma.

Præfatio  
Cochlæi  
pro Inno-  
centio III.  
cōtra Lut.

Liber Coch-  
chlæi de  
Missa, & sa-  
cris ordini-  
bus cōtra  
Luth.



Contra mi-  
nas Luth.

Lut. contra  
rusticos.

De Indul-  
gentijs ua-  
na iactan-  
tia Luth.

Nomen  
Luth. exe-  
crabilius  
nomine  
Diaboli.

Chrisma. Quæ sane conuitia, supra modum horrenda, merito de-  
bent omnibus Christianis esse intolerabilia, ac uelut ignea tela ser-  
pentis, maxime abominanda, nec secus atq; Diabolicę blasphemię,  
in æternas tenenbras reijcienda &c. Aduersus autem minas Lu-  
thericę præfationis ita solatur Catholicos, Quod autem minatur  
nunc, se finem impositurum sacris Ordinibus Ecclesiasticę potes-  
tati, sicut fecisse Indulgentijs se iactitat; hoc nos Catholicos sacer-  
dotes (qui potestatem istam Ordinemq; sacrum principaliter habe-  
mus non ab eo, neq; ab ullo homine aut Angelo, sed à Deo ipso)  
detertere non debet. Lutherus enim iam olim nouas ædidit Bul-  
las & Indulgentias, ante XII. annos, in seditioso libro suo, aduer-  
sus omnem Statum Ecclesiasticum: Tanquam n̄ forent ueri Chri-  
stiani ac filij Dei, qui & consilio & auxilio coadiuuarent, ut Episco-  
patus, Collegia sacerdotum, et omnia Monasteria delerētur. Cum  
autem misere seductis Agricolis, Diabolicus ille conatus male suc-  
cederet: nouus iste Papa, nouas ædidit aduersus eos Indulgentias,  
ut quicumq; rusticos illos perimeret quocunq; modo, palam aut oc-  
culte, is optimum Deo præstaret obsequium. Quod si in hoc opere  
interficeretur ipse, anima eius è uestigio mox in cœlum euolaret.  
Tale enim esset tunc tempus, ut Princeps aliquis cædibus & san-  
guinis effusione melius possit promereri cœlum, quàm alij preci-  
bus. Quod si nunc ex ira Dei in angulo suo Indulgentias, Mis-  
sasq; & sacerdotales ordinationes, per sceleratas calumnias Sophi-  
sticalsq; nugas reddit reddiditue contēptibiles: cogitur tamē è con-  
tra & audire & experiri, quod non solum in amplissimis regnis  
longinquisq; prouincijs Hispaniarum, Galliarum, Italiæ, Scotiæ,  
&c. Verum etiam in proximis coram oculis suis Principatibus Ca-  
tholicorum Principum Saxonix, Marchiæ, Misniæ & Turingiæ,  
adhuc quotidie à consecratis sacerdotibus celebrātur (Deo sit laus  
& gratiarum actio) Missæ, statiq; diebus annunciantur Indulgen-  
tiæ. Lutheri autem nomen in plæriscq; locis ita exosum est ac ma-  
ledictum, ut illud neq; in bono, neq; in malo proferre liceat. Quod  
profecto singularis & hæctenus inaudita est plaga atq; contume-  
lia, ut Lutheri nomen odiosius sit, quàm Iudæ proditoris, & quàm  
Diaboli ipsius: Quorum nomina longe tutius securiusq; in ijsce lo-  
cis pronounciari possunt, quàm nomen Lutheri. Hęc ibi contra Lu-  
theri minas. Aduersus autem Quinq; argumenta Diaboli, qui-  
bus se uictum dicit Lutherus, respondit Cochleus tum generaliter,  
tum specialiter. Generaliter quidem, postquam ex proprijs uerbis  
Lutherum de Transsubstantiatione redarguit, ita subiungit. Non  
foret necessarium, ad argumenta Lutheri, quæ Diabolum propo-  
suisse

fuisse dicit, respondere: Quandoquidem omnes probe scimus, Diabolum esse uersipellem hostem ueritatis, malumq; spiritum, qui in malo est ac manet obstinatus in perpetuum, ut nihil boni in mente aut uoluntate sua habere aut proponere possit, Quemadmodum Christus de eo ait. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit: Quia non est ueritas in eo. Sicut & Petrus, Paulus, Ioannes Ioan. 8. Apostoli, omnesq; sancti de eo conqueruntur, quod sit fraudulentus, mendax, calumniator & seductor. Nullus igitur Christianorum, boni aliquid ex argumentis eius expectare debet: sed dicet potius intra se, Etiam si argumenta illa per Sophisticos fucos apparerent ualida, quæ soluere non possem, tamen me nihil mouere debent. Quandoquidem certam habeo ueritatem Christi, dicentis: 2. Cor. 11. Quia non est ueritas in eo. Et Pauli, qui ait. Ipse enim Sathanas 1. Tim. 3. transfiguratur se in angelum lucis. Manebo igitur potius in fide Ecclesie, quam Paulus dicit esse columnam & basim ueritatis. Responso specialis ad primum argumentum. Specialiter uero declarat circa singula fallacias atq; mendacia eius. Verbi gratia. In primo argumento mentitur manifeste, dum ait, Nos non credere in Christum, sicut in saluatore nostrum, & Turcam atq; Diabolum credere in Christum quoq; sicut nos. Quod si Lutherus fatetur, se talem fuisse, de nobis certe id nunquam probare poterit. Quod autem obijcit, nos à Christo ad Mariam aliosq; sanctos fugere, plane mentitur. Non enim inter se contrarij sunt Christus, Maria & sancti: Ideo nō sequitur, eū à Christo deficere, qui ad matrem eius confugit. At Lutherus per hoc fallaci pruritu mulcet aures populi, tanquam non sit Christus timendus ut iudex, sed inspiciendus tantum, ut mediator atq; redemptor: Cum tamen Christus ipse in Euangelio dicat. Neq; enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Et nos quotidie in Symbolo Ioan. 5. Apostolorum de eo dicamus. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Et Petrus in Actis Apostolorum de eodem dicat. Et precepit nobis predicare populo & testificari: quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex uiuorum & mortuorum. Act. 10. Recte igitur imploramus Mariam aliosq; sanctos, ut apud Christum Dominum & Iudicem nostrum, pro nobis peccatoribus intercedant. Nam & Psalmista ait. Psal. 33. Timete Dominum omnes sancti eius. Per hæc itaq; iacet in luto primum argumentum, uelut putridum uanumq; nugamentum, ex mendacis consutum, neq; ab acuto Diabolo inuentum. Hæc ibi. Cætera referre nimis longum foret. Declarauit autem Vuicelius Teuthonice per XLIII. Capitula, qualenam sit Euangelium Lutheri. In quorum sane singulis multos breuiter commemorat errores et nequitias Lutheri: Verbi gratia. In primo

Capitulo de libero arbitrio sic incipit. Iste propheta & Euangelista Martinus Lutherus docet, Omnia que fiunt, siue bona siue mala, ex necessitate fieri. Item, Deum operari in uno quoque & bonum & malum. Et neminem scire uel bonum uel malum cogitare, sed unumquodque cogitare sicut cogitur. Quod si ita esset, quis posset a uitij cauere? Sequeretur itaque, eum qui homicidium, furtum aut adulterium facit, ex necessitate coactum facere, nec posse non facere: presertim cum & Iudam dicat ex necessitate coactum, tradidisse Christum. Hæc est Quarta pars primi Capituli, exempli causa recitata.

Alia opuscula *Teuthonica* *Teuthonica* *nica*. Adidit autem idem *Vuicelius* & alios non paucos libros *Teuthonice* hoc anno: Vtpote unum de *Pœnitētia*, *Confessione*, & *Excōmunicatione*: Alterum de *sacra Eucharistia* seu de *Missâ*.

In quibus grauius ex scripturis et antiquis patribus, refellit multos *Lutheri* errores. Et paulo post alium, de *Oratione*, *Ieiunio* & *Elemosyna*. In quo sane lepidè tradit *Lutheranorum* uitia, neglectumque bonorum operum. De oratione sane sic ait inter alia multa. Summa, Nulla gens uiuit super terram, quæ non oret, & orationis opus ualere non sinat, siue sint *Christiani*, siue *hæretici*, siue *Iudæi*, *Pagani*, *Turcæ*, *Insulani* &c. Sola secta *Lutherana* multis iam annis contra hoc opus in publicis cōcionibus ubique pugnauit. Quid orare, quid orare? Orando parum efficias coram Deo. Ad hoc citabāt uerba *Christi* *Matth. 6. & 23.* ubi Dominus reprobabat orationes *Pharisæorum*. Et *Ioan. 4.* ubi *Samaritarum* orationem reprehendit. Hic obijciebant ex *Psalmo*. Oratio eorum fiat in peccatum: hic damnabant septem horas sacerdotum, præ quibus Deo gratius sit, uel asinum rudere, uel infantem uagire: hic reiciebant consuetas *Laicorum* preces: hic nihil erat boni in cunctis libellis precatorijs, siue *Latini* essent siue *Teuthonici*: hic nulla recipienda erat oratio, præterquam *Pater noster*, quamuis & ea oratio cum cæteris in dissuetudinem abibat: hic breuis debuit esse oratio, si omnino orandum erat, quia Deus oris preces non curaret: hic irridebantur uiduæ, uelut sanctorum deuoratrices, quæ flexis genibus iacebant & orabant: hic exhibebantur eæ preces, quæ in confessione fuerant iniunctæ. Quæ ergo concio facta est, in qua oratio *ieiuniumque* non uellicarentur? Id autem uerum esse, ex eorum plebe cognoscitur, quæ assiduis declamationibus tam longe ab hoc opere est abducta, ut perpauci sint, qui uel orent, uel in hebdomada semel orare cogitent. Quanta est turba eorum, qui in toto mense uno aut altero, ne semel quidem integre dicant unum *Pater noster*? Tam rarum igitur (ne dicam contrarium) eis factum est hoc opus, perinde ac si desierint esse *Christiani*.

De

De Ieiunio autem sic eos increpat. Si populus noster per odium operum ab orando potuit auerti, quāto facilius à ieiunando. Nam & antea à ieiunio abhorrebamus: facile igitur aboleri potuit. Corpori enim mundanorum longe durius est ieiunare, quā edere ac bibere. Vnde iam natū est prouerbiū istud. Quis ieiunat libenter? Id quod Christianitati parum honoris affert. Melius igitur fuisset, ut uos operū ofores rem diligentius expendissetis, ac tantum mali Christianitati non intulissetis: Quæ sane non minus ieiunijs, quā orationibus carere neq; uult neq; potest. Cur igitur tam bonum opus impugnastis? Cui in despectum? An opus malum est ieiunare? An inuentum est humanum? An excogitauerunt aut instituerunt illud sacerdotes? An in scripturis fundamentum non habet? Vbi ergo manet nunc gloriatio hæc uestra. Nihil in Ecclesia nisi malū abrogauimus: Quod bonū est, reseruauimus: Huic gloriationi uestre nimis diu creditum est: Cum unusquisq; & uideat & palpet, merum esse mendacium, quod in cælum usq; foetet.

Quale  
apud Lu-  
theranos  
ieiunium.

De Eleemosyna uero adhuc multo plura eis impropere, eò quod multas pias Eleemosynas aboleuerūt: Ut sunt stipes, Balnea, conuiuia, propter defunctos pauperibus exhiberi solita. Item, Census & prouentus sacerdotiorum, Bona Monasteriorum, Reditus Xenodochiorum &c. Quæ sane & contra charitatem & contra Testatorum ultimas uoluntates, pauperibus sunt ablata, & in diuitum aut Helluonum commodum uersa. Verbi gratia, de Monasterijs abolitis ita differit. Quo perueniunt magnorum Monasteriorum bona: Quis deuorat eas Eleemosynas? Monachi eas habere non debēt, Vnde tu habere debes: permittite iudiciū: Ex utra parte iustior est possessio? Propter Deū fundata sunt, propter quem accipis tu: Illi erant mendici, quid es tu? Dicis, eos nihil pie propter ea fecisse, quid pie propter ea facis tu? Per ea peccauerunt, non omnes, credo: Tu uero ad quid aliud usurpas bona opulentiarum Abbatiarum atq; Præpositurarū, quā ad mundanam & pompam & uoluptatem? An non erant illi multo misericordiores benignioresq; erga suos subditos, erga peregrinos, erga omnis generis pauperes, quā nunc estis uos noui Monachi? O tam uerum est hoc, quā ueræ uos estis Harpyiæ. An non plus commodi habuit plebs è Monasterijs antea, quā modo? An non multi Agricolaë ibi solamen habebant & refugium in suis necessitatibus? quid nunc habent? Hæc & id genus multa Teuthonice Vuicelius, qui per X. annos inter eos uersatus, omnia probe nouerat. Interea duæ famosæ prodierunt in publicum Epistolæ, aduersus Erasmum Roterodamū, Vna Nicolai Amsdorfij, qui Magdeburgi Lutherum

Quales  
apud Lut.  
Eleemosy-  
næ.

De Monas-  
terijs.

Duæ Epi-  
stolæ fa-  
mosæ con-  
tra Erasmū  
Rotero-

rismum prædicat: altera Lutheri, Amstdorfius breuiter pronunciat, summam Erasmiæ doctrinæ hanc esse. Doctrina Lutheri hæresis est, quia damnata à Cæsare & Papa: sua uero est Orthodoxa, quia Episcopi et Cardinales, Principes et Reges mittunt & donant ei aurea pocula: si aliud est in suis libris, moriar. Lutheri autem epistola, ut multo prolixior, ita & longe atrocior erat. Cui confestim respondens Erasmus, & à conuictis temperans, titulum hunc libello suo dedit. D. Erasmi Rote. Purgatio, aduersus epistolam non sobriam Martini Lutheri. In ipsa autem purgatione inter alia multa sic ait. Quod mihi Lutherus obiicit, adeo non est humanum, ut sit plus quam dæmoniacum. Conatur enim hoc orbi persuadere, Erasmus non solum nihil credere de rebus diuinis: Verum etiam illud iam olim dolis, insidijs, totisque uiribus agere, ut uniuersam religionem Christianam labefactatam, tandem det precipitem, proque hac Paganismum in mundum reuocet. Non tueror (inquit Erasmus) ne tam atrox et impotens conuictum (nihil enim aliud est) in me hæreat apud eos, qui uel legerunt meas lucubrationes, uel domestica consuetudine propius inspexerunt mores et ingenium meum: Illis satisfaciendum est, qui quum nec me norint, nec meos libros euoluerint, sic Luthero sunt addicti, ut oraculum existiment quicquid dixerit. Utinam in uita tam obtemperassem diuinis præceptis, quam de his quæ sunt fidei, liberam & quietem habeo conscientiam apud Deum. Quod ad mores attinet, quotidie cum suspirijs ac dolore cordis interpello Domini misericordiam. Quem tamen nolim mihi unquam fieri propiciam, si Diabolici facinoris unquam uel leuissima cogitatio pupugit animum meum, non dicam, ut uniuersam Christi gloriam obscurarem: sed ut ipse à fide Catholica resiliam. Atque utinam huius corpusculi iactura queam hoc Ecclesiæ dissidium consopire, Quam lubens & gaudens eam mortem susciperem. Interim admissorum quidem ueniam nocturnis diurnisque precibus à Domino postulo: fidem autem oro, non ut det, sed ut datam confirmet augeatque. Hæc coram Deo loquor ex animo, sumat extemplo de me pœnas, si quid mentior. Et infra. Vide (inquit) quam sibi non constent hominum iudicia. Martinus clamat, me nihil scire, nequaquam intelligere illa subtilia, quæ scribit in Papistas, uix etiam hæc crassa, neque quicquam omnino docere. At hi mihi obiiciunt, quod illa ipsa subtilia Lutherus magna ex parte hauserit è meis libris. Fateor me, quæ scribo, plerumque haussisse è libris ueterum Orthodoxorum. Cæterum si tollas è libris istius hyperbolas, conuictia, facetias, Tautologias, Ecstragodismos, asseuerationes. Ad hæc, quæ illi conueniunt cum Ioanne Hus & Ioanne Vuiclepho

Responsio  
Erasmi.

Atrocissima  
in Erasmi  
calumnia  
Luth.

Quales  
libri Luth.

Vuiclepho

Vuiclepho, alijsq; nonnullis, fortasse non multum restabit, quo ueluti proprio gloriatur. His crassis meum ocium oblectare malo, quam istis subtilibus turbare totius Ecclesie tranquillitatem, ac ciuitates cum ciuitatibus, plebem cum Principibus & Episcopis, ipsos Principes inter sese committere. Tamen non sum usq; adeo plumbeus, ut non intelligam Martini Paradoxa, quæ nobis memoriter occinunt tetrices & calciarij: De his loquor, quæ Latine prodidit. Iam si nihil esset in eius libris falsum aut erroneum, tamen ista tam effrenis in omnes malidicentia inficit lectorum animos, præsertim Idiotarū, nec aliud gignit, quam schismata. Hæc & id genus multa in sui purgationem Erasmus.

Tunc autem Anabaptistarum pestis grassabatur in Germania Inferiore: Maxime uero præualuit Monasterij, in celebri ac munita urbe Vuestualig, in qua & Cathedralis Ecclesia est & multus Clerus. Vnde factum est, ut sero in ea ciuitate publice prædicata fuerit Lutheri doctrina, qua semel admissa, mox undiq; confluxerunt eo ex Inferiore Germania exules Lutherani & Anabaptistæ. Hi primum modesti, & tanquam propter Christi Euangelium proprijs sedibus exturbati, hospitio & Christiana misericordia uidebatur digni. Pestilentes autem Doctores, adiungentes sibi hos conuenas, plurimos ciuium peste sua infece- runt, ac arte pedetentim in perditam sectam illectos pertraxerunt. Tandem ubi conspiratio satis uirium habere uisa est, proruperunt subito in forum, armis decertare parati. Reliqui autem ciues, etsi numero superiores essent, pugnare tamen noluerunt, siue quod cupe- rent ciuium sanguini parcere, siue quod timerent, ne Episcopus eorum, qui foris proxime urbem habebat & equitatum & peditatum expeditum, per eam pugnam urbe potiretur. Præuolentes itaq; Anabaptistæ, mox omni Magistratum administratione priuarunt: factis autem inducijs paucorum dierum, permiserunt primo abi- re uolentibus res suas exportare, nisi si quid esculentum aut pocu- lentum esset. Horum enim adeo nihil efferrî sunt passi, ut mulieri- bus quibusdam, quæ agmen infantium partim ferebant in ulnis, partim ad manus trahebant, uascula ceruiciæ plena, qua fatigatos in itinere paruulos recreaturæ uidebantur, adimerent: ipsorumq; è manibus infantium panes triticeos, quos eis mœstæ matres, uel ad solatium, uel etiam ad leniendam famem dederant, raperent.

Paucis post diebus eos, qui suæ sectæ non erant, spoliatos prius hostilem in modum, ad unum omnes exegerunt, nihil eis suarum rerum relinquentes, nisi si quam uestem non admodum bonam fuissent induti: adeo, ut Corrallia quoq; infantibus detraxerint, nec à conuictis in abeuntes abstinerint, uocitantes eos impios &

Nidus  
Anabapti-  
starum fa-  
cta urbs  
Vuestpha-  
liæ nomine  
Monaste-  
rium.

Violentia  
eorum con-  
tra alios  
ciues.

Expulsio  
spoliatioq;  
ciuium.

Paganos, Pro gentibus enim & infidelibus habent quoslibet, qui suæ sectæ non adhærent. Exturbatis itaq; cunctis presbyteris, Monachisq; & omni populo Catholico, atq; etiam Lutheri parte, urbem obtinuerunt Anabaptistæ, ex infima plebe & ex peregrina colluue conuenarum nouum ciuitatis corpus regimenq; constituentes, atq; pulcherrimas, tum Canonicorum, tum Patriciorum, & Senatorum, domos inter sese distribuentes. Episcopus autem foris omnes uias obsidebat, ad prohibendum & noua auxilia, & com meatus. Ei uero auxilia & instrumenta bellica mittebāt uicini Principes & Episcopi, Archiepiscopus Colonienſis, Dux Cliuenſis & Iuliacenſis, & Episcopi Vuestualia. Penetrauerunt tamen in urbem CCC. milites mercenarij, nequicquam prohibente Episcopo: Quin etiam cæsis aliquot eius militibus in conflictu, & quibusdam in urbem raptis, quorum capita mox præcisa in muris spectacula proposuerunt Anabaptistæ. Ipsa autem urbs & natura & arte egregie munita erat. Sita namq; in planitiæ, a quam habet, quam nemo auertere facile queat. Neq; ullos habet colles uicinos, quos hostis possit insidere. Commeatu præterea & pecunia satis abunde prouisum erat, ex spolijs opulentorum ciuium atq; Ecclesiarum. Cæterū obsidio multo longius protracta est, quam putasset utraq; pars. Episcopus certe nō paucos perdidit milites inter obsidendum. Nam bona pars oppugnando periit, pars uenenatis petita sagittis, diro cruciatu animam exhalauit: Anabaptistæ autem, gens animæ prodiga, & ad perdendum pereundumq; æque animata, mortem non formidabant, sed magna sperabant auxilia, tum ab alijs uicinis urbibus ea peste infectis, tum præcipue ex Phryſia & Hollandia magnas expectabant copias. Propheta igitur eorum præcipuus, Ioannes à Leydis oppido Hollandiæ, artificio sartor, post oppugnationem ab Episcopo frustra tentatā, suis persuasit, Deum sibi per spiritum mandasse, ut Rex fieret Israël & iustitiæ, sicut Dauid fuerat, ac toti dominaretur orbi, perderetq; omnē potestatem, tum sæcularem, tum Ecclesiasticam: & nemini parceret, nisi ijs, qui suam reciperent fidem, fierentq; subditi iustitiæ. Cum ergo nemo auderet spiritus oraculo contradicere, constitutus est generali suorum consensu rex: Qui regno sic obtento, mox magno apparatu regalem instituit Curiam diuersis officijs & magistratibus, atq; insigni pompa se suosq; ministros exornauit holosericis, auratisq; & argenteis indumentis, quæ ex templis abstulerat. Ipse autem gestabat coronam triplicem ex auro præcipuo, & catenam auream gemmis adornatam: pomum item aureum, cui parua crux aurea superposita erat, cum hac inscriptione, Rex iustitiæ super terrā. Gladium

Vrbs munita ac diu obſeſſa.

Rex in eadem factus quidam sartor.

Pompa noui Regis.

diū præterea aureum, cum capulo argenteo. Sic & reginam suam  
 eiusq; uirgines preciosissimo splendore fecit ornari. Ter itaq;  
 in hebdomada sic adornatus processit in forum, ibiq; in sublimi  
 throno resedit, satellitum stipatus caterua. Quicumq; ergo causam  
 illi suam propositurus erat, in accessu bis curuabat genua, ac semel  
 procidebat pronus in terram, antequam negocium proponeret.  
 Rex autem cunctis formidabilis in Maestate, nouas condidit le-  
 ges: Permisit unicuiq; uiro Quatuor, Quinq;, sex aut septem uxo-  
 res: Ipse Quatuor habebat & Quintam superinduxit. Præcepit  
 omnibus puellis XII, annos habentibus, ut nuberen: Viris autem  
 præcepit, ut uni uxorum tam diu condormiret, donec grauidam  
 redderet, deinde cum alia concumberet. Paulo post instituit cœ-  
 nam Domini, circa atrium maioris Ecclesiæ. In qua sane confedis-  
 se dicuntur Quatuor Milia & CC. homines, quibus Rex & regi-  
 na cum ministris suis ad mensam ministrarunt. Dederunt autem  
 primo tria fercula de carnibus clixatis & assatis. Deinde sumps-  
 erunt rex & regina placentas triticeas, quas fregerunt alijsq; porre-  
 xerunt, dicentes. Accipite & manducate, atq; annunciate mortem  
 Domini. Similiter & cantharum uini cum hisce uerbis. Accipite &  
 bibite ex eo omnes, atq; annunciate mortem Domini. Sic & se-  
 dentes postea, alter alteri, porrexerunt, sub hisce uerbis. Accipe  
 frater aut foror, & comede ex hoc: sicut Christus se tradidit pro  
 me: Ita ego me tradam pro te. Sic postea Rex quoq; & regina  
 cum ministris suis, atq; cum ijs, qui ex Vigilijs aduenerant cœnam,  
 itidem celebrarunt assidentes mensæ. Peracta autem cœna,  
 interrogauit Rex in genere totū cœtum, An parati essent omnes,  
 facere ac pati uoluntatem patris: Cunctis annuentibus ait, Hæc est  
 uoluntas patris & hoc eius mandatum, ut aliquos uestrum emit-  
 tam, ad annunciandum mirabilia eius, quæ nobiscum fecit. De-  
 inde nominatim ex scheda legit eius propheta, Ioannes Vuaren-  
 dorpius, Sex qui irent Osnaburgum, Sex qui Casfeldiam, Quinq;  
 qui Vuarendorpiam, & Oçto (inter quos & propheta ille erat)  
 qui Susatum proficiscerentur. Rex dedit unicuiq; nummum au-  
 reum, ualoris IX. Florenorum, & uaticum præterea. Qui mox re-  
 liçtis omnibus, adhuc uespere illo egressi, cum peruenissent in su-  
 pradictas urbes uicinas, horribili clamore intonuerunt dicentes.  
 Conuertimini, & agite pœnitentiam: tempus enim hic breue est, ut  
 pater sit uobis misericors. Iam enim securis ad radicem arboris posi-  
 ta est. Quod si pacē non receperitis, breui subuertetur urbs uestra.

Deinde procedentes, accesserunt ad Prætorium cuiuslibet ur-  
 bis & coram Senatu expandentes in terra pallia sua, nummosq;

Terror &  
 superbia  
 regis.

Cœna Do-  
 mini ab A-  
 nabaptistis  
 celebrata.

Rex mul-  
 tos emisit  
 uelut Apo-  
 stolos in  
 alias urbes.

Prædicatio  
 eorum.

Z iij illos



illos ex auro preciosos super ea proijcientes, dixerunt. Nos à patre huc missi sumus, ad annunciandum uobis pacem. Quam si recipitis, bona uestra in commune tradite: Quod si nolueritis, nos hoc aureo nummo protestamur coram Deo, quod pacem eius non recipitis, sed contemnitis. Et addiderunt. Nunc esse tempus illud, de quo Prophete omnes prædixerunt, quod Deus nihil aliud habere uult super terram, quàm iustitiam. Postquam ergo rex suo functus officio, totum orbem iustitiæ subiugauerit, tunc Christus tradet regnum patri suo. At miseri ac phanatici homines illi, etsi gratiosi primum à ciuibus auditi atq; recepti fuerunt, præsertim Vuarendorpiæ & Casfeldiæ, quæ urbes sub Episcopi Monasteriensis ditione sunt: Tamen breue fuit gaudium eorum. Episcopus enim admoto exercitu, statim compulit eos ciues, ut furiosos prophetas illos in manus ipsius traderent. Osneburgi quoq; mox qui eo uenerant, compræhensi fuerunt, ut Episcopo traderentur: Nam & ea ciuitas illi paret Episcopo. Alij item Octo, qui Susatum uenerant, ubi compertum fuit, quod seditionem excitare intenderent, capti ac ultimo affecti sunt supplicio. Est enim urbs illa grandis ac populosa, quæ etsi subesse deberet Archiepiscopo Coloniensi: tamen illum non recipit, sed utitur libertate & iure suo. At qui Episcopo traditi fuerunt, tum libere, tum per torturas interrogati, omnia intrepide confessi fuerunt, ad mortem parati: adeo, ut ne unus quidem ex ijs, oblata sibi ultro uenia, reuocare aut errorem suum agnoscere uoluerit, usq; adeo ualide afflati erant à sæuo ac sanguinario spiritu. Interrogati itaq; de statu ciuitatis Monasteriensis multa, conformiter respondisse feruntur, quanta esset adhuc abundantia in auro, argento, alijsq; preciosis rebus, Item in siligine, in hordeo, in lardo, in puluere tormentario. Caterum modicum superesse salis Caseorumq; & Butyri: Esse autem ibi adhuc bis Mille ac CC. uiros armis ac bello ualidos, quibus senæ sint uxores, singulisq; noctibus uigilare Quingentos. Regem autem eorum expectare nouas copias ex Phrysia & Hollandia, quibus receptis, uellet egredi, totamq; terram sibi subiugare. Hæc in mense Octobri contigerunt. Cum autem hyems iam instaret, & tantæ urbis obsidio maximos requireret sumptus: Episcopus inito consilio, ut minori sumptu nefarios homines obsessos teneret, extruxit munitiones aliquot aduersus portas urbis, quibus impositi milites aliquot, omnem ab urbe cōmeatum accessumq; proh berēt. Sumptibus aut iam exhaustus, implorauit opem à Principibus ac Statibus sacri Ro. Imperij, cum & ipse Imperij Princeps esset. Qui sane per Oratores suos Vuormaciæ conuenerunt, ibiq; pro rata porcione, cuiuslibet

Pseudoapostoli illi omnes capiti fuerunt.

Susatum.

Homines mortis contemptores.

Contributiones Principum ac Statuum Imperij.

cuiuslibet cōmunem contributionem decreuerunt in sumptus militum, ut urbs illa per diuturnam obsidionem famæ saltem ad deditiōem cogeretur. Hoc igitur modo extracta est obsidio usq; ad festum natiuitatis Ioannis Baptistæ alterius anni. Tum uero per Transfugam quendam monstrata est militibus uia transeundi per aquam ad portā unam, quæ negligentius custodiebatur: Per quam noctu ingressi milites, occisis custodibus, sese ibi coniungentes, ac primo mane agminatim irrumpentes, quoslibet obuios occiderūt. Deinde commisso prælio circa maiorem Ecclesiam, ubi munitiōnes suas habebant Anabaptistæ: uicti ac cæsi sunt quicunq; arma portabant. Rex uero cum duobus præcipuis suis consiliarijs latitans in turre quadam, inde extractus est à militibus, multisq; mensibus in carcere cum alijs duobus reseruat, tandem dirum horrendi supplicij spectaculum factus est, ac terribile seditiosis exemplum suis cum consiliarijs duobus illis præcipuis, in ea ipsa urbe, in qua regnum sibi arroganter constituerat. Eo aut tempore, quo Monasterij obsidebantur Anabaptistæ, circumferebantur XXI. Articuli eorum tam fœde barbari, quàm immaniter impij. In quos sane Cochlæus breuem ædidit libellum, tum Teuthonice propter Germanos, tum Latine propter Polonos. Vbi ostendit, eos articulos originem & radicem habere ex doctrina Lutheri. Verbi gratia. Primus articulus ita habet. Maiorem Ecclesiam, & omnia quæ cultus diuinus dicuntur, deuitare. Ibi sic respondit Cochlæus. Hæc utiq; Diabolica est doctrina, per quam diuinus cultus in publicis templis aboletur, & omnis generis hæreses in priuatis angulis disseminantur. Vnde ait Christus: Qui male operatur, odit lucem. Hanc uero doctrinam acceperunt infœlices Anabaptistæ à Lutheri, qui iam ultra XII. annos docuit, Tempia & Monasteria simul cum omnibus, quæ in ipsis fiunt & geruntur, esse meras laruas & facies Antichristi. Qui & Bullas atq; Indulgentias edidit omnibus, qui ad hoc conantur, & in hoc exponunt corpus facultatesq; & honorem suum, ut deuiastentur Episcopatus, & Episcoporum regimen deleatur. Atq; etiam nuper, nondum elapsis sex mensibus, scripsit, Monasteria, quæ uocat nidos Glirium, digna esse, ut sic ædificentur & conseruētur, quod non maneat lapis super lapidem: Nec ullam eis in rusticorū tumultu iniuriam factam esse, nisi hanc unicā, quod remanserunt adhuc lapides aliqui ac uestigia quædam.

Urbs Monasteriensis capta.

Libellus Cochlæi contra XXI. articulos Anabaptistarū.

Luth. contra Catharinū, Et contra statum Eccles.

Idem in parua responsione, contra Ducem Georgium.

Si ergo coërceri debent Anabaptistæ ob id, quod deuitant Tempia ac Monasteria: multo magis puniri debet Lutherus, qui ea iubet, non solum deuitari, sed etiam destrui ac deleri: Id quod sectatores eius persæpe fecerunt. Et in fine libelli ita subiunxit. Ex his

his unusquisque facile cognoscet, Anabaptistas aliosque Suermeros & sectarum duces, neque extingui, neque extirpari posse, quamdiu hæretici libri Lutheri non fuerint extincti & extirpati. Ipsi enim sunt stirps & radix, unde tales surculi quotannis crescunt. Quotquot sane demetuntur, non prodest amputasse, quamdiu integra permanet radix, ex qua alij succrescere possunt. Hæc ibi Cochleus.

Epistola  
Luth. de  
Missâ.

Cæterum, cum multi, etiam Lutherani, ex libro Lutheri de angulari Missâ, suspicarentur Lutherum consentire iam Zuinglianis & Vualdensibus, qui negant in Eucharistia esse substantialiter corpus & sanguinem Christi: Quidam ex nobilibus ea de re ipsum admonuit, super ea suspicione. Vnde factum est, ut Lutherus novam ædiderit epistolam Teuthonice. In qua sane uehementer negat, se consentire Zuinglianis. Verum contra Missam adhuc scelerius ibi malignatur, quam in priori fecerat libro. Inter cætera enim sic ait. Opto equidem & admodum libenter uidere atque

Verba  
Luth. contra  
Missam

audire uelim, ut hæc duo uerba, Missa & Sacramentum, apud omnes tantum abinuicem distare intelligerentur, quantum distant Tenebræ & lux: Immo quantum Diabolus & Deus. Quandoquidem Missa nihil aliud est, quam peruersa deordinatio ac nundinatio sancti Sacramenti, etiamsi deuotissime celebretur. Et infra. Deit Deus omnibus bonis Christianis tale cor, ut quando audiunt hanc uocem, Missa, exterreantur, & cruce muniant sese, tanquam contra Diaboli abominationem. Contra uero, quando audiunt hanc uocem, Sacramentum aut Cœna domini, præ gaudio saltent

Falsa Inter-  
pretatio  
Luth. super  
Danielem.

atque etiam dulciter fleant. Et rursus. Oportet Missam cadere, nec ullum est remedium. Daniel enim processit in loco suo istud facturus, sicut ostendit ei angelus Gabriel. Ille enim Propheta scribit, se in fine sæculi processurum: Id quod nunc facit, & ait. Antichristus consistet in duobus, nempe, in Idolo, & in celibatu. Idolum uocat Maosim, utens literis, quas hæc uox Missa dat. Libenter uocasset clare Missam, nisi oportuisset ipsum, iuxta angeli mandatum, signata ponere uerba. Hæc & id genus plura ibi Lutherus.

Libellus  
Cochlei ad  
Iustū Ionā.

Aduersus ea breuem Teuthonice libellum ædedit Cochleus, non ad Lutherum, qui cum responsione sua non putabat dignum: sed ad Iustum Ionam, qui unus erat ex Quatuor Euangelistis Vuittenbergensibus, quorum arma in frontispicio Lutherici libri Quatuor paginæ angulos occupabant. Proposuit ergo ei X. quæstiones ex Lutheri epistola, ut ad eas responderet atque argumenta eis obiecta dissolueret. XXVIII, præterea mendacia ex eadem epistola, ut ea uera esse probaret Ionas ille, Præpositus Vuittenbergensis. At neque Ionas, neque sociorum eius quispiam ad ea respondit, contemptim

temptim omnia dissimulantes, quamuis de hoc aperte arguerentur in præfatione, hisce sane uerbis. Quum te & Vuormaciæ & Augustæ in Conuentibus publicis Imperij uiderim, atq; alloquutus sim: decreui ad te præcipue aliquot scribere quæstiones, simpliciter & ex animo, absq; omni dolo & fraude, in honorem ueritatis, atq; in proximi obsequium atq; ædificationē: Amice te rogans, ut ad eas simili & modo & intentione respondeas, & me (qui senior sum Magister & Doctor, atq; etiam senioris Ecclesiæ Prepositus, quam tu) non usq; adeo cōtemnas, sicut infamis Apostaticusq; Monachus facit: qui neq; sacram scripturam, neq; ius publicum erga me ferre potest, quantumuis me offero, publice ac priuatim, in genere & in specie, ad conuincendum ipsum, quod sit seditiosus hæreticus, ac se ipsum, iuxta naturam hæretici hominis ac serui nequam, ore suo proprioq; iudicio condemnet. Quod si uere intenderetis serio & ex animo Euangelium ueritatemq; defendere: non debuissetis profecto ad tot meas prouocationes meiq; oblationes, sic omnes obmutescere, saltem unus uestrum processisset simili sui oblatione, ad defendendum Magistrū uestrum. Cum autem omnes tam diu iam ultra XIII. annos ad istud, in quo summa rei & caput negocij consistit, penitus taceatis, & nihilominus multa blateretis, crebrosq; scribatis libros, magno cum scandalo populi, cum iactura temporis, cum perditione pecuniæ pro inutilibus nugis noxijsq; mercibus: merito debèretis timere, ne sæcularis tandem potestas ægre ac fastidiose ferat pavidum cor, timidamq; conscientiam uestram: Quum non audeatis in re tam ardua, aut iure ullo experiri, aut ullum serio subire periculum &c. Inter quæstiones autē in hunc etiā modum interrogat. Si aboleretur Missa, uti Lutherus optat, quomodo possemus uel habere uel sumere uenerabile Eucharistiæ Sacramentum? Extra Missam enim non potest confici, quandoquidem cōficere, est Missam celebrare: De quo ait Christus ad Apostolos. Hoc facite in meam cōmemorationem. Quod si hoc negatis, dicite quæso, quomodo sine consecratione ex pane & uino, fiat corpus & sanguis Christi: Et ubi Christus, & cui nam mandauerit Christus, ex pane & uino carnem & sanguinem suum conficere? Item. In qua, rogo, scriptura prohibita est hæc uox Missa: Aut quæ scriptura præcipit, ut caro & sanguis Christi duntaxat Sacramentum, & non etiam sacrificium dicatur? Quæ item scriptura iubet mane potius, quam uespere cœnam Domini sumere: Item. Quomodo non contradicit hæc Lutheri epistola, uel libro Lutheri de Visitatione Saxonica, ubi commendat Missas, tum Latine tum Teuthonice factas, quas uiuis præcipue utiles dicit: Vel

Lutheranorum

Verba.  
Cochlæi

Quæstio-  
nes Coch-  
ad Ionam.

Mendaciū  
Luth.

Expostula  
tio ad Ionā

Epistola  
Cochlæi  
ad Vuicē-  
lium à Lu-  
theranis  
adita.

Lutheranorum Confessione & Apologia, ubi dicitur. Falso accu-  
santur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: Missa enim retine-  
tur, & summa cum reuerentia celebratur &c. Ex XXVIII.  
mendacijs primum sic habet. Libellus meus de Missa angulari per-  
sæpe fatetur, quod etiam apud Papistas (si Christi institutionem  
seruant) et si sub una detur specie: Verum tamen ibi esse & sumi cor-  
pus Christi. Aduersus hoc mendacium citat Cochlæus hæc uerba  
Lutheri, ex eodem de Missa angulari libello. Quum sit incertum,  
an in Missa angulari sit corpus & sanguis Christi necne, & certif-  
sime humana sit inuentio: Tu sub corporis & uitæ periculo uide,  
ne credas, Christi corpus & sanguinem adesse. Enumeratis autem  
X. quæstionibus, Cochlæus ad Ionam conuersus ait. Non solum  
amice te, uelut Euangelistā & Præpositū Vuittenbergensem, rogo  
pro responso: Verū etiā confidēs in spiritu ueritatis, te prouoco, ut  
hæc iuste defendas. Atq; etiam hic protestor publice, coram omni-  
bus, quod te sim dicturus meticulosum campi desertorē, uanumq;  
Spermologum atq; Logomachum, si non ad ista responderis.  
Quandoquidem iam ultra XIII. aut XIII. annos semper adiuuisti  
contra Missam consultare, scribere, prædicare aut belligerari, atq;  
etiam nunc sceleratum Lutheri librum de Missa angulari in Lati-  
num uertisti, ut omnino particeps fias omnium iniquitatum, scan-  
dalorum, scelerumq; Lutheri &c. Quamuis autem neq; Ionas,  
neq; alius quispiam ad ista responderit, tamen alia ratione acriter  
de Cochlæo uindictam sumpsit Ionas. Scripserat sane Cochlæus  
ad Vuicelium (in quem turpiter iuserant Lutherici Poëte ludum  
calumniosum, Dialogumq; irrisione plenum) priuatim Epistolam  
utcumq; consolatoriam: Quam ille recepit quidem Islebij, sed ne-  
glectius custoditam, è fenestra decussam perdidit. Eam ergo Lu-  
therani, eius uicini, repertam & perlectā protinus miserunt Vuit-  
tenbergam, ubi Ionas ipsam illico amarulentis annotationibus ac  
prolixa præfatione conspurcatam, Typographis excudendam de-  
dit, Cum hac subscriptione. Manum ipsius Cochlæi & Autogra-  
phon epistolæ, apud nos habemus. Ionas quidem nomen suum nō  
apposuit: Ne tamen non gloriaretur in illa sua malitia, subiunxit fi-  
ctam ad Vuicelium epistolam sub nomine cuiusdam Papistæ. In  
cuius fine sic scripsit. Sunt qui dicant, ad iustum Ionam peruenisse  
epistolam Cochlæi, qui eam cum præfatione editurus sit, sed Ionas  
dicitur te magnifice contemnere & ridere, & uobis consputatis è  
sublimi, curare negocia grauiora. Vale & uentos omnes coram  
Æolo, quamuis iniusto & tibi suspecto iudice, in ius uoca. Data  
Calendas Octobris 1534.

Scripserat

Scripserat quidem multa in ea epistola sua Cochlaeus Vuicelio, ut amico, quæ Lutheranis ut hostibus nequaquam reuelari uoluisset: nihil tamen addiderat uel accusatione dignum, uel de quo apud bonos & cordatos uiros erubesceret. Ionas autem omnia in pessimam partem arripuit atq; interpretatus est. Verbi gratia, scripserat Cochlaeus. Periculosa sunt hæc tempora, in quibus nobis maxime opus est patientia. Sed noli dubitare, Dabit Deus his quoque finem. Diu quidem deserimur, pauci considerant labores nostros: at tanto melius considerabit ipse Dominus, si oculus noster fuerit simplex, ut esse debet. Certe si qua fortuna me mitius respexerit, non obliuiscar Vuicelij. Et spes est, breui futurum esse, ut tui meminisse efficaciter queam: Non sane, quod ambiam ullam dignitatem, sed quod expecte fortunæ largitatem. Nemo enim scit, quanto sub pondere laborum & expensarum (ut omnia alia molesta dissimulem) gemam & anhelem in occulto. Hæc Cochlaei uerba, non solum cauillosis annotationibus irrisit in margine Ionas: uerum etiam peruersis interpretationibus criminatus est in præfatione. Ait enim, Verū, ne iuxta malos atq; indoctos eos esse quisquam dubitet, copiam tibi facio, amice lector, eius epistolæ, quam Cochlaeus propugnator Ecclesiæ, si Dijs placet, ad propugnatorem Vuicelium scripsit. Inuenies ibi, cuiusmodi Hypocritæ illi inter sese agitent consilia: Disces nō obscure, an gloriam Dei, an uero Præbendas & dignitates, & (ut Cochlaeus ridicula modestia uocat) fortunæ largitatem quærant &c. Legerat nihilominus criminatō iste in eadem epistola hæc uerba Cochlaei. Ego certe sciens prudensq; contra ueritatem nunquam scribere intendo, quantum uis me calumniatorem dicant Lutherani. Queruntur nunc in Dialogo Coruini, me Sycophanticum, seditiosum ac sanguinarium ædidisse librum, pro defensione Ducis Georgij: Vbi tamen Principis fama & innocentia exigebant, ne tacerem ad tam graues & seditiosas Lutheri calumnias, quas prior emiserat. Ita omnē culpam in nos reijciūt: Sed uideamus nos, ut Deo cor & intentionē nostram probemus, & parū sit curæ nobis, quomodo nos iudicet humana dies &c. Ceterū successor Vuicelij in Parochia Nymecensi, Conradus Cordatus, homo audax & impudēs: Quē Vuittenbergenses ipsi apud se publice cōcionari prohibebant, propter infrenē audaciam impotentemq; linguam: Teuthonice scripsit contra Vuicelium & Cochlegum, quibus calumniose imputabat hæresim & errores aliquot, ut eos Papistis quoq; odiosos faceret. Et speciatim multa in Cochlaeum blaterat, inter quæ & hæc habentur uerba. Ego sum (inquit) Licentiatus Theologiæ etiam sub Papatu, ut

Verba Epi  
stolæ.

Interpretatio eorum à Iona in pessimam partem facta.

Conradus  
Cordatus.

Verba eius ipse quoque non nihil iactitem: Sed profecto nos Theologi ualde in Cochleſi inique agimus, quando sacram scripturam in honorem, sicut Cochlaeus facit. Vult enim esse Doctor sacrae scripturae, & nihilominus docet manifeste summa cum diligentia, Quaedam credenda esse, quae in sacra scriptura non sunt scripta. Ad quod homo Christianus utique sic respondere illi debet. Id quod in sacra scriptura uerbo Dei scriptum non est, credat tibi sociisque tuis Diabolus, isque uobis gratias agat, quemadmodum & faciet. Idcirco non est Cochleus Doctor sacrae scripturae, sed Doctor Non scripturae, Doctor Theologiae negatiue: De qua scriptum est. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Docet nos Turcicam fidem, Nam & Turcae credunt atque docent, quae non sunt scripta: Quae autem scripta sunt, illi non recipiunt. Haec ibi Cordatus.

Responsio Cochlaei. Aduersus nouum hunc aduersarium Cochlaeus Teuthonice quoque respondit solito asperius, propter atroces calumnias: Diuidens libellum suum in sex Capitula, super sex articulis, nempe, de Trinitate personarum, de uerbis consecrationis, de Missa, de Indulgentiis, de utraque specie, & de sacris Ordinibus sacerdotum. De Trinitate quidem hanc astruebat calumniam Cordatus, quod negaret Cochlaeus, de Trinitate personarum in una essentia scripturam sacram usquam testari. At non sic scripserat ille, sed ita. Summus articulus fidei nostrae, nempe, Quod sunt Tres personae diuinae in una essentia, non habetur expresse in scripturis. At Cordatus astute omisit & subticuit hoc aduerbium, Expresse, quod ille apposuerat. In hanc sane sententiam, quod sicut haec uerba. Tres personae & una essentia, etsi in scripturis expresse non habentur, neganda tamen aut reiicienda non sunt: Ita & ista, Missa, Chrisma, Canon, & id genus alia, non sunt neganda aut reiicienda, quamuis in scripturis expresse non habeantur.

Error Lut. de Homouſio. Reiecit autem hanc de Trinitate impietatem in Lutherum, qui ante XII. annos aduersus Homouſion scripserat, cum graui in Diuum Hieronymum calumnia. Recitatis itaque uerbis Lutheri ait. Audis Cordate, mendax assentator, haec uerba Lutheri? Non potes ea negare: stant enim in libro eius, contra D. Iacobum Latomum aedito. Si probus es, indica mihi, quinam Catholici, & non Arriani Doctores, hoc sacrum uerbum Homouſion seu Consubstantiale, reiecerint. Et ubinam Diuus Hieronymus scripserit, latere uenenum in literis & syllabis huius uocabuli. Quam diu igitur tu omnesque Lutherani Concionatores id non indicaueritis, ego uos omnes pro infamibus ac perfidis Arrianis habebō atque incusabo: Nisi Lutherum uestrum, propter impium hoc mendacium, ad publicam reuocationem adegeritis atque cogatis. In nunc Cordate, maledic

maledic & calumniare me amplius, magnum scilicet honorem ex me uenaberis. Quod autem scribis, me absurda & Turcica dictoria ista legisse ex libro Episcopi Roffensis: Id sane me multo peius habet, quam habent omnes criminationes & calumniæ, quas meam in personam eiaculatus es, cum ego tamen personam tuam scilicet nunquam offenderim. Quod si Turcica dicta habentur in libro Roffensis (ut dicis tu Turcice Mamaluche) bene decuisset uos Evangelicos (quales uos ipsos uocatis) Doctores, eiusmodi librum in admonitionem Christianorum, ut à Turcicis dictis cauerent, confutasse, & nō tam diu, iam ultra X. annos, ad eum librum siluisse. Sed quid uos fœdi histriones in probo ac sancto uiro illo (qui decus & corona est omnium Episcoporum & Doctorum huius temporis) reprehendatis aut confutetis, qui uel in minimo pedis digito plus scripturæ eruditionisq; habet, quam habetis uos omnes in toto Behemothico corpore uestro. De uerbis autem consecrationis, inter alia multa sic quoq; respondit. Quod autem Lutherus ridet nos, quando confugimus ad fidem & mentem Ecclesiæ, facit ut Apostata. Velim autem contra libenter audire, ex quam scriptura Lutherus eiusuē Diabolus (quem contra Missam secum disputasse ait) demonstrare queat, quādo sacerdos Luthericus: qui baptizatus tantū sit, non etiā sacris ordinibus legitime initiatus: in noua sua Missa Evangelica, hæc uerba Christi, Hoc est corpus meum, uel altissima uoce decantat aut eloquitur, quod per hoc caro & sanguis ueniant in panem & uinum, Vbi hoc scriptum habetur? Quantumuis uero nugaces sunt Lutherus & Cordatus, ad hanc tamen quæstionem tacent & obmutescunt. Viderint ergo Lutherani, quonam ipsos Diabolus per Lutherū seducat, dum nihil uult admittere, nisi quod expresse in scripturis habetur, nempe, in sectam Zuinglianorum atq; Pighardorum, qui Transsubstantiationem negant: sicut & Lutherus eam negat, dicens, Substantiam panis & uini æque post consecrationem atq; antea remanere. Si ergo non est tibi Transsubstantiatio, hoc est, substantiarum transmutatio, nihil efficitur per uerba consecrationis: quia panis manet panis, & uinum uinum, post sicut antea. Quantumuis autem multa inaniter profundit uerba Cordatus, qui præter quam scripturam in causa fidei nihil uult admittere uel recipere: Nullam tamen indicat scripturam, quæ dicat, per uerba consecrationis fieri carnem & sanguinem Christi, quando exprimuntur in altari, Non autem, quando aliàs dicuntur aut cantantur in passione aut Evangelica lectione seu alibi. Item, si dicantur super panem & uinum, Non autem, si dicerentur super lapidem & aquam aut cereuisiam. Hic

Gravis cā  
lumnia in  
Episcopū  
Roffen-  
sem.

De uerbis  
cōsecratio-  
nis.

Lutherani  
re ipsa  
Ziunglia-  
nis consen-  
tiunt, quia  
negant  
Transsub-  
stantiatio-  
nes



aude magnipotens scripturæ iactator Cordate, & ista mihi clare ex scripturis iudica, Adiuro te per æternam ueritatem, Quam diu autem tu omnesq; Lutherani ista non iudicaueritis, ego uos pro meris Zuinglianis Pighardicisq; deuoratoribus panis, bibonibusq; uini habebō: Quandoquidem præter apertam scripturam nihil recipitis. Nos autem indubitata fide firmissime credimus, per uerba consecrationis Transsubstantiationem fieri, utpote, ex substantia panis & uini, fieri carnem & sanguinem Christi. Quamuis enim de hoc scripturam non habeamus: habemus tamen fidem & approbationem Ecclesiæ, quæ ore tenus à Christo eiusq; Apostolis hoc didicit atq; accepit. Sublimia enim mysteria ista non sunt exposita in publicis scripturis, ne irriderentur ab infidelibus Paganis, Turcis & Iudæis: Quemadmodum Christus mandauit Matth. 7, dicens. Nolite sanctum dare canibus &c. Adduxit & Paulum, Dionysiumq; & Augustinum in eandem sententiam, quos recitare longum foret. Cæterum de Missa Teuthonice

Non sunt omnia mysteria in scripturis expressa.

Verba Abbatris Veteris Cellæ, pro Missa.

quoq; scripsit tunc pius ac eruditus uir Dominus Paulus, Abbas ueteris Cellæ, Ordinis S. Bernardi, Qui generaliter in prologo pro Missa sic argumētatur. Si Missa esset abominatio (uti blasphemata eam Lutherus) aut impium damnabileq; opus: Diabolus aduersus eam disputaturus non esset, neq; operā daturus, ut Missa aboleretur, sed multo magis, potiusq; eam promoturus esset, ut in despectum & contumeliam Dei in plenissimo ac frequentissimo usu esset atq; permaneret. Quamobrem liber Lutheri de Missa angulari, fidelibus & à Deo uocatis, plus facit ad confirmationem & augmentum deuotionis ad Missam, quàm ad imminutionem & abolitionem eiusdem. Aperi quæso sensus, consydera serio ac

Quales sunt uisiones Lutheri.

diligenter, & perquire omnia scripta Lutheri: Nusquam profecto inuenies in eis, ubi gloriatur Lutherus de ulla uisione diuina, aut reuelatione spiritus Dei: sed omne eius commertium, omnis conuersatio, omnis gloriatio & uisio eius, est cum Diabolo. Sæpe quidem eius mentionem in alijs scriptis suis fecit: Hic autem manifeste fatetur, Diabolum esse præceptorem suum, qui disputando ipsum docuerit, Missam nihil esse boni. Persæpe profecto miratus sum, usq; adeo superbire Lutherum, ut à nemine prorsus instructionem aut admonitionem aliquam recipiat, nec ullius iudicium ferat, non Vniuersitatum, non Conciliorum, non Ecclesiæ, ne Angelorum quidem: Cum tamen Paulus Apostolus, qui in tertium raptus cælum, de Euangelio suo, quod sibi à Domino reuelatum erat, nihil dubitare poterat: nō dedignatus sit cum ceteris Apostolis de Euangelio conferre, eorumq; iudicio se cum Barnaba (qui erat plenus spiritu

Superbia Lutheri ex magistro eius, Diabolo.

spiritu sancto) humiliter submittere. At Lutherus, qui Euāgelium suum à Diabolo (ut hic manifeste fatetur) didicit, nullius prorsus cognitioni doctrinam suam uult submittere iudicandam: Similis nimirum suo præceptorum, qui est rex super omnes filios superbix, ut ait liber Job, Nunc igitur cessat mea de illius elatione admiratio: Job 41. Math. 10. Quia Dominus ait in Euangelio. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius. Hæc Abbas ille uenerabilis in prologo. Cætera prolixiora sunt, quàm ut hic commode recitari queant. Dum autem Alter libellus ad Regem Scotix. procul ablegasset famulum suū Cochlæus in Scotiam, ad præmonendum Episcopos Scotix, atq; etiam Regem ipsum, à dolis Lutheranorū, quos per Alesium Scotum, profugum & exulem (qui abiecta cuculla è Scotia Vuittenbergā profugerat) Inclyto & per omnia Catholico regno Scotix intendebant, sicut regno Angliæ per Vuilhelmum Tyndalum aliosq; Apostatas fecerant: Interea acrem in Cochlæum librum, dictante aut adiuuante Philippo Melanchtone, Vuittenbergæ ædedit Alesius. Cui protinus respondit Cochlæus, acrius incusans Philippum, quàm Alesium, quod ex stylo alijsq; indicijs probe cognosceret mendaciorum Architectum. Inter cætera igitur ad Regem Scotix in altero libello ita scripsit. Quantum mendaciorum atq; calumniarum confictum sit ibi de exilio Alesij, longum esset referre, & fortassis indecorum coram Verba Cochlæi in Phil. Melā. Maiestate tua, Serenissime Princeps. Tantum est enim uanitatis & uirulentix, ut ille non immerito dicatur Melanchton, id est, Nigra terra, cui ludus & consuetudo est, bonorum & Catholicorum uirorum famam denigrare. Quantos enim denigrauit in suo Didymo: Quantos in locis communibus: Quantos in Apologia suæ Confessionis: Enumerat autem speciatim iniurias regno Scotix Iniuriæ Phil. Melan. in Scotos. ab eo illatas, Tum quod olim in Didymo suo Eximium Theologum Scotū, qui Doctor Subtilis cognominatur, palam traduxit: affirmans ei nō recte tribui Subtilitatem, adeo non explicanti sua, ut & à tenebris nomen meruerit, eò quod nullius confusior, quàm huius doctrina sit. Quem luce meridiana clarius sit, bis sedecim pedibus à Luthero uinci, si de ingenij acrimonia, de eloquentia, de humanioribus & Cyclicis disciplinis contendatur: Tum quod nuper sub Alesij persona, multa in Scotos, quæ nō decent, deblaterauit. Ait ergo inter cætera Cochlæus. An uero leuis est hæc & iniuria gentis, & infamia regni, dicere, quod Patritius, homo nobilis apud Scotos, crudelissime occisus est, non quia hæreticus aut criminus esset: sed quia iudicium scripturæ & patrum sequens, abiicit aut repræhendit manifestum aliquem abusum aut errorem: Et infra. Quid barbarius, sceleratius, aut immanius dici queat, q̄ quod

ille dicit, exerceri in regno tuo sauitiam in optimos uiros omnium ordinū: Quid enim amplius facere posset uel immanissimus Phalarismus aut Cyclopica barbaries? Deinde, quid irreligiosius, aut magis impium, minusq̄ Christianum esse queat, quam atrocissima proponi Edicta, quę prohibent in Insulam inuehi libros Noui Testamenti? Turcarum enim aut Iudæorum, nō Christianorum est, nouum prohibere Testamentum, in quo sunt Quatuor Euangelia Christi, ac Pauli aliorumq̄ Apostolorum doctrinæ & res gestæ.

Vasfricis  
Phil.

At intelligo, Rex, nequissimi Rhetoris callidum uasframētum, quo significat suis, per optimos quidem uiros, eos qui Lutheri doctrinam approbant: per nouum uero Testamentum, nouam sui Lutheri translationem, quæ & Teuthonice pro Germanis, & Latine pro externis, in Lutherismū attrahendis, iam pridem est euulgata. Et rursus. De inuocatione sanctorum, non solum impie mentitur, dicens, eam apud ueteres ante Gregorium non fuisse: sed etiam scelerate blasphematur & irridet Deum in sanctis suis, maxime uero in ijs sanctis, qui notissimi sunt apud Scotos, Niuiano & Budolfo: Quos etiam Dijs gentium Lupercis ignominiose comparat. Hęc & id genus alia Cochlaeus ad Regem Scotiae, Iacobum

Multi Po-  
lonorum  
Vuitten-  
bergæ stu-  
debant.

Quintum, in personatum Alefium. Cum autem multi tum degerent Vuittenbergæ Poloni, nobiles adolescentes, qui dum bonas literas ibi addiscerent: Lutherica simul imbibebant uenena, ut metus esset, ne domū reuersi, totum Poloniae regnum, quod egregie Catholicum est, Lutherismo inficerent. Nesciebant autem plerunq̄ parentes & cognati eorum, ipsos Vuittenbergæ uersari, sed putabant eos Lipsiæ, ubi Catholica est Academia & honesta ciuitas, literis operam dare.

Libelli Co-  
chlæi cōtra  
lonos in  
tempore  
admoneret,  
uarios ædidi-  
t Latine libellos,  
quos  
Phil. Melā.

Cochlaeus igitur, ut de periculo illo Polonorum in tempore admoneret, uarios ædidi Latine libellos, quos ad Episcopos & Proceres illius regni inscripsit, ut ea saltem occasione intelligerēt, sibi suisq̄ à Vuittenbergensi fermento cauendum esse. Cum autem apud Polonos plerosq̄ propter bonas literas gratiosum esset nomen Philippi Melanchtonis, ut uenena illius propius clariusq̄ inspicere possent: ædidi Cochlaeus Quatuor Philippicas, & quędam alia in Philippum illum opuscula, quę per Bibliopolas in Poloniam peruenerunt. Archiepiscopus igitur Gnes-

Edictum  
Regis Po-  
loniæ, quo  
Regni, sua  
instantia  
effecerunt,  
ut Sereniss.  
Rex Poloniæ,  
SIGIS-  
MUNDVS,  
acre promul-  
gauerit à  
nouo Edictum,  
quo & re-  
uocabatur  
Poloni  
e Vuitten-  
berga,

nensis Dominus Mathias, alijsq̄ nonnulli Episcopi & Proceres Regni, sua instantia effecerunt, ut Sereniss. Rex Poloniæ, SIGISMUNDVS, acre promulgauerit à nouo Edictum, quo & reuocabatur Polonos, qui Vuittenbergæ studebant: & prohibebat alijs, ne quis illo amplius mitteretur. Sic enim orditur. Audimus permultos esse in regno nostro factiosos, & nouandarum rerum

cupidos

cupidos homines, Qui sectas, ab Orthodoxis patribus in Vniuersalibus Concilijs reprobatas, non in occulto solum sectantur: sed & publice profitentur & disseminant, non sine contemptu piarum sanctionum, à sancta Catholica Ecclesia institutarum & receptarum, atq; Edictorum nostrorum. Esse item nō paucos, qui liberos, propinquos & affines suos, Vuittenbergam mittant, ut illic mox ab ineunte ætate, prius quàm nouerint malum à bono discernere, pestifera dogmata, ab ipso Luthero (qui horum malorum caput est) imbibant, & postea in regno nostro diffundant & propagent. Quæ res quàm foeliciter uicinis circum circa regionibus ceciderit, nemini obscurum est. Videmus enim luce meridiana clarius, quantæ seditioes, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta pietatis ruina, quanta deniq; honestatis euersio, ex his initijs excitata sit. Quam non potuerit hæc pestis, semel in hominum animis radicata, extirpari, quamuis multis in id incumbentibus. Quod ne nobis quoq; & subditis nostris unquam usu ueniret, cauimus aliquoties Edictis nostris, grauibus pœnis in transgressores constitutis. Et infra. Quod attinet ad eos, qui apud Lutherum uel quoscunq; alios factionum istarum Principes uitam degunt, ijs omnem aditum ad quasuis dignitates & Magistratus præcludemus in posterum &c.

Post hoc Edictum aliqui Poloni à Vuittenberga domum in patriam reuocati, omnem culpam in Cochlæum reiecerunt. Quorum unus, donatus Canonicatu Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis, acrem in Cochlæum scripsit epistolam ad Archiepiscopum suum. In qua sane multis celebrat laudibus Philippum, ueluti præceptorem suum: acerrime autem accusat Cochlæum, tanquam is odio potius Philippi & bonarum literarum, quàm amore Religionis & Reipublicæ, aduersus Philippum contenderet. Sed Deus inspector cordis & cogitationum, iudicabit tandem, & sciet quid unicuiq; iuxta opera eius reddere debeat. Certe Cochlæus palam confessus fuit sæpe, cum alibi, tum in ijs ipsis libris, quos tum in Philippum ædedit, sese non odio Philippi, sed zelo fidei & religionis Catholicæ, in Philippum scripsisse. Nam Philippicas & Velitationem in eius Apologiam toto Triennio: Confutationem uero Didymi eius ultra XII. annos, domi apud se retinuerat, antequàm ædedit: quod sperabat illum aliquando ad Ecclesiam, dimisso Lutherismo, reuersurum. Vbi uero uidit, eum indies maiorem in ea secta progressum facere, maluit ædendo, sub corporis sui periculo, Polonos paucos offendere, quàm dissimulando atq; tacendo, contra charitatem in animæ suæ periculum, negligere multos, Deoq; con-

Quanta  
mala ex se-  
cta Lutheri  
exorta sunt

Epistola  
cuiusdam  
Poloni in  
Cochlæi.

Cur in Phi-  
lippū Mel-  
scripsit Co-  
chlæus.

scientiam suam male patiendo aut conniuendo ream facere, Cui  
Esa. 56. obijceretur illud Esaia. Canes muti, non ualentes latrare.

*Hæc de Actis & scriptis Lutheri Misnæ scripta fuerunt, Anno  
M. D. XXXIII. Quæ autem deinceps usq; ad obitum  
Lutheri supplementi uice superaddita sunt, Ratisponæ sunt scripta.*

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXV.*

De infaus-  
to Regis  
Angliæ di-  
uortio.



Passio Io-  
annis Epi-  
scopi Ros-  
fensis, &  
Thomæ  
Mori.

Cecidit hoc anno lamentabilis fidei ac religionis turbatio, studio & instigatione malignorum hominum, in florentissimo Regno Angliæ, accepta per infaustum Regis diuortium occasione, dum Clemens Papa VII. nolisset diuortium illud permittere. Contra quod & Cochlæus librum ædidi, de Matrimonio Sereniss. Regis Angliæ, Henrici Octauæ, inscriptum. In quo proluxe probatur sanctitas Matrimonij, contra quod multi suaserant Regi diuortium. Cum autem optimi & Doctissimi uiri, Ioannes Fischerus, Episcopus Roffensis, & Thomas Morus, supremus Cancellarius Regni, dissuasissent diuortium illud: aliquandiu captiui detenti sunt in carceribus, ac tandem hoc anno (cum neq; diuortium neq; defectionem Regis, qua ab obedientia Ro. Pontificis & Vnitæ Ecclesiæ discessit, seq; ipsum supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ cõstituit, approbarët) ambo capite truncati, & ultimo supplicio publice affecti sunt. De quorum sane passione scripsit quidam in hæc uerba. Sexto Nonas Iulij, obruncatus est in Britannia Thomas Morus, non minorem constantiam in iudicio & supplicio præ se ferens, quam iniquissimo Atheniensium Senatusconsulto condemnatus Socrates: Paucis diebus ante illum interfecto Episcopo Roffensi, in quem Regis furor non alia causa uehementius exarsit, quam quod is in Cardinalium ordinem à Pontifice esset coaptatus. Sed audi, quod uincit omnem feritatem. Caput Roffensis inditum stipiti, multis diebus omnium oculis fuit expositum: quod non modo non contabuisset, uerum etiam multo uenerabilius esse factum ferebatur. Vbi is rumor percrebruit, mox amotum est loco. Et ne quid in Mori capite existeret, quo populus religione turbaretur, audi iam facinus immanissimum. Renouata est Thiestæa fabula, & caput eius non nisi longa coctura maceratum, quo celerius diffuere, hastili est impositum. Hæc ibi. Secuta sunt & alia plus satis Tragica & immania

nia, in plerisque Monachos in publico edita supplicia. Exorti item graues contra Regem motus & seditiones, quæ ui militari & armis sunt suppressæ. Admissa item fuerunt sectarum dogmata, atque etiam ad tempus in concionibus populo prædicata. Missi præterea Oratores Vuitenbergam, inter quos fuit Thomas Fuxus, Episcopus Anglus. Aditi quoque libri apud Anglos aperte Lutherani: Demolita ac penitus deuastata Monasteria, quorum locupletissimi census Regis fisco sunt addicti. Mortuo autem Papa Clemente VII. unanimi omnium Cardinalium uoto & consensu, electus est Alexander Farnesius, dictus deinceps Paulus Tertius, qui contra defectionem & crudelitatem Regis Angliæ, multis conquestus est epistolis ad Reges & Principes. Sed & Erasmus Roterodamus, quanquam à Rege illo sæpe liberaliter honoratus fuerat: de morte tamen Roffensis & Mori in suo Ecclesiaste (quem de modo concionandi scripsit) libere suum publice testatus est dolorem. Deslentur (inquit) merces naufragio amissæ. At quæ merx tam preciosa, ut cum sincero amico conferri queat? Quid igitur hac tempestate crudelius, quæ me tot spectatissimis amicis spoliauit? Pridem Guilhelmo Varramo, Archiepiscopo Cantuariensi: nuper Guilhelmo Montioio, Episcopo Roffensi, & Thoma Moro, qui fuit eius regni supremus Iudex, Cui pectus erat omni niue candidius: Ingenium, quale Anglia nec habuit unquam, nec habitura est, alioqui nequaquam infœlicium ingeniorum parens. Hæc Erasmus.

Magna in Regno Angliæ mutatio.

Papa Paulus III.

Erasmus de Roffensi & Moro.

Lutherus insperatis huiusmodi apud Anglos doctrinæ suæ successibus, ferocior adhuc superbiorque factus: In Cardinalem Moguntinū iterū per multas calumnias Teuthonice inuectus est, & nō modo in eum, sed etiā in alios quoscunque Catholicos Imperij Principes ac Status. Christum (inquit) in uerbo suo, & in manifeste agnita ueritate Euangelij, Atque Christianos eius, ex mera ui obstinataque malitia condemnant ac persequuntur. Item, Seditiosi sunt & rebelles Cæsari, Dei que fures, qui neque Deo, neque ueræ Ecclesiæ Christi, neque Cæsari, aut ulli potestati obedire dignantur. Item, Non solum inobedientes sunt, uerum etiam furunt ac sequuntur in Christianos innocentes: quia occidunt ac latrocinijs interimunt quencunque possunt, perinde ac si uellent libenter regnum Dei totum semel delere. Et hinc ita concludit. Possunt igitur etiam secundum ius Pontificium expelli aut occidi: quia non tenemur uim pati, sed uim ui repellere licet. Et specialiter ac nominatim contra Cardinalem illum sic ait. Si ciues Hallenses & subditi prouinciales, Archiepiscopatus Magdeburgensis, Episcopum Moguntinum, Tyrannum suum, Cardinalem, expellerent aut interficerent, iuste facerent

Luth. contra Card. Moguntinum. Calumniæ in Catholicos Principes.

cerent ei iuxta Pontificia iura. Ipse enim optime scit ( inquit ) quod notoriam facit eis iniuriam, & agnitam persequitur ueritatem.

*Pœna leuis  
& modica  
in hæret.*

*C. de hæret. l.  
si uero. cū seq.*

*C. de hæret. l.  
Quicumq; . 8.  
nemo. cū seq.*

*Cardinalis  
nimis mitis  
in hæret.*

*36. contra-  
rietates Lu-  
theri in  
uno arti-  
culo.*

Aduersus hæc Cochlaus respondens, inter cætera sic habet. Cardinalis iste, subditis suis, qui ab Ecclesiæ Catholicæ obedientia, aduersus proprium dominum suum, ad Lutheri hæresim, per inobedientiam defecerunt, admodum leuem modicamq; pœnam infligit. Quippe præcepit, ut uenditis bonis suis, alio se conferant, ne uelut oues contagiosæ, alios bonos Christianos obedientesq; subditos cohabitando inficiant. Hoc autem facere tenetur Cardinalis, sub salute animæ suæ, non solum tanquam Catholicus Princeps, Cui hoc etiam in iure Ciuili, legibusq; Imperialibus, iniunctū atq; præceptum est: Verū etiam tanquam legitimus pastor, Ordinariusq; Episcopus, à spiritu sancto uocatus ac positus, uelut supremus speculator, cui animarū cura à Deo commissæ est. Quemadmodum docet eum Paulus Apostolus Act. 20. Et Christus Dominus, Ioan. 10. Ut bonus pastor, quando uiderit lupum ( hoc est hæreticum ) uenientem, non fugiat neq; cōniueat, neq; sinat lupum oues dispergere, mactare ac perdere: sed animam suam ponat pro ouibus suis, à lupi moribus defendendis. Quemadmodum & Propheta Ezechiel ex ore Dei pronunciat cap. 3. & 33. Cum igitur quilibet hæreticus pro rapaci lupo habendus sit, sicut Christus docet Matth. 7. & Paulus ad Titum 3. Potuisset profecto Cardinalis optimo iure subditos suos Lutheranos, qui à Lutherismo desistere uolebant, punire, non solum in bonis, sed etiam in corpore, eisq; tollere non modo cunctas facultates omnemq; substantiam, uerum etiam corpus & uitam, iuxta dicta men legum Imperialium in Codice de hæreticis: Quandoquidē Lutherus publice pro hæretico notorio condemnatus ac declaratus est ab utraq; potestate, Papa & Imperatore. Multo igitur magis timere debet Cardinalis, quod nimium mitis ac clemens fuerit erga eiusmodi obstinatos hæreticos, quàm quod nimis dure aut Tyrannice aduersus eos egerit, sicut mendaciter imputat ei Lutherus. Timendum est enim, ne expulsi eiusmodi hæretici, a libi quoq; uelut lupi rapaces, simpliciores Christi ouiculas inficiant, atq; ad defectionē concitent, & in sempiternam mortem abripiant: ne uic literis & libellis uenenosis, quos alijs ex locis ad subditos Cardinalis occulte immittant, bonos hætenus & obedientes subditos, ad consimilem defectionem & inobedientiam exemplo suo sollicitent. Cæterum Laicus quidam, Hallensis ciuis, & subditus dicti Cardinalis, nomine Caspar Querhamer, miro studio ex diuersis Lutheri libris collegit XXXVI. Cōtrarietates, super uno duntaxat articulo, qui est de cōmunionē Eucharistiæ, sub una aut sub

sub utraq; specie. Quas Teuthonice ædidit, in longā tabulam productas, ut parietibus domorum affixæ, turpitudinem & inconstantiam Lutheri omnibus ad oculum palam ostenderēt: Quas in Latinum conuertit Cochlæus, & in præfatione ad Ioannem Matthæum, Episcopum Veronensem sic ait. Nuper uero suscitauit Dominus aduersus Lutherum spiritū Laici cuiusdam Hallis in Saxonia, qui taurum istum cornupetam ita prostrauit, ac proprio ipsius gladio iugulauit, ut neq; Goliath ille Philistæus magis prostratus à Dauid, nec duorum seniorum libido & calumnia aduersus Susannam, certius aut apertius à Daniele cōiucta uideri queat. Quomodo igitur timeant eum Docti Theologi, cui sic uellicat barbam, frontemq; fecit atq; confundit simplex Laicus? Titulus autē, quem Laicus ille posuit, sic habet. Tabula, cunctis, qui à Luthero seduci nolunt, utilis & necessaria.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXVI.*



Vm hæcenus propter diurnam contentionem, quæ erat inter Lutheranos & Zuinglianos, male audirent Concionatores utriusq; partis: cœperunt uersus inter se de cōcordia agere, sicut antea fecerant Marpurgi, quādo Zuinglius adhuc uiuebat. Missi sunt itaq; ex Ciuitatibus Imperij Zuinglianis, utpote, ex Argentina Capito & Bucerus, ex Augusta Bonifacius & Musculus, ex Ulma Frechus &c. Vuittenbergam ad Lutheranos, ut cum eis concordarent. Egerunt aut præcipue de Baptismo, de Eucharistia & de Pœnitentia, & post multas exprobrationes & querelas inuicē dictas, conscripserunt formulam concordia, sed inefficacem: quia propter aliorū absentiam, & sine suorum Magistratum consensu, concludere non audebant. In reditu igitur suo scripserunt acta illius tractatus, dum Francofordiæ subsisterent, sed ea in lucem ædere timuerunt. Cochlæus autem euulgauit Tres libros Diui Iuliani, Archiepiscopi quondam Toletani. Quorum titulus est, Prognosticon futuri sæculi. Reperit autem eos in Monasterio ueteris Celle, quod in terra Misnensi per celebre est. Ac ea potissimum ratione in lucem ædidit, quod multa cōplectuntur, quibus multi nouarum sectarum errores refelli queant: ij præsertim, quos de mortuorū sepulturis exequijsq;, & de animarū statu post mortem, ac de purgatorio igne, barbaricis contumelijs & abnegationibus in simplicem plebem dispergunt. Ædidit item

Ficta inter  
Luth. &  
Zuing. cō  
cordia.

Prognos  
ticon Iu  
liani de fu  
turo sæcu  
lo.

antiquam



Epistola  
Nicolai I.  
ad Michae-  
lem Imp.

antiquam & insignem epistolam Papæ Nicolai I. ad Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanū olim scriptam, cuius plerāq; fragmēta in Decretorū uolumine à Gratiano recitata sunt. Quam reperit Colonia in Monasterio Tuitiensi. Adiunxit aut multa eiusdem Nicolai I. Decreta & rescripta, quæ sparsim à Gratiano cæteris interposita cernuntur, & distribuit ea in XX. Titulos. Addidit quoq; historiam de Rege Lothario, ex Reginone & Sigeberto breuiter cōmemorata, qui à Nicolao I. excommunicatus fuit, propter eiectam uxorem, aliamq; per falsos testes ac iudices superinductā: Vt Rex Angliæ, Henricus VIII. inde cognosceret, quā nequiter seductus sit contra uxorē suam sanctissimam, quæ Cæsaris nostri Generosissima fuit Matertera. Ait igitur ad eum in præfatione sic. Fama deceptus, uolui sublimitatē tuam in bono proposito ( quod mendax ad me fama de reconciliata tibi coniuge tua sanctissima perferebat ) per scripturas & rationes confirmare, eo libello, quem ad PAVLVM III. Pont. Max. de Matrimonio tuo ædidi, Erraui quidem, quantum ad factum tuū attinet: Quantum uero ad iuris æquitatem causæq; statum & firmamentum spectat, nō pœnitet neq; pudet me illius laboris. Quamuis acceperim, te ob id parum clementi in me esse animo: Vt cūq; res mihi cadat, non libet mihi ueritatē, ab adulatoribus tuis per Galliam & Italiam auro illectis oppugnata, & in Anglia uisæuitiaq; ac cædium immanitate oppressam: aut deserere metu mortis, aut dissimulando prodere &c. Adiecit præterea Defensionem pro Roffensi & Morro, contra Richardū Samsonem Anglū, qui Regis facta impudenter laudans, optimorū uirorum pietatē & constantiam impie reprehendebat, Vbi inter cætera sic ait. Certū est, Regi uestro nunq; nocētiore fuisse hostes, quā uos estis, qui ex grauissimis damnis eius, opes ac dignitates quæritis uobis, omnemq; partam gloriam eius, in ignominiam sempiternā conuertitis, ut uere possit nunc ei illud Esaiæ dici. Argentū tuum uersum est in scoriam. Quid enim profert ipse nunc in suis Edictis, quid noui filij eius Episcopi in suis mandatis, quid uos adultores in Defensorijs libellis, contra Ro. Pont. æditis: quod clarissime per propria Regis uestri uerba, quæ protulit contra Lutherum olim (antequā uestris fuisset effascinatus & excæcatus assentationibus) in libro uno de Sacramentis Ecclesiæ, & in Epistolis duabus ( quarum unam ad Duces Saxonix, alteram ad ipsum Lutherum scripsit ) reprobari, confutari ac redargui non possit? Ego hic, breuitatis gratia, ex tuo duntaxat libello, quem Orationem uocas, pauca referam, ex quibus intelligatis confusionem uestram maximam &c.

Contra Re-  
gis Angliæ  
uiuortium.

Contra ad-  
ultores  
Regis An-  
gliæ.

Acta &amp; scripta Lutheri, Anno Domini

M. D. XXXVII.



Romanus Pontifex Paulus III. indixit hoc anno Generale Concilium, Mantuæ celebrandum, Ad <sup>30. proposi-  
tiones Lut.  
contra  
Concilia;</sup> quod Lutheranos quoque Principes uocauit. Quod ubi intellexerunt Lutherus & complices eius, uarijs machinationibus ac scriptis Concilij autoritatē impugnare cœperunt. Etenim Vuittenbergæ euulgauerunt XXX. propositiones, contra Concilia publice disputandas. Inter quas Duodecima sic habet. Ideo Concilium aut Episcopi congregati, errare possunt, æque bene sicut alij homines. Et Sequens hanc ita ait. Si autem non errent, hoc fit à casu, aut ex merito alicuius sancti ac boni uiri, qui inter eos est, aut etiam generalis Ecclesiæ &c. His autem 30. propositionibus, opposuit Cochläus 30. Testimonia, ex scripturis, ex legibus, ex Canonibus & sanctis patribus, pro Conciliorū autoritate: Quibus & LXX. propositiones adiunxit, eandem confirmantes. <sup>Contra uae-  
nam excu-  
sationem  
Luth.</sup> Scripsit & in eorum excusationem, Smalcaldiæ datam, quæ Quadruplici forma euulgabatur, partim Latine partim Teuthonice. Multis nanq; uanis querelis & cauillis, contra Bullam indictionis inuehentes, causam suam palliare quærebant: Tamen si uerba illius nulli bono uiro displicere iure poterāt. Sic enim ait ibi Pontifex. Sperantes & cum Dei auxilio nobis promittentes, per hoc tam sanctum ac salutare remedium (Concilium uidelicet) non solum omnes hæreses & errores ex agro Domini extirpandos, & Christiani populi mores corrigendos: sed & uniuersalem pacem inter fideles componendam, & facta sub uexillo salutiferæ Crucis contra infideles generali expeditione, regna & terras nostras, ab illis occupatas: recuperandas, captiuosq; innumerabiles liberandos, & infideles ipsos, ad sanctam religionem nostram, fauente Domino, conuertendos. Ut sic uniuerso orbe, in unum idemq; ouile Domini coalescente, in uera fide, spe & charitate, sobrie, iuste & pie uiuatur, & inde ab omnipotenti Deo corona iustitiæ expectetur &c. <sup>Ridicula  
figmenta  
Luth.</sup> At illi, nihil horum attendentes, ludicris figmentis præoccupabant populi aures, oculosq; & animos, ne animaduertent eorum Laici, quid utilitatis Bulla proposuerit. Effingebant itaque nouos Pasquillos, nouas Beelzebub epistolas, fabulosas legendas de Ioanne Chrysofostomo, quas imputabant Concilio. Itē, Quatuor epistolas Ioannis Hus, & libellum de Donatione Constantini Magni, contra huiusmodi nugæ & figmenta, quæ Germanice fuerant diuulgata.

Breues itidem Germanice confutationes ædidi Cochlaus, ut ex his populi uiderent maligna eorum calumniandi, ac per mendacia circumueniendi studia. Traxerunt præterea in sectam suam Illustriss. Ducem Saxonie Henricum, fratrem Ducis Georgij: eius uidelicet, quem tot iniurijs, molestijsq; & calumnijs, per uarias malignitatis suæ machinationes uexauerat Lutherus. Adebant nouas ordinationes Ceremoniariū, nouos hinc inde Catechismos, etiam illi qui cum Laici essent, pastoralem animarum curam administrabant nouo ritu. Per nouos itaq; Visitatores constituit Princeps ille nouos articulos, quos Clericis iuxta ac Laicis sui domini indixit ac promulgauit. Quosdamquidem generaliter ad omnes subditos: Quosdam uero specialiter ad sacras Virgines, in oppido Fribergensi consistentes. In quos sane articulos Cochlaus paruum ædidi Teuthonice libellum, quem inscripsit, Breuem Glossam super nouos articulos Visitorum. In quo sic habet exordium, Primum falsus est Titulus & impudens mendacium. Ait namq; articulos istos cõformes esse sacre scripturæ, atq; Confessione & Apologie Augustanæ: Quandoquidem neq; sacra scriptura, neq; Confessio & Apologia illa, interdicit aut abrogant Missam, nec horas Canonicas. Scriptura quippe ait. Ab ortu & occasu magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Item, Septies in die laudem dixi tibi. Item, Media nocte surgebam, ad confitendum tibi. Et Confessio illa sic habet. Falso accusantur Ecclesie nostræ, quod Missam aboleant &c. Item Apologia. Iterum (inquit) præfandum est, Nos non abolere Missam, sed seruare atq; asserere, eam religiose: sunt enim apud nos Missæ singulis diebus Dominicis & Festis. Contra hæc autem statuunt isti articuli, ut Nobiles de cætero non permittant, Plebanos & pastores suos ullam celebrare amplius Missam. Prohibent insuper pulsum ad Aue Maria: Vetant canere Salue regina, Regina cœli: Interdicunt benedictiones aquæ, salis, placentarum, herbarum, palmarū &c. Quod certe neq; Confessio, neq; Apologia facit: Falsus igitur & mendax est Titulus. Quoniam uero articuli isti ab ipse hominibus constituti sunt, qui neq; Papalem, neq; Episcopalem habent autoritatem, sed lupi potius sunt rapaces, quàm legitimi & Ecclesiastici pastores: non possunt ullius hominis ligare aut astringere conscientiam. Confutantur itaq; & ab ipso eorum nouo Idolo Vuitenbergensi. Lutherus namq; in libello suo de sæculari potestate, reprobat eos Principes uelut insanos & peruersos, qui in rebus fidei & Ecclesie, suis præsumunt subditis leges dare, præcipere ac prohibere. Hæc

& id genus multa ibi Cochläus, cōtra nouas illorum articulorum temeritates. Cuncq̃ essent Vratislaviæ, in præclara & præcipua Slesig ciuitate Duo pastores huiusmodi, quorum unus erat Laicus, alter sacerdos uxoratus & Digamus: scripsit aduersus Laici Catechismum Cochläus breuem Germanice libellum, contra eorum errores de Baptismo & Eucharistia. Vbi præmittebat in præfatione hanc quæstionem, An scriptum esset uspiam, uel in sacris literis, uel in patrum scriptis aut historijs, quod liceat Laico pastorale gerere officium: Sacramenta administrare populo, consecrare &c. aut sacerdoti, post susceptos sacros Ordines, uxorem ducere, atq̃ etiam una defuncta ducere alteram. Sed neuter illorum respondit, neq̃ ad eam quæstionem, neq̃ ad confutationem errorum, quos de Baptismo & de Eucharistia docebant: opibus interim & uulgi applausu secure fruentes.

Contra Catechismum D. Moibanii.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXVIII.*



T Germani nostri, atq̃ etiam exteræ Nationes cognoscerent clarius, quod multo minus malus impiusq̃ fuerit Ioannes Hus, qui per hæresim suam florentissimum Regnum Bohemiæ, in omne malum & incommodum perduxit, quàm Lutherus est, qui tam seditiose ac impie Ro. Imperium, Regnumq̃ Germaniæ perturbat: Cochläus ex aliquot sermonibus Ioannis Hus, LXX. articulos excerpfit, quibus opposuit ex uno Lutheri sermone totidem articulos, sed multo atrociores, quàm illius fuere. Verbi gratia, Hus ait. Sicut Moyses inuenit gratiam in conspectu Domini; Ita sacerdos in præsentia Domini, scilicet in diuino officio. Lutherus uero sic, Hic neminem moretur, digna Saturnalibus & Bacchanalibus illa consecratio. Ridiculum enim coram Deo nugamentum ordines isti & consecrationes habentur. Hus autem, cum diceret: Omnis sanctus est sacerdos, sed nõ omnis sacerdos est sanctus. Et contra hoc obiiceret: Ergo uetula sacrificabit in altari. Respondit: Non sequitur, quia non est consecrata ad hoc. Item Hus ait, Si patrem honoras, cui quotidie dicimus. Pater noster, qui es in coelis: honoras & matrem nostrã, uxorem eius legitimam, quæ sursum est Hierusalem, id est, Ecclesiam sanctam, in cælo triumphantem, & hic corpore, in cælo mente conuersantem, & in Purgatorio à proprijs meritis dormientem: Quæ ex his tribus recollecta, unica mater nostra dicitur. Lutherus autem totam

Comparatio Ioannis Hus ad Luth.

Sana uerba Io. Hus, de Ecclesia.

Ecclesiam errasse dixit, mox ab initio, in primo Concilio, cui inter-  
 fuerunt etiam Apostoli & eorum discipuli, eò quod fuerint in hac  
 sententia, Legem & operã necessaria esse, ad iustitiam & salutem.  
 Cum igitur clare ostēderetur, Luthero minus impium fuisse Ioan-  
 nem Hus: inscriptus est ille libellus, De immensa Dei misericordia,  
 erga Germanos: Vtpote, quod nondum consumpti sumus, qui tot  
 iam annis nos inuicem mordemus, ac noxijs de fide disputationi-  
 bus & dissensionibus digladiamur, cōtra piã Pauli Apostoli ad-  
 monitionem, dicentis. Quod si inuicem mordetis & comeditis, ui-  
 dete, ne ab inuicem consumamini. Cæterũ Vuitenbergæ mul-  
 ta fuit contentio Luthero cōtra quosdam Lutheranos, qui legem  
 operum reiiciebant, sicut antea docuerat ipsemet Lutherus. Multis  
 igitur disputationibus aduersus eos contendit, quos probrose An-  
 tinomos uocabat. Cochlæus autem, ut ostenderet ipsum magis re-  
 præhensibilem esse, quàm illos: Aduersus Quintam eius disputatio-  
 nem, quæ 70. propositiones continebat, addidit 153. propositiones,  
 Quarũ initium sic habet, Consyderate, queso, Lutherani, quicunq;  
 docti estis atq; disertí, qualis sit Euangelij noui Architectus, Dux  
 & Princeps uester Lutherus: Qui repræhensionis contentionisq;  
 incessabili studio, pacisq; & unitatis odio perpetuo, nihil pensi ha-  
 bet, quod sibi ipsi sit contrarius, dummodo alijs quacunq; occasio-  
 ne contradicere queat &c. Eodem autem anno missus est Co-  
 chlæo ex Anglia liber Ricardí Morysini Angli, prolixus & ama-  
 rulentus, contra ipsum Londini editus. In quo, post loquacissimæ  
 præfationis conuitia, in Quinto demum Quaternione summam  
 libri sui proponens, sic ait, Verum, ut cominus cum hoste congre-  
 diar, omnis, ni fallor, instituta contra Regem à Cochlæo accusa-  
 tio, hæc ueluti præcipua calumniarum capita continet. Vxorem re-  
 pudiatã, Papam ex Anglia eiectum, Papæ defensores occisos, illam  
 retineri debuisse: hunc reuocari, hos sine scelere occidi nunquam po-  
 tuisse. Inter calumnias autem complures & acerbis cōmemorauit  
 & istam, Cochlæum esse donatum Præbenda Canonica in Ecclē-  
 sia Cathedrali Merseburgensi: ea lege, ut ne posthac contra Lu-  
 therum scriberet. Inuehens igitur in eum Anglus iste ait. Tun ista,  
 ueritatis defendendæ causa, ac non potius demerendí tibi Cæsaris  
 & Papæ gratiam scripsisti: Qui fidem das, te posthac in Lutherum  
 nihil moliturum. Quid ingens pecunia abs te non impetret, cum  
 Præbenda ad tantũ dedecoris te impellere potest? Ad hæc Co-  
 chlæus, cum mera essent mendacia, breuiter ait. Non solum amicos,  
 sed etiam inimicos suos, uicinos Vuitenbergēses, probe scire, nihil  
 horum uerum esse. Cæterum pro Ro. Pontificis autoritate Ecclē-  
 siasticæ

Gal. 5.

Dissensio  
 inter Luth.  
 & compli-  
 ces eius  
 Vuiten-  
 bergæ.

Ricardus  
 Morysi-  
 nus pro  
 Rege An-  
 glia.

Responsio  
 contra Mo-  
 rysinum.

fiasticâq; potestate asserenda, multas ac ualidas rationes, in suo de Matrimonio Regis libro, ait se produxisse, non ex suo quidem ingenio: sed ex sanctis patribus & magnis Doctoribus, utpote IX, ex S. Bernardo. XXIII. ex S. Thoma. XXVI. ex Patrum Decretis antiquis, & XV. ex Abbate Panormitano. Ad quarum nullam Anglus ille respondit. Pro Roffensi aut & Moro respondens Cochlaeus, inter alia multa sic ait. Non erant uiri illi similes tui, Morysine, ut uentris causa Gnatonicam exercerent artem, & contra animam & conscientiam suam laudarent impia & inhonestâ: damnarent uero ea, quæ nullus uir bonus, etiam si Turca esset aut Ethnicus, damnare posset. Quis enim Turcarum faceret, quod tu facere non erubescis? Quippe Reginam Catherinam, qua nullam habuit Angliâ uel Nobiliorē uel sanctiorē, dicis Regi fuisse perpetuo meretricem. Annam uero, affirmas legitimam Regi coniugem fuisse, Regina uxore adhuc uiuente. Quam sane Annam Rex ipse paulo post iussit interfici, propter quam sanctos uiros illos Rex crudelissime XV. menses in carcere captiuos tenuerat, ac tandem occiderat. Sed & tu ipse, Gnato pessime, eosdem uiros, quos impia calumniâ patriæ proditores dicere audes, aliquando imprudens laudas & excusas. Ais quippe de ambobus, quod nō fuerint isti primi, qui maluerint mortem oppetere, quàm uersari in summa leuitatis & infamie nota: Leuius erat malum, cum immortalitatis spe occumbere, quàm tot sua uolumina perpetuum testimonium contra se dicere. Et hic manifeste insinuas, licet dicere nō ausis, Regem uersari in summa leuitatis & infamie nota. Negare enim non potes, Regem plerisque scriptis suis Ro. Pontificis auctoritatem asseruisse, & ea scripta perpetuum testimonium contra ipsum dicere &c.

Pro  
Roffensi  
& Moro.

Cumq; Concilium Generale indictum esset Vicentie celebrandum: Lutherus Teuthonice euulgauit articulos, quos à suis uellet Concilio nomine suo proponi. Contra quos Cochlaeus, pro honore & salute Germanicæ Nationis respondens: rogauit, ne articuli, usque adeo absurdi & impij, proponantur Concilio, eò quod pudori ac ridiculo forent apud reliquas Nationes. Nam pleriq; ex his articulis sunt Confessione Lutheranorum, quæ Augustæ fuerat Cæsari & toti Imperio exhibita, contrarij. Verbi gratia. In Confessione, aiunt, falso accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. At secundus Lutheri articulus, quem Concilio proponi uelit, sic habet. Oportet Missam in Papatu maximam & horrendissimam esse abominationem, eò quod directe & uiolenter pugnat cōtra hunc principalem articulum: Sola fides in Christum nos iustificat. Ait

Contra ar-  
ticulos Lu-  
theri ad  
Concilium

autem Cochläus, grauiorem inde fore ruborem proponentium hæc in Concilio: quia secundus fundatur super primum, qui multipliciter de falso conuictus, & in nulla scriptura fundatus est.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XXXIX.*

Consilium  
ad Papam  
pro Refor-  
matione.



Vulgatū fuerat, in scio Pontifice, egregium quod-  
dam consilium de Reformanda Ecclesia, & emen-  
dandis Ro. Curiaē abusibus, à septem doctissimis  
ac Integerrimis uiris ipsi Pontifici in secreto datū:  
Nempe à Card. Cōtarenō, Card. Theatino, Car-  
din. Sadoleto, Card. Polo Anglico: Archiepisco-  
pis, Salernitano & Brundusino, Episcopo Veronensi, Abbate S.  
Georgij Veneto, & à F. Thoma Magistro sacri Palatij. Hi igitur  
circa finem sui consilij, ita subiunxerunt. Hæc sunt, Beatissime Pa-  
ter, quæ in præsentia protenuitate ingenij nostri, colligenda esse  
duximus, & quæ nobis corrigenda uiderentur. Tu uero pro tua  
bonitate & sapientia, omnia moderabere: Nos certe, si non rei ma-  
gnitudini, quæ nostras uires longe superat, conscientiaē tamen no-  
stræ satisfecimus, non sine maxima spe, ut sub te Principe uideamus  
Ecclesiam Dei purgatam, formosam ut columbam: sibi concordem  
in unum corpus consentientē, cum æterna nominis tui memoria.  
Sumpsisti tibi nomen Pauli: Imitaberis, speramus, charitatē Pauli.  
Electus fuit ille, ut uas quod deferret nomen Christi per gentes:  
Te uero speramus electum, ut nomen iam Christi oblitum à gen-  
tibus, & à nobis Clericis restituas in cordibus & in operibus no-  
stris: ægritudines sanes, oues Christi in unum ouile reducas, amo-  
ueasq; à nobis iram Dei, & ultionem eam, quam meremur iam  
paratam, iam ceruicibus nostris imminentem. Contra hoc piunt  
ac salutare optimorum uirorum consilium, duo prodierunt libelli.  
Vnus à Luthero, qui id in Germanicum uertens, pessimis in mar-  
gine conspurcauit ac peruertit annotationibus: Alter à Ioanne  
Sturmio Rhetore Argentinenſi. Ad quem scripsit Cochläus bre-  
uem libellum, qui inscriptus est, *Æquitatis discussio super consilio  
Delectorum Cardinalium &c.* In quo sane inter cætera sic ait ad  
Sturmium. Attamen nihil dubito, epistolam tuam longe æquiori  
animo à doctis & grauibus uiris legi, quàm Teuthonicam aduer-  
sus uiros illos Lutheri interpretationem. Tu enim à conuictijs non  
nihil temperas: Lutherus autem non ueretur, tantos uiros (quo-  
rum eruditionem uitæq; integritatem, quam & tu fateris, nouit ac  
laudat

Ioan. Stur-  
mius mo-  
destior Lu-  
thero.

laudat uniuersa Italia) dicere perditos ac deploratos Nebulones. Tu Latine scribis, ut illi queant intelligere, quid approbes & quid reprehendas, atq; quid amplius ab eis desideres: Lutherus autem Teuthonice ad rudes Germaniæ plebes, illos nequiter traducit, sicut fecit olim aduersus Ezechiam Regem improbus Rapsaces. Tu eos in quibusdam laudas ac probas: Lutherus absq; discrimine cuncta refutat, aut si tam manifeste bona sunt quæ illi dicunt, ut à nemine, nisi ab impijs & insanis, sensuq; communi carentibus, reprehendi queant: ipse per calumniam in cōtrarium retorquet sensum, tanquam fictæ ac dolosæ, aut per Ironiam mentisq; peruersitatem ab eis dicta sint. Tu hortaris illos ad cœpta perficienda: Ille uero dira eis imprecatur, pro eiusmodi pacis & reformationis consilio. Tu Synodum generalem non omnino reijcis aut respuis: Ille compluribus libellis uarijsq; figmentis & picturis, atq; Teuthonicis rythmis omnem Synodum Oecumenicam calumniatur ac recusat. Tu spem aliquam ad concordiam nobis relinquis: Ille iam pridem minatur nobis bellum perpetuum, ut nec uiuus nec mortuus, ullam nobis pacem aut quietem sit permissurus &c. At Cardinalis Sadoletus ad eundem Sturmium scribens, & quidem humanissime ac modestissime, reprehendit eum de conuictijs. Sic enim ait. Illud nollem, mi Sturmi, ualdeq; mihi id molestum accidit, quod uidi tantum nitorem orationis, quantus in te est, infinitis penè conuictijs & contumeliarum asperitatibus inquinari. At ego arbitrabar, hoc unius Lutheri proprium esse, irruere in omnes homines, uidelicet cum impetu & clamore: à uobis autem hominibus liberalibus cruditis longe id abesse. Quonam igitur modo hæc labe in tuum tale ingenium incidit? Aut quæ nō sunt in tuo libro plena maledictis & acerbis obiurgationibus loca, cū turpitudines nostras, consceleratas uoluntates, crudelitatem nefariam, flagitia, scelera, ubiq; inculcas ac repetis, scilicet nos, qui à uobis dissentimus, uno nomine omnes in uituperationem uocans: cum tamen, si de singulis iudicium faciendum sit, & maior sit copia bonorum uiuorum in urbe Roma, eorum inquam, qui sacerdotijs præsent, quàm malorum &c. Et Cardinalis Contarenus ad Cochlæum inter cætera sic scripsit. Tu uero Cochlæe, pro tua prudentia ac rerum Germanicarū experientia, ac pro Christiana pietate operam dato, ut schisma hoc resarciatur, ut nostra tempestate uideamus, Ecclesiam unam esse uinculo charitatis & pacis, ac uestra Germania, nobilissima & potentissima Christianæ Reipub. pars, tandem quiescat, ac sibi pareat, prouideatq; ne seditionibus his durantibus, suis ipsa se uiribus conficiat. Ad hæc Cochlæus ita. O quàm acute

Epistola  
Cardinalis  
Sadoleti ad  
Ioannem  
Sturmium.

Verba  
Card. Con  
taren.



Pia pro pa-  
trix salute  
solllicitudo

ac intime pungunt ac penetrant hæc Opt. ac doctissimi uiri uerba  
(præsertim ultima) sensus mentemq; & cor meum. Nihil enim  
magis anxie timeo, nisi hoc unum præcipue, Ne Germania suis ipsa  
se uiribus conficiat, ac misere ciuilibus bellis confecta, Turcarum  
tandem præda fiat. Quanto esset satius, Doctos homines, sua de  
fide & religione disceptationes, non ad Laicos & imperitum uul-  
gus: sed ad publicas potius Academias, immò ad Generale Con-  
cilium, referre humiliter, ut Ecclesiæ potius, quàm proprio suo iudi-  
cio crederet atq; inniterentur. Non enim hunc uel illum hominem,  
quantumuis doctum aut eloquentem: Sed Ecclesiam uocat Paulus  
columnam ac basim ueritatis. Quantum ad me attinet, nihil profe-  
cto in hac uita mihi tam charum aut preciosum est, quod pro resar-  
cienda inter nos de fide & religione concordia, non sim quàm lu-  
bentissime impensurus atq; derelicturus, si quid per me, pro pace  
ac unitate Ecclesiæ, fieri posset &c. Grauisimum autem accepit

Obitus  
Ducis Sax.  
Georgij &  
filij eius.

Catholica religio hoc anno incōmodum ac detrimentum, ex obitu  
Illustris, Ducis Saxonix GEORGII, & filij eius uere simplicis &  
innocentis, Ducis Saxonix Friderici, Nam successor hæresq; &  
frater eius, Dux Henricus, iam antea à Lutheranis seductus, Lu-  
theri sectam publicis mādatis introduxit in omnes terras Misniæ,  
Turingiæ & Saxonix, quæ sub ditione Ducis Georgij fuerant. Et  
in Cathedrali Ecclesia Misnensi (ubi antea diuinis officijs, & diuer-  
sis cantandi & psallendi uicibus, laudabatur Deus iugiter die ac  
nocte, omni hora, absq; ulla intermissione) cultum diuinum ma-  
xima ex parte aboleuit, antiqua religionis facie prorsus mutata. Ex-  
pulsus itaq; inde Cochlæus, paulo post, commiseratione Venera-  
bilis Capituli Vratislaviensis, assumptus est in Canonicum Cathed-  
ralis illius Ecclesiæ. Dumq; subsisteret exul aliquandiu Budissinæ  
in Lusatia, scripsit ibi libellum super hac quæstione. Vtrum is, qui  
non est ab aliquo Episcopo legitime in sacerdotem ordinatus  
& consecratus, Eucharistiam per uerba consecrationis conficere  
queat. Vbi partem negatiuam probauit ex omni scriptura-  
rum sacrarum genere, & ex historijs patribusq;  
confutans etiam partis aduersæ  
argumenta.

Acta



Hoc anno Cæsar ex Hispanijs, per Gallias magnificētissima hospitalitate deductus, in Germaniam Inferiorem reuersus est foeliciter, & Imperialem Conuentū Spiræ habendum indixit. Verum propter pestem, quæ Spiræ tunc erat, translatus fuit Hagenoiam. In quo Cæsar loco (qui adesse non poterat) Imperij negocia tractabat Rex Romanorum frater eius, qui Cochlæum quoq; è Vratislavia illuc proficisci iussit. A quo sane petijt, ut ex actis Colloquij Augustensis (quæ scripserat ac Maiestati eius tradiderat D. Hieronymus Vehus, Cancellarius Badensis) compendium breue colligeret, ac de 28. articulis Augustanæ Confessionis, quidnam bona conscientia & salua fide pacis gratia queat aut debeat admitti, animi sui sententiam explicaret.

Reditus  
Cæsar  
per Gallias  
in Germa-  
niam.  
Conuētus  
Hagenoia  
habitus.

Is igitur per omnes articulos sigillatim, quid concessum, & quid reprehensum aut negatum fuerit, commemorans: quam breuissime potuit, affirmauit, se id religiose summa cum fide fecisse, sicut coram Deo intendat confiteri, & in extrema mortis hora, & in nouissimo die. In fine tamen adiecit, Complures alios esse contra Catholicam fidem Lutheri complicumq; eius articulos, qui in Confessione illa omisi, in alijs eorum scriptis euulgati sint: sine quorum discussione & conciliatione, firma pax aut concordia constitui non poterit. Lutherani autem, illic in publicis tractatibus nolebant ratam habere conciliationem eorum articulorum, qui Augustæ in septenorum Colloquio cōcordati fuerant. Emiserūt autem duo scripta, quæ ad Cæsarem dederāt: Vnum in Latino, alterū in Germanico, In quibus sane sex præcipuos, ac uelut necessarios proposuerunt, & sibi concedi petierunt articulos. Quid aut in hęc admitti salua fide Catholica possit, Cochlæus breui scripto indicauit. Petierunt illi aliud Colloquium, & obtinuerunt, ut Vuormaciæ institueretur post paucos menses eodem anno. Quid aut in illo factum ac disputatū sit, Melancton & Bucerus æditis libris in publicum euulgarunt. Post longam sane tractationem cum Dominis præfidentibus habitā, Duo disceptauerūt de peccato Originali Collocutores, D. Io. Eckius, et Magister Phil. Melancton. De quo quidem articulo non fecissent disputandi finem, nisi Cæsaris Commissarius, Illustris Dominus de Granuella, qui mox abiturus erat, delectum fecisset, ac binos ex utraq; parte constituisset, qui eum articulum in Quatuor puncta redactum, utcunq; concordarunt. De

Relatio de  
Colloquio  
Augusta-  
no.

Colloquij  
Vuormaci-  
ciense.

reliquis

An liceat,  
Duas ha-  
bere Vxo-  
res simul,

reliquis autem nihil ibi agi potuit. Cochläus autem, ne omnino nihil ibi ageret, suum ædídít Colloquium, quod ante XIX. annos Vuormaciæ cū ipso Luthero priuatim habuerat. Cuncq; magna esset eo anno fama de quodam Principe, quod ultra legitimam uxorem suam adhuc aliam superinduxisset, idq; diceretur fecisse consilio & approbatione Lutheri, & quorundam complicū eius: Cochläus contra nouum hoc scandalum breuem scripsit libellum. In quo sex rationibus ex ueteri Testamento, & totidem ex nouo, probauit, Non licere ulli Christiano, Duas aut plures habere uxores simul, & eodem tempore. Quoniam uero alius Conuentus à Cæsare indictus erat Ratisponæ celebrandus, in quo per aliud Colloquium de religione agendum erat: Cochläus Moguntiaë breuem edídít libellum, & Latine & Germanice, in septimum Augustanæ Confessionis articulum, De uera Ecclesia. Vbi ostendit, eam non esse apud Lutheranos, sed apud Catholicos: Ex eo enim articulo, tota religionis controuersia pendere uidetur. Ædídít & eum libellum ibidem, quē inscripserat, De ordinatione Episcoporum & Presbyterorū, & de Eucharistiæ consecratione, antequam abiret Ratisponā. Et Ingolstadij iam antea Quintā ædiderat Philippicā, quam ipsi Philippo eam uidere cupienti Vuormaciæ exhibuit. Eodem anno magna facta est in Regno Angliæ, quo ad quæstiones, de religione mutatio. Cum enim ex dissidio (quod erat Regi cōtra Ro. Pontificē, propter latam de Matrimonio eius sententiā) Lutheranis data esset occasio, atq; etiā libertas, irrepēdi in regnum illud, suamq; hæresim concionibus & librorum æditionibus late spargendi, & in populos disseminandi: ea ex re multi motus, multa scandala, multæ seditiones & rebelliones (qualia fane incommoda nouitas afferre solet: præsertim uero nouum Lutheri Euangelium, cui prauo sensu tribuit & applicat ipse hoc uerbum Christi. Non ueni pacem mittere, sed gladium) enascebantur. Quare Rex, Episcoporū & Magnatum consilio, indixit publicum omnium Regni Procerum & Statuum Conuentum, quem Parliamentum uocant. In quo pro constabilienda Religionis concordia, proposuit sex Quæstiones: De quibus in Actis publicis ita relatum habetur. Tandem post longam super his articulis deliberationem, post cōsultationes plurimas, post deniq; argumenta ultro citroq; infinita connexa, omnium tam Regiæ Maiestatis, quam utriusq; Senatorij ordinis ac plebis in hunc Senatū coactæ, summo consensu fuit & est resolutum, decisum ac statutū, eo modo ac forma, qua sequitur. In primis, In beatissimo altaris Sacramento, per uirtutem & efficaciam potētissimi uerbi Christi, simul atq; illud sacerdos

sacerdos ore locutus fuerit, sub forma panis & uini, naturale corpus & sanguinem Dominicum, conceptum ex Maria uirgine, realiter adesse: Et post consecrationem, nullam aut panis aut uini, aut aliam quàm Christi, Dei & hominis, remanere substantiam. Secundo, Cōmunicare sub utraq; specie, non est omnibus hominibus iure diuino necesse ad salutem, Credendumq; est & non dubitandum, quoniam in carne sub specie panis sit uerus sanguis: Et cum sanguine, sub specie uini, sit uera caro, tam diuisim quàm coniunctim. Tertio, Sacerdotes, postquam sacris initiati sunt, iure diuino non possunt uxores ducere. Quarto, Vota castitatis siue uirginitatis, à uiro fœminaue non temere facta Deo, iure diuino sunt obseruanda, Christianiq; populi libertate quadam eos priuant, qua nisi uouissent, potuissent uti, frui. Quinto, Missas priuatas in hac Regis Anglicana Ecclesia ac congregatione, admitti ac celebrari, simul & bonum & necessarium est: per quas probi Christiani, quorum uita respondet pariter, & bona & diuina solatia & beneficia inde recipiunt, Missasq; celebrari iuri diuino quadrat. Sexto, Expediit, necesseq; est, auricularem Confessionem retineri in Ecclesia Dei. Quocirca Regiæ Maiestatis autoritate, ac summo utriusq; Ordinis Senatorij plebisq; in hunc Senatū coactæ consensu, in hunc modum, qui sequitur, iatum est Senatusconsultum. Qui uel in hoc regno Angliæ, uel in alio quouis Regiæ Maiestatis Dominio, post XII. diem Iulij, qui proxime sequetur, uerbo, scripto, prælo, fictitijs characteribus, aut alio quouis modo publice concionantur, docent, dicunt, affirmant, declarant, disputant aut ratiocinantur, In Beato Sacramento altaris, sub specie panis & uini, post eius consecrationem, naturale corpus & sanguinem saluatoris nostri Iesu Christi, conceptum ex Maria uirgine, realiter non adesse: Qui post eius consecrationem aliquam substantiam panis & uini, aut aliam substantiam, quàm Christi, Dei & hominis, remanere: Qui post diem supra præfixum, publicant, concionantur, docent, dicunt, affirmant, In carne sub specie panis, nō esse uerum sanguinem Christi, aut cum sanguine sub specie uini, non esse ueram carnē Christi, tam diuisim q̄s coniunctim: Aut docent, concionantur, declarant, aut affirmant, dictum Sacramentū alijs esse substantiæ, quàm supra demonstratum est: Aut aliquo pacto contemnunt aut uituperant Beatum Sacramentum altaris: Tam principalis reus, quàm alij subsidiarij, & qui consilio aut re eum iuuerint, ij omnes, posteaquam ea forma iuris, quæ infra sequitur, de illius ac illorum malitia constiterit, habebuntur hæretici, omnēq; huiusmodi maleficium censebitur hæresis. Huius hæresis condemnati, igne uitæ amissionem sustinebunt, reiectis omnibus abiura-

tionis Cleri aut Asyli beneficijs, bonarūq; damnatorum, tam mobilia quàm immobilia, omnia conferentur in fiscum, quæ tempore huius aut post delicti commissi, possidebunt per se uel per alios, ut in crimine læsæ Maiestatis &c. Hęc Rex Angliæ. Nec multū dissimile promulgauit eodem anno Edictū Cæsarea Maiestas, in prouincijs suis hæreditarijs Germaniæ Inferioris. Vbi inter cætera sic ait. Nos itaq; maturo ac bene deliberato cōsilio, atq; etiā cum cōsilio & consensu charæ sororis nostræ, Dominæ Mariæ, Reginæ Dotagieræ, Vngariæ & Bohemiæ &c. Regentis & Gubernantis in terris nostris huc uersus. Et similiter cū supremo consilio nostro & sententia, ordinauimus & statuimus, ordinamus et statuimus, pro Edicto & perpetua lege, ut sequitur. Primum, Vt nemo, cuiuscunq; status aut conditionis fuerit, posse debeat apud se habere, uendere, portare, dare, legere, prædicare, docere, tolerare, defendere, impertiri, aut disputare, siue occulte siue manifeste, de doctrina, de scriptis & libris: quos fecerūt aut facere poterūt, Martinus Lutherus, Ioannes Vuicleph, Ioannes Hus, Marsilius de Padua, Oecolampadius, Vricus Zuinglius, Philippus Melancton, Franciscus Lamperti, Ioannes Pomeranus, Otto Brunfelsius, Iustus Ionas, Ioannes Purpuri & Gorcianus, aut alij autores de eorum secta: similiter & omnes aliæ sectæ, ab Ecclesia reprobatae. Neque etiā doctrinas ab eorum adhærentibus, fautoribus & fœderatis: Neq; etiā noua Testamenta, impressa apud Adrianum de Bergis, Christophorum de Remunda, Ioannem Zell: Phrases scripturæ diuinæ, Interpretationem nominum Chaldæorum, Epitomen Topographicam Vadiani, Paralipomena rerum Memorabilium, Historiam de Germanorum origine, Eobani Hefsi opera, Dominicas preces Griphij, Methodum in præcipuos scripturæ diuinæ locos, Erasmi Sarcerij Catechismum &c. Et si quis eiusmodi libros apud se habeat, ut confestim comburat, sub pœnis (si quis comperiat, contra ulla supra scripta puncta fecisse) declarandis & exequendis: Nempe uiros gladio feriendos, Mulieres uiuas defodiendas esse, si modo errores suos tolerare aut defendere nolint. Si autem in erroribus & hæresibus perseverare uelint, igne ad mortem adigendi sunt. Et omnis eorum substantia fisco nostro applicanda est.

Hęc Cæsar.

Acta

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini**M. D. XLI.*

Cæsar tempestiue Ratisponam uenit, & longa ex Conuētus  
 peccatione ibi permansit, donec alij aduenirent Imperialis.  
 Principes & Status Imperij. Aduenit quoq; e  
 Roma Cardinalis Legatus de Latere: uir Opt. &  
 Doctiss. Gaspar Contarenus, die XII. Martij.  
 Aduenerunt etiam Lutherani Principes & Sta  
 tus cum suis Concionatoribus, qui in domibus prophanis ad po  
 pulum concionabatur, & à Catholicorum sacris, ieiunijsq; & riti  
 bus, prorsus alieni erant, & uenationibus operam dabant etiam  
 in sacratissimis diebus hebdomadę sanctę, atq; adeo in ipso quoq;  
 die Parasceues. Conscriptus autem fuit liber quidam à nonnullis  
 lis, quibus & Bucerus fraudulenta simulatione sese admiscuit, isq;  
 traditus fuit Cæsari, tanquam pacis & concordie conciliator com  
 modissimus. Constituti sunt itaq; noui rursus ex utraq; parte Colo  
 locutores, qui super eo libro amice disceptarent, & omnia ad desis  
 deratam adaptarent in fide & religione concordia. Ex parte sane  
 Catholicorum constituit Cæsar Tres, D. Iulium Pflug, D. Ioan.  
 Gropperum, & D. Ioan. Eckium, Theologum exercitatissimum.  
 Tres item ex parte Lutheranorum constituti sunt, Philippus Me  
 lanchton, Martinus Bucerus, & Io. Pistorius. Additi quoq; sunt  
 utrinq; Auditores, & Duo Præsidentes, Illustriss. Dux Bauarię,  
 & Comes Palatinus Rheni Fridericus, & Illustris Dominus de  
 Granuella. Hi ergo ultra mensis spacium considendo, librum  
 discutiebant, ac omnibus interim alijs Imperij negocijs posthabis  
 tis & suspensis, in quibusdam tandem libri illius articulis concor  
 darunt. D. Eckius febre correptus, toti Colloquio interesse non  
 potuit: Ideo Duo tantū ex Catholicis cum alijs tribus aliquandiu  
 disceptauerunt. Finito autem Colloquio, Cæsari reddiderunt li  
 brum, non in ea forma, qua eum acceperant: sed in alia, quam con  
 cordie magis propinqua existimabant. Cæsar autem eum librum  
 expendendum tradidit, non solum Legato Apostolico, Principi  
 busq; & Statibus Catholicis, sed etiam Protestantibus. At nihil  
 effectum est: Neutra enim pars eum librum per omnia compro  
 bauit. Catholici certe multas aduersus eum rationes, cur approba  
 re aut recipere non possent, adduxerunt: Legatus quoq; Sedi  
 Apostolicę totam causam committendam, & absq; illius autori  
 tate nihil definiendum esse censuit. Lutherani autem Concionato  
 res IX. adiecerant scripta, signata per literas A. B. C. &c. quibus

Nouum  
 Colloquiū  
 super libro  
 quodam.

Lutherano uaria ambage potius quam declaratione, articulos libri concordatum in Colloquio, magis ambiguos reddebant. Vuittembergenses quoque, paulo post circa ea scripta alias rursus declarationes superaddiderunt, ita intricatas, uariisque glossis & interpretationibus inuolutas, ut lector non possit uidere, quid in his firmum per omnia habere uelint. Ipsi autem Principes ac Status Lutherani, in suo ad Cæsarem de libro illo responso, neque librum, neque conciliatos articulos, per omnia comprobabant: sed ad suam Confessionem Augustanam, eiusque Apologiam, alligabant fidem suam.

Responsum  
Protestan-  
tium de li-  
bro.

Intelligimus (inquiunt) in libro quosdam articulos iudicio Collocutorum uideri conciliatos, quosdam uero reprehensos. Diligenter expendimus eos, qui dicuntur conciliati: Quales sunt, De libertate uoluntatis humanæ, De peccato originis, De iustificatione, De disciplina, & alijs quibusdam: etsi quædam adhuc opus habent longiori explicatione, ne breuitas aut ambiguitas pariat noua certamina. Nam nos quidem articulos illos sic intelligimus, ut res eadem in nostra Confessione & Apologia traduntur. Reliquæ (inquiunt) sunt controuersiæ in libro nondum direptæ, de quibus nostri exhibuerunt articulos: Qui cum sint ueri, & moderate scripti, speramus, eos etiam alteri parti satisfacturos esse. Et infra. Ideo iudicamus (inquiunt) articulos exhibitos à Collocutoribus delectis ex parte nostra, & moderate scriptos, & ueros esse, nec ab eis discedimus: At rogamus, ut Cæsarea Maiestas uestra, hanc nostram responsionem boni consulat. Primum enim, cum de gloria Dei & luce Euangelij agatur, non sunt confirmandi uitiosi cultus, aut opiniones, quæ inducunt tenebras Euangelio. Quanti abusus confirmantur, recepta opinione libri de Inuocatione sanctorum, & alijs cultibus, sine uerbo Dei institutis. Item. Quale uinculum iniiceretur Ecclesie, si fateremur, prorsus nullum lapsum generalium Synodorum reprehendi posse. Item. Ac ne cui dubium sit, quod doctrinæ genus in uniuersum in Ecclesijs nostris tradatur, iterum testamur, Nos amplecti Confessionem Augustinæ exhibitam Cæsareæ Maiest. uestræ, & Apologiam quæ addita est: Nec dubitamus, hanc doctrinam uere esse consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi. Hæc Lutherani Principes & Status. Concionatores autem eorum, etiam in Cardinalem Contra-  
renum scripto quodam inuecti sunt. Lædimur (inquiunt) ab eo iniquo præiudicio, cum quidem uideat nos nihil absurdi sentire, nihil profiteri, quod pugnet cum sanis iudicijs piorum & doctorum in Ecclesia Christi, immo locos aliquos doctrinæ Christianæ in nostris Ecclesijs pie & utiliter illustratos esse: Et tamen ædidit  
censuram,

Querela  
concionato-  
rum contra  
Legatū.

cenſuram, in qua ait, nos à communi conſenſu Catholice Ecceſiæ diſſentire. Iubet etiam in altera pagella Epiſcopos aduigilare, ut genus doctrinæ, quod proſitemur, deleant. Hæc illi. Cochlæus aut, qui priuatim ibi agebat, priuatis quibuſdam ſcriptis reprehendebat, tum illorum IX. ſcripta, quæ libro adiecerant, & articulum de Iuſtificatione: tum duplices propoſitiones, quæ è Vuittenberga tranſmiſſæ, illic circumferebantur, nempe 18. de peccato Originali, & 21. de fide iuſtificante. Perditis tandem fruſtra tot pro con-

Receſſus.

*Acta & ſcripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XLII.*



Mo anno bini ſunt celebrati per Regem Rom. Duo Con-  
abſente Cæſare, Conuentus Imperiales. Vnus Spi- uentus Im-  
ra, cuius Receſſus datus eſt XI. die Aprilis: Alter periales.  
Nurenberge, cuius Receſſus datus eſt XXVI.  
die Auguſti. In utroq; autem præcipue tractatum  
eſt de expeditione contra Turcas, quæ hoc anno  
facta eſt in Auſtria. Ad quam ſane cõſtitutus fuit ſupremus Chri-  
ſtiani Exercitus Capitaneus, Illuſtriſſ. Princeps Elector Ioachim,  
Marchio Brandeburgenſis, Generali per totum Imperium indi-  
cta contributione. Verum tamen, neq; hoc anno, neq; anno ſupe-  
riore, dum Ratiſponæ haberetur Conuentus, proſperè ceſſit circa  
Budam & Peſtum expeditio, licet maximus fuerit, hoc præſertim  
anno, belli apparatus. Cæterum in cauſa religionis bene longum  
ædidit hoc anno librum Clariff. Theologus D. Io. Eckius, quem  
inſcripſit Apologiam pro Catholicis, aduerſus calumnias Buceri, Apologia  
ſuper actis comitiõrum Ratiſponæ. In eo igitur libro primũ oſten- D. Eckij  
dit, longe plures & maiores articulos controuerſos, non eſſe con- contra Bu-  
ciliatos aut concordatos per Colloquiũ illud, quàm ſunt ij, quos cerum.  
concordatos dicit Bucerus. Deinde per multas & uarias annotatio-  
nes declarat, quicquid in libro, qui Collocutoribus propoſitus  
fuerat, reprehentione dignum ſit, in quolibet libri capitulo: ſunt  
Cc ij autem



Reprehensio  
responſi  
Principum  
Luth.

autem libri cap. XXIII. Postea reprobat multos errores Lutheranorum, qui habentur in IX. scriptis eorum, quæ per literas A. B. C. &c. signauerant. Item, ad longum per XXI. puncta reuellit cauillos & calumnias Buceri, quas edidit contra Responſum Catholicorum Principum & Statuum, de libro Colloquij Cæsari datum. Item, Defendit etiam Card. Contareni Legati Responſa & declarationes, quas Bucerus calumnioſe ſuggillauit. Reprehendit uero Responſum, quod à Protestantibus Cæsari, de articulis conciliatis & non conciliatis, datum fuit. Si maledicentia (inquit) Bucorum imitari uellem, non deesset, quo Annotationem (iustiori & meliori causa) huic responſo affigerem. At quia maledici regnum Dei nõ possidebunt, nolo Nobilissimos Principes et Status Protestantium offendere, suspiciens in eis donum à Deo datum: quia omnis potestas à Deo est. Et quia ex se Principes ista non habent, sed spiraculum, non uitæ: sed mortis suggerit illis, quæ cum fide Orthodoxa non conueniunt. Nam desertores Ecclesiæ, Apostatæ, grex Epicuri, Prædicatores hæretici, & schismatici, excellentissimos Principes istos & Status, Deo permittente, lethali poculo aliõ trahunt. Non deesset amplissimus campus uersandi, quod tam anxie petunt sustolli Recessum Augustanum, ac si diuus Augustus noster CAROLVS, à Deo coronatus, cum tot Catholicis Principibus ( qui suæ Maiestati fidem dederunt, de conseruando recessu isto ) sint muliercularum more instabiles & inconstantes, modo uelint, modo nolint: Sed stat sententia, cum sede Apostolica, tũ Imperiali & Regia Maiestate perseuerare. O quam egregie dicebat Dux Georgius Saxo, Beatæ memoriæ Princeps, Nescire Neochristianos hodie, quidnam futuro anno credituri sint. Hæc & id genus multa in Bucorum Eckius. Eodem quoq; anno scripsit in eundem Bucorum D. Albertus Pighius Campensis itidem Apologiam: In cuius præfatione inter cætera sic ait. Quanquam Bucerus multas in me Dei dotes agnoscat & prædicet. Excellenti enim doctrina, & si quem alium, in excutiendis quæstionibus Methodicum, & in tractandis rebus disertum facit, & deplorat ingenium tantum, tamq; præclare & natum & disciplinis excultum: Contra tamen, apertis, impudentibus, atq; intolerandis me conuitijs flagellat, nunc sophistam, nunc calumniatorum rem faciens. Hæc ille in præfatione. In ipso autem libro, de multis Bucorum & Lutherum reprehendens, Erasmus quoq; alicubi coniungit eisdem. Verbi gratia, de operibus poenitentiae, quæ fecerunt Niniuitæ, ad placandum sibi Deum, sic ait. Quid ergo de his dicturi sunt? Certe secundum Erasmi illud axioma, Deo hæc eorum

Albertus  
Pighius cõ  
tra Buce  
rum.

Opera poe  
nitentiæ  
Niniuitæ  
rum.

eorum opera placere non poterant, ut quę preter eius præceptum ultro assumpta, non eo spectabant, ut proximo per ea commodaretur. Secundum aduersariorum uero doctrinam, quam in Confessione suę fidei atq; eius Apologia publice asserunt, atrociori etiam censura percelluntur. Neq; enim solum ingrata Deo, & illis qui ea fecerunt inutilia, sed etiam perniciosa, impia, à Dæmoniorũ doctrinis introducta fuerunt: quia facta ad placandum Deum, ad eius impetrandam gratiam, promerendamq; misericordiam. Et quid diuina scriptura? Vidit, inquit, Deus opera eorum: quia conuersi sunt à uia sua mala, & misertus est super malitia, quam locutus fuerat, ut faceret eis. An hic non uides diuersissimum Dei ab Erasmo & Lutheranis iudicium? Hęc & id genus multa Pighius.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XLIII.*



Hoc anno rursus Nurenbergæ, absente adhuc Cæsare in Hispanijs, per Regem Rom. habitus est Conuentus Imperialis. Conuentus Imperialis, à mense Ianuario usq; ad Aprilem: Cuius Recessus factus ac publicatus fuit die XXIII. Aprilis. Adiuncti fuerunt Regiæ Maiestati ad id negotij Tres Commissarij à Cæsarea Maiestate, utpote Christophorus Episcopus Augustensis, Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, & Ioannes de Nauis: Quorũ primus in illo cõuentu Nurenbergæ obdormiuit in Domino. Tractatum est autẽ et ibi præcipue de ratione belli, aduersus Turcas gerendi, deq; præsidijs subsidijsq; & contributionibus in tempore constituendis. De causa uero religionis, nihil aliud constitui commode potuit, nisi ut publica pax utrinq; seruetur, ne religionis prætextu ulli inferatur uis aut iniuria. Fuit eodem anno indictum à summo Pontifice Generale Concilium ad Ciuitatem Tridentinam, Concilium indictum & suspensum. quo Tres misit Cardinales Legatos, Quoniã uero propter bella, quę inter potentissimos erant Monarchas, perpauci Episcoporum comparuerunt: reuocatis Romam Legatis, suspensum est ad tempus Concilium illud. Fata insuper eripuerunt Catholicis in Germania Duos Clariss. & Doctiss. uiros, D. Eckium, & D. Pighium, fortissimos contra hæreticos Ecclesię fideiq; Propugnatores. Obitus Eckij & Pighij. Mortuus autem est uterq; intra unius mensis, & quidem primi, spacium, non sine publico plurimorum luctu & gemitu. Coschlæus Tridentum ad Concilium è Vratislauia proficiscens, dum Campidunum usq; peruenisset, comperit ibi, solutum esse Conuentum

Cæsar contra Ducem Cleuenssem

uentum indictæ Synodi. Et uidit ibidem Cæsarem Die 15. Iulij, ex Italia cum exercitu tendentem in Germaniam Inferiorem, aduersus Ducem Cleuenssem, qui ab eo ad Regem Franciæ defecerat, atq; Ducatum Gelriæ occupauerat, ac multa Brabantinis damna, Cæsare absente, intulerat. Quæ Cæsar, intra paucos menses uictum ac subiugatum, pro innata Clementia sua, rursus in gratiam recepit.

Discordia Coloniae inter Clerum & Episcopum.

Bucerus autem impia fraude Coloniensi insinuatus Archiepiscopo, Hermanno (qui Natalibus Comes erat à Vueda) grauissimam suscitauit inter illum & Clerum eius discordiam in religione. Induxit enim illum in Lutheri hæresim, reclamante frustra, non solum Reuerendo & Illustri Capitulo Maioris Ecclesiæ Coloniensis: sed etiam uniuerso Clero totius Ciuitatis, totaq; Vniuersitate Coloniensi. Cochlæus uero, gratia ac benignitate Reuerendissimi Episcopi Eystetensis, nactus Præbendam in Choro S. Vuilibaldi, è Campiduno redijt ad Eystet. Ibiq; nouam adiecit præfationem Quintæ suæ Philippicæ, prius æditæ, quam supra dicto nuncupauit Archiepiscopo.

Præfatio ad Archiepiscopum Coloniensem.

Vbi inter cætera, post recitatam S. Ambrosij ad Imperatorem Valentinianum II. responsionem, ita subiunxit, Sic te quoq; Reuerendiss. Princeps ac Domine, Lutheranis ac Zuinglianis suggestoribus & consultoribus pessimis respondere decuisset. Absit, ut ego hæreditatem patrum sanctorum, Seuerini, Cuneberti, Brunonis, Hereberti, Peregrini, Annonis, & omnium retro fidelium Episcoporum, antecessorum meorum, qui per tot Collegia & Monasteria (quæ suo ære & labore fundauerunt) cultum & laudem Dei, & sanctorum eius memoriam ac uenerationem, adauxerunt: tradam in manus rapacium luporum, ac publice damnatorum hæreticorum, qui Ecclesiarum Collegiatarum & Monasteriorum hostes sunt nefandissimi. Quis Prædecessorum meorum unquam ita fecit? Tali sane responso seruares bonam ad Deum conscientiam, bonâ fidem Christo, principi pastorum (cuius tibi commissæ sunt ouiculæ) debitâ erga summum Pontificem & Romanorū Imperatorem, Dominos & superiores tuos, obedientiam atq; fidelitatem: apud Exteras nationes Christianas laudem: apud Clerum & populum Coloniensem (qui tot iam annis unanimi tecum consensu istas perditionis damnatas sectas abominati ac detestati sunt) beneuolentiam pristinam: atq; præcaueres infinita in plebibus Christi scandala, quæ de hoc facto tuo non sine multorum gemitu passim audiuntur. Et infra.

Accusatio sanctorum contra illum Episcopum.

Quod si à te (inquit) pastore intromissus est lupo iste Bucerus, facile intelligis, quàm grauem de tanto facinore rationem redditurus sis Principi pastorum in die nouissimo, quando stabunt contra te

te in magna constantia, non solum omnes sancti Prædecessores tui, quorum labores & sanctas foundationes per hos lupos, ex eorum ouili & populo fideli auferre et abolere conaris, si non primo quoque tempore eos amoueris atque expuleris: Verum etiam numerosa sanctorum Martyrum agmina (quorum sacra Reliquiæ, in magna per tot sæcula ueneratione Colonia ab omnibus habitæ fuerunt, habenturque adhuc hodie) in te coram Iudice consurgent. Neque surdas interim præbebit Deus aures gemitibus, lachrymisque & suspiriis tot sacrarum uirginum, sacerdotumque & Monachorum, intra muros sanctæ ciuitatis Colonia Deo seruientium, quos per lupos istos tam immaniter conturbas & discrucias. Hæc ibi Cochleus. Qui & in Henricum Bullingerum, Zuinglianorum apud Tigurinos Antesignanum, edidit eodem anno Ingolstadtij libellum, inscriptum De Canonica scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ autoritate: In cuius præfatione sic ait. Quid si solos reprehenderes abusus, qui Prælatorum negligentia (uergente in senium mundo) irrepserunt, uitamque duntaxat scandalosam & prauos mores plurimorum ex Clero, qui suo non recte in Ecclesia funguntur officio, palam argueres, aut quantumuis acriter insectareris; non solum tacitus comprobarem, uerum etiam publice collaudare non uererer. Quoniam uero præcipua totius religionis nostræ capita (quibus labefactatis aut subuersis, cunctarum periclitaretur salus animarum) impetis, hostiliterque oppugnas: non licet mihi (stimulante ad debitum officium conscientia) ad omnia tacere aut desidiosè dissimulare, quamuis ignorem, quæ tua sit conditio, qui status, quæ functio &c. De animarum quoque Purgatorio igne libellum ædidi, contra duos sermones Andree Osiandri. Cæterum Clerus secundarius ciuitatis Coloniensis, aduersus Buceri librum recens æditum, egregium matura deliberatione scripsit ac euulgauit

iudicium. In quo doctissime deteguntur atque confutantur Buceri complicitumque eius errores ac impia dogmata Latine, quod in Germanicum quoque translatum est.

Cc iij Acta

Contra  
Bullingerum de auctoritate Ecclesiæ.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XLIII.*

Cōuentus  
Imperialis  
Spiræ.



Admoni  
tio Papæ  
ad Cæsā  
rem scripta

Obscœnis  
simus liber  
Lutheri cō  
tra Papam  
& Card.

Opuscula  
Cochlæi.

Hoc anno celebris fuit Conuentus Imperialis à Cæsaremet presente Spiræ habitus, in quo & omnes septē Principes Electores (quod raro fit) personas liter presentes fuerūt. Tractatū ibi rursus fuit de ratione belli defensusi cōtra Turcas, et de sumptibus atq; contributionibus ad bellum illud necessarijs. Fuit & de causa Religionis ibi serid' actum, & Lutheranis ad importunam eorum instantiam concessum nonnihil, quod summo Pontifici per omnia placere non potuit. Recessus ergo publicus datus fuit Spiræ X. die Iunij. Cuius sane tenorem ubi Ro. Pontifex accepit, paterne admonuit per quandam epistolam Cæs. Maiestatem, ut in causa fidei & Religionis, more maiorum, nihil uelit, in consulto Ro. Pontifice, statuere aut permittere, in sedis Apostolicę præiudiciū. Mos (inquit) maiorum est eiusmodi, ut quoties de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad sedem Apostolicam omne iudiciū semper referatur, nihil illa inconsulta statuatur. Tu uero nunc fili, cum uel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius in primis Germaniæ mentionem facis: uel de Nationali, cuius etiam meministi: uel de futuro ad proximum Autumnum Imperiali Conuentu, in quo de religione cæterisq; rebus, quę ad illam pertinet, tractare promittis: ita agis, ita statuis, ut supprimas eius nomen ubiq; cui diuina & humana iura, approbante tot sæculorum consensu, supremam, cum cogendi Concilia, tum statuendi de his & ordinandi, quæ ad Ecclesiæ unitatem utilitatemq; spectant, autoritatem dederunt &c. Contra hanc Papæ Pauli III. epistolam, horrenda conuitia scripserunt Lutherani, quidam Latine, quidam Germanice. Lutherus ipse Teuthonice prolixum aduersus eam ædidit librum, usq; adeo maledicum & obscœnum, ut sine pudore recitari aut legi non queat. Ædidit et alium Germanice libellum, in Quatuor partes diuisum. Quarum prima titulum habet, De Principalibus articulis Christianæ fidei, contra Papam & Inferorum portas sustinendis. Secunda cōtinet eius Confessionem. Tertia, De uera & falsa Ecclesia, quomodo discernatur. Quarta, De tribus symbolis aut Confessionibus Catholicæ fidei. Cochleus quoq; non paucos hoc anno ædidit Latine libellos, partim contra Lutheranos, partim contra Zuinglianos. Verbi gratia. Philippicam sextam, contra Melanchtonem & Bucerū, pro Coloniensium iudicio:

iudicio: Defensionem Cæremoniarum Ecclesiæ, contra Tres libellos Ambrosij Moibani Vratislaviensis: De nouis translationibus ueteris et noui Testamenti Disceptationem: Quadruplicem rationem concordia super Confessione Augustana. Hæc contra Lutheranos. Contra Zuinglianos uero, De Inuocatione sanctorum, eorumque intercessione, & de Reliquiis Imaginibusque eorundem, contra Bullingerum: Replicam breuem, contra prolixam responsionem eiusdem Bullingeri: De sacerdotio & sacrificio nouæ legis, contra duos sermones Vuolffgangi Musculi. Item, Historiam de uita Theoderici Regis Ostrogothorum & Italiæ. Germanice item libellum unum, de modo & usu orandi antiquo. Cæsar autem finitis Spiræ comitijs, Regi Franciæ bellum intulit in ipsa Gallia, eoque foeliciter peracto, in Belgicam eodem anno reuersus est: qui ad Parisios usque cum exercitu penetrauerat. Clero interim Colonienensi, pro fide & religione Catholica, libris & actionibus diuersis uiriliter, Lutherani Archiepiscopi sui conatibus & attentationibus repugnante.

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XLV.*



Uoc quoque anno indictus ac celebratus est Vuormaciæ Conuentus Imperialis, qui promissus fuerat in Recessu Spirensi, & constitutus in diem Vuormaciæ primus Octobris prioris anni. Itaque Cæsar ad eum diem suos iussit ibi comparere Commissarios. Cæteri tardius aduenerunt: Rex Rom. mense Decembri; Cæsar infirmitate corporali præpeditus, longe tardius aduenit. Ex Principibus autem Electoribus, unus duntaxat personaliter comparuit, Illust. Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ Fridericus: cæteri suos miserunt Oratores. Minus igitur frequens ac celebris fuit iste Conuentus, quàm fuit Spirensis, licet satis celebris fuerit ex Cæsaris Regisque personali præsentia. Vbi & Reuerendissimus Dominus, Episcopus Augustensis OTTO, Cardinalitia Dignitate ac amplitudine sublimatus, insigniorem eo honore Conuentum illum reddidit. Protractus autem est idem Conuentus usque in mensem Augusti, cuius die Quarto datus est publicus Recessus. In quo propter paucitatem Principum & Statuum, qui in proprijs personis adfuerunt, maiores & grauiores causæ, de quibus tractatum fuit, non sunt definitæ, sed suspensæ atque in alium Conuentum remissæ, quem Cæsar constituit Ratisponæ celebrandum,

Card. Augustensis.

Tres libri  
Buceri.

Epistola  
una contra  
eosdem.

Horrendi  
errores no-  
uæ sectæ.

celebrandum, atq; sequenti anno mox inchoandum die festo Epiphaniæ, seu Trium Regum: ad quem omnes Principes & Status personaliter, excepta causa infirmitatis, conuenire debeant. Ut autem illic in causa Religionis facilius ad concordiam perueniretur: instituit Cæsar rursus, ad petitionem Principum & Statuum Protestantium, non cõsentientibus Catholicis Imperij Ordinibus, nouum Colloquium Ratisponæ, sub festum S. Andrææ inchoandum, & à Quaternis utriusq; partis Collocutoribus, & totidem Auditoribus peragendum, sub Præsidentibus à Cæs. Maiestate constituendis. Scripsit ad hunc Conuentum Germanice Bucerus Tres libros. In quibus prolixè suadet pro Nationali potius, quam pro Generali Concilio, multa inculcat contra Papam & omnem statum Ecclesiasticum, multa contra Edictum Vuormaciense, et contra Recessum Augustensem, multa contra Sacramenta & Ecclesiæ Cæremonias: Et quasi per omnia innocens sit, offerre se ausus est, ad experiendum de iure cum quocunq; aduersario.

Hæc indigne ferens Cochlæus, Latine scripsit epistolâ ad Principes & Status partis Catholicorum, eamq; per proprium nuncium ex Eÿffet Vuormaciâ misit: suppliciter admonens, ut à fraudulentis & mendacibus Buceri commentis caueant: atq; etiam ad poenam talionis sese obligauit, si illum sub iudicibus non conuinceret, tum de erroribus in fide, tum de criminibus in uita. Cum aut epistola illa publice in promiscuo Catholicorum & Protestantium confessu lecta esset: cito nactus est eius copiâ Bucerus, & Latine aduersus eam prolixum scripsit ac ædidit librum. Cui & Cochlæus nactus exemplar, absq; mora Latine respondit, extractis è libro illius XV II l. articulis, super quibus cum eo uelit sub iudicibus experiri de iure. Hoc præterea anno magna fuit fama, seu infamia potius, de diuersitate nouarum in Germania Inferiore exortarum sectarum. Etenim in Phrisia surrexit Laicus quidam, in oppido Emeda, nomine David Georgius, ex Delphis oppido Hollandiæ, qui absurdissimos proposuit articulos. In quibus etiam Sadduceorum renouauit errores: negans resurrectionē carnis, extremum iudicium, Angelos, Dæmones, Baptismum, Matrimonium, scripturas, Paulum, uitam æternā in cœlo. Affirmauit autem se Tertium esse Dauid, qui in Regno Christi super terram regnare debeat: uxores uoluit esse communes: docuit non esse peccatum, negare Christum coram hominibus: non spiritum, sed solam carnem peccare: stultos fuisse Apostolos & Martyres, quod tormenta morte q; propter Christi confessionem passi sunt. Quia æque bene saluentur spiritus infidelium, sicut fidelium: & æque bene damnetur

tur caro Apostolorū, sicut infidelium. Cæsar itaq; ubi hæc accepit, magna seueritate usus, gladio & igne in huiusmodi hæreticos animaduertit, & acerrima inquisitione tam nefariam sectam extirpauit: Atq; ut contra omnes nouarum sectarum errores & blasphemias, certos fidei & doctrinæ Catholicæ articulos populi eius haberent, commisit id negotij suis Theologis Louaniensibus.

Vnde factum est, ut Decanus & tota facultas Theologica Vniuersitatis Louaniensis, per iuramentum in Collegio Theologorum congregata, unanimes sententia consignauit et approbavit XXXII. articulos, pro Catholicis & Orthodoxis ab omnibus habendos.

Quos & Cæsar ipse publico Edicto, tum in Latina, tum in Burgundica lingua, comprobauit, ac per omnes populos & prouincias Inferioris Germaniæ diuulgari, doceri ac acceptari, præcepit.

Neq; immerito id fecit: Eleganti enim compendio asseritur in his doctrina sana & Catholica, contra omnes nouarum sectarum errores & insanias. Hanc autem Cæsar's pietatem ægre ferentes sectarum Antesignani, præsertim uero Lutherus & Bucerus: uarijs calumnijs & conuictijs in autores illorum articulorum, Theologos Louanienses, inuecti sunt.

Argentineses quidem nouos contra eos Teuthonice commentarios euulgauerunt: Lutherus autem LXXV. propositiones, superbissima censura, & Latine & Germanice in eosdem emisit. Inter quas, uerbi gratia, istæ quoq; continentur, & quidem inter primas, uelut aliarum fundamentum.

Quicquid (inquit) in Ecclesia Dei docetur sine uerbo, mendacium & impietas est: Si idem pro articulis fidei statuitur, impietas & hæresis est. Cui si quis credit, Idolatra, Diabolum pro Deo colit. Hinc ita concludit. Septem esse Sacramenta, sine uerbo asseritur ab hæreticis & Idolatris Louaniensibus. Item, Doctrina Synagogæ Louaniensium de Baptismate, est damnanda ut hæretica. Explodenda item est et abominanda doctrina Nostrollorū Louaniensium, in usu Eucharistiæ, cum sit prophanationis, hæresis, Idolatriarum plenissima. Item, Missam pro defunctis offerri, hæreticū est et blasphemum, insigniteq; mentitur Lerna Louaniensium, esse à Christo institutam. Item, Confutationes Louaniensium sanguinariæ & incendiariæ, pertinent ad Parricidas, non ad eruditionem, quam in sacris literis prorsus nullam habent. Quem, quæso, articulum hæresis illi confutarent, qui ipsi sunt pleni & distenti innumeris hæresibus, blasphemijs & Idolatrijs: Deinde nihil ex scripturis, sed omnia ex doctrinis hominum ructant, uomunt et cacant in Ecclesiam, nō suam, sed Dei uiuentis. Item, Ritus ordinandi sacrificos Missales, id est, Crucifixores Christi, est inordinatio Diaboli. Item, Ma-

trimonium

Seuera contra eam sectam executio.

XXXII. articuli Theologorum Louaniensium.

LXXV. propositiones Luth. contra Louanienses.



Tigurini  
cōtra Lut.

Noua hæ-  
resis alia.

Libelli Co-  
chlæi.

Defensio  
iudicij Cle-  
ri Colo-  
niensis.

trimonium esse Sacramentum, sine uerbo dicitur, & à Magistris Nostrollis in speculo Marcolfi uisum est. Item, Cacolyca uerius est Ecclesia Papæ & Magistrollorum, Ecclesiæ Christi sanguinaria aduersatrix & uastatrix. Hæc & id genus multa, furore plus quam hæretico plena ibi Lutherus: Qui & in Zuinglianos acerrime no- uo inuectus est libello. Cui Tigurini respondentes, tum Latine tum Germanice, inter cætera sic aiunt. Prophetæ & Apostoli, Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ stus debant: sed peccatorum salutem querebant unice. Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim Sa- thanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illico subscribere uelint: Et in omnibus correptionibus suis plurimū maligni spiritus, quam minimum uero amici & paterni ingenij, depræhenditur. Hæc illi.

Erupit & alia hæresis noua in plerisque Sueuiæ oppidis, quam Schuuenckefeldianā uocant, cuius autor Slesita est, genere Nobis- lis. Is ergo, ut aliquid noui, per quod innotescat, afferat, ex antiqua Manichæorum hæresi dogma uetus arripit ac renouat, docens, Christum non fuisse conceptum in utero uirginis Mariæ, ex natu- ra & sanguine eiusdem opificio Spiritus sancti: neq; ex ea natum, sed aliunde à Deo creatum hominem assumpsisse. Inter has insa- nientium & undiq; irruentium hæreticorum diuersas machinatio- nes, impiosq; conatus, sua pro parte Catholicorum studia exercens Cochlæus, quædam opuscula sua Latine scripta, uelut antidota quædam euulgauit: Vtpote Miscellaneorum libros Tres, qui di- uersos continent Tractatus XXX. Itē, Consyderationem de con- cordiæ tractatu, contra duo scripta Lutheranorum. Item, Velita- tionē contra Quatuor cōiecturas Andræ Osiandri, de fine mun- di. Item, Replicam in Musculi Anticochlæum, de sacerdotio & sa- crificio nouæ legis, & in Antibolen Bullingeri, atq; in quædam scripta Bucerii. Item, in Nycticoracem noui Euangelij &c. Colo- nienses quoq; strenue contra sui Archiepiscopi nouam & impiam Reformationem, & publicis actionibus institerunt, & æditis libris sana Ecclesiæ dogmata omni probationum genere confirmarunt. Inter quos sane insigniter emicuit Defensio iudicij Vniuersitatis & Cleri Colonien- sis, contra Melanchtonis, Bucerii, & Oldendorpij calumnias, à R. Patre, Euerhardo Billick Carmelita, Sacræ Theo- logiæ Doctore, & Prouinciali Germaniæ Inferioris, ædita. Et eo- dem anno rursus ad Tridentum indixit summus Pontifex Gene- rale Concilium, cui præfecit Tres Cardinales Legatos, uirtute ac eruditione excellentissimos. Quorū opera consulatur Ecclesiæ, & cōtra hæreses usq; adeo impias uariasq;, & contra corruptos mores & abusus Ecclesiasticorum.

Acta

*Acta & scripta Lutheri, Anno Domini  
M. D. XLVI.*



Colloquium de religione à Cæsare in Conuentu superiore Vuormaciæ habito, ad festum S. Andrææ indictū, & ab eodem postea ad XIII. diem Decembris ex certis causis per literas prorogatur: propter tardiores eorum, qui ad Colloquium deputati fuerunt, aduentum, non potuit inchoari Ratisponæ ante XXVII. diem Ianuarij. Nam ij, qui ab Electore Saxonix ad Colloquium missi sunt, Doctor Laurentius Zoch, ut auditor, & D. Georgius Maier, ut Collocutor, aduenerunt primum die XXI. Ianuarij, cum cæteri ex utraq; parte iam pridem comparuissent, & Melanctonem (qui nominatim pro Collocutore fuerat Cæsari per literas indicatus) tot diebus frustra expectassent: Quandoquidem pro eo substitutus ab Electore prædicto fuit D. Maier. Die igitur 27. Ianuarij, Domini Præsidentes, post sollemniter celebratam ritu Catholico in Cathedrali Ecclesia Missam, in Prætorio cum utriusq; partis Collocutoribus & Auditoribus conuenerunt, factoque confessa Cæsareæ Maiestatis, Commissiones sibi factas exhibuerunt, ac recitari fecerunt utriq; parti. Modum insuper procedendi, à Cæsare præscriptum, utriq; parti in scriptis tradiderunt. Verum, cum Lutherani suspiciosius uarijs causationibus & exceptionibus re protraherent, atq; Colloquium inire nollent, nisi proprios permitterentur habere Notarios: effecerunt, ut Quinto tandem die Februarij primum, à Catholicis Collocutoribus materia de articulo iustificationis, iuxta præscriptam à Cæsare formulam, proponi potuerit. Die autem sequenti Lutherani, antequam ad materiam propositam responderent, prolixo apparatu præfati ac protestati, & extra propositum querelis et excusationibus uagatim scriptis, recitationibus, ac dictationibus extraxerunt, usq; in diem XII. Februarij, antequam Catholicis daretur locus aut copia respondendi. Deinde die XVII. Feb. rursus Lutheranis concessa dicendi facultate, res iterum extracta est partim dictationibus & scriptis, partim familiari colloquendi uice ac disceptatione uerbali, usq; ad 24. diem Februarij, qui erat festus Mathix Apostoli ueneratione. Interea Cæsar à Domini Præsidentibus consultus, & de modo procedendi (qui Lutheranos per uicacia & importunitate à præscripto aliquantulum mutatus erat) certior factus, nouam eis super quibusdam dubijs cõmissionem misit, & utriq; parti literas Credentiales, ut de sua

Colloquium  
Ratisponense  
secundum.

uoluntate & mandato Præsidentibus crederent, & R. D. Iulium Pflug, Electum et Confirmatum Numbergensem, pro Tertio Præsidente reciperent. Quæ die 26. Februarij publicata utriq; parti, à Catholicis quidem obediēter acceptata sunt, à Lutheranis autem per uarias ambages & excusationes recusata. Quæ saneres inter Præsidentes & Lutheranos, uarijs tractationibus diebus aliquot agitata, non potuit ad consensum perducī, eo quod Præsidentibus non liceret egredi aut recedere à præscripta Cæsaris cōmissione. Lutherani autem à conditionibus & limitationibus, quas contra Cæs. cōmissionem afferebant, nolent recedere. Coacti sunt igitur Lutheranorum peruicacia Domini Præsidentes, ijsce de rebus iterum scribere ac referre ad Cæs. Maiestatem (quæ iam iter ingressa erat è terris inferioribus uersus Ratisponam) ut scirent inde, quid Lutheranæ parti, tam obstinate contra cōmissionem excipienti, permittere aut concedere deberent. Lutherani autem, antequam à Cæsare adueniret Rescriptum, contra Præsidentium uoluntatem, die 20. & 21. Martij (quæ erat Dominica Reminiscere) subito præter omnium opinionem, insolita festinatione, tantum non furtiue, discesserunt, & sua contumacia omnem Colloquij fructum præpedierunt, atq; concordie spem præciderunt. Id quod optimis quibusq; qui pacis & concordie desiderio tenebantur, displicuit, & Cæsar ipse permolestè tulit. Nam ubi Ratisponam peruenit, Die X. Aprilis, & per paucos ad indictum Imperij Conuentum Principes & Status personaliter præsentēs reperisset: nouum ad singulos misit mandatū, ut omnes absq; ulteriori procrastinatione aduenirent. Datum Ratisponæ XXII. die Aprilis. In quo inter cætera sic ait. Cæterum, cum auditores & colloquentes, qui Augustanæ confessioni adhaerentium nomine, in proximo Colloquio, ad dispares religionis articulos conciliandos, uocati & ordinati fuere, nuperrime ante nostrum aduentum, nobis inscjs, etiam (ut ex alijs accepimus) nostrorum ad id deputatorum Præsidentium, eorū abitus ratione, deliberatione habita, ab ipsis neglecta, citra omnem necessariam & legitimam causam (quod forte neminem clam habet) inexpectata festinatione terga dederint: Quorum recessus culpa, actus nunc totius Colloquij silet & iacet: Denuo in hoc necessitas requirit uestrum etiam consilium. Quare sic præmeditatis & bene instructis omnibus obsequijs nobis deesse minime uelitis. Et tantum de Colloquio. Cæterum per triste aduenit inter colloquendum Lutheranis nunciū, de obitu sui patris (ut eum uocant) Lutheri. Qui è Vuittenberga Islebiū profectus, ut tractatui sæculari in causis prophanis discordiæ, quæ inter Comites à Mansfelt

Fugitiua  
Lutherano  
rum abitus.

Verba Cæsaris in mandato ad Principes & Status.

Interitus  
Lutheri.

Mansfelt erat, interesset, eò quod sub illis Dominis Islebñ natus esset: Die XVII. Februarij peracta in publico cum alijs cœna, eaq; largiter sumpta, & facetijs hilariter extracta, eadem nocte interiit. De cuius obitu multi multa scribunt. Aliter narrant & scribunt ex vicinis locis Catholici: aliter loquuntur & scribunt Lutherani.

Multos enim agminatim emittunt Germanice libellos, ad persuadendũ cunctis, quàm sancte mortuus sit ille sanctissimus (ut aiunt) omnium eorum pater. Circumferuntur precipue Trium Collegarum eius scripta, Ionæ Coci, qui falso seipsum Iustũ uocitat, Phil. Melanchtonis, et Ioan. Pomerani: Qui cum illo in librorũ Vuitenbergensium frontispicio, Quatuor primæ paginae angulos, uelut Quatuor Euangelistæ noui, occupare solent. Ionas interfuit præsens morti illius nocturnæ, subitanæ, & improuisæ: scripsit epistolam confestim eadem nocte, qua ille interiit, ad Electorem Saxonix, ac funebris postea pompæ contexuit historiã. Alij Duo funebres habuere cõciones. Pomeranus Germanicã ad populum: Latinam (quæ mox à Crucigero in Germanicam uersa ac ædita est) Melanchton ad scholasticos: Laudis & complorationis plena sunt omnia. Vellent libenter omnibus persuadere, quod mortem ille non gustauerit, sed uelut Enoch, aut Helias, aut Ioannes Euangelista, sine morte translatus sit. Allegant enim illud uerbũ Christi Ioan. 8. cap. Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit (aut uidebit) mortem in æternum. Quod dicunt illum paucis ante exitum suum diebus, manu propria Germanice scripsisse in libro quodam hospitis sui, atq; in hunc sensum exposuisse, Si quis serio uerbum Dei meditetur in corde, ei credens, & super hoc obdormiat aut moriatur: is transit hinc, antequam mortem prospiciat aut sentiat. Huic autem eorum impudentiæ obstat mortui cadauer, idq; foetidissimum, quod multorum oculi palam uiderunt in terram sepeliri: Quod de corpore Enoch, Helix, aut Ioannis, uerè affirmare non possunt. Si quis ergo historiã istam, quam Germanice scripsit Ionas, pressius aut propius inspiciat, facile intelliget, omnia referri ad uanam gloriam & sæcularem pompam in funere, & ad carnis delicias mundicq; honores in uita. Et ea omnia longè abfuisse ab instituto uerorum Christi discipulorum. Quis enim sanctorum sic iter fecit pompatica ostentatione, uelut Triumphali curru uectus, cum tribus filijs, damnato & incesto coitu ex Monacho & Moniali conceptis ac procreatis: sicut fecit hic Lutherus: Aut quæ erat eius Dignitas aut nobilitas, ut à tot Generosis Comitibus de Mansfelt missis, illi obuiam Centum & XIII. equitibus in confinio honoris causa exciperetur: Aut quo Maiorũ

Varij de eius obitu libelli.

Qualis mors Lut.

Historia Ionæ de exitu et funere Luth.

Quales  
Lutheri ad  
Deum pre-  
ces.

aut Apostolorum exemplo, ipse hæreticus notorius, & ab utraq[ue] potestate suprema legitimo iuris ordine damnatus, atq[ue] in Episcopum nunquã electus aut ordinatus, nouo ritu, à sese friuole excogitato, ordinauit & consecrauit (ut ait Ionas in ista historia sua) Islebh̄ Duos presbyteros, ipse neq[ue] Missam celebrans, neq[ue] cum alijs tunc communicans? Quid uero sanctitatis aut miraculi hoc habet, quod omni uespere post coenam, opipare paratam & largiter acceptam, distento cibus & potu uentre, in habitaculo suo per fenestram prospiciens, aliquantulum orauit, interdum tam serio ac sedulo (sicut recitat historia) ut circumstantes, dum taciti adessent, quædam eius uerba admirabundi perceperint; cum nihil dicatur ibi uel de horis Canonicis (ad quas dicendas utiq[ue] ut Monachus professus, & presbyter olim rite ordinatus, de iure obligatus erat) uel de alijs ab eo interdiu factis (si quas modo fecit) orationibus? O sanctitatem miraculosam, & apud Christianos nunquam prius auditam, quod nouus Saxonix Apostolus, tota die sæcularibus intentus negocijs, prandijq[ue] & coenæ crapula oneratus, omisis totius diei horis Canonicis, paululum, antequam cubitum iret, in fenestræ prospectu orasse depræhensus est: cuius hæresi ac scelere tot per omnē fere Saxoniam, Pomeraniam, Daniam, Sueciam, & Noruegiam, Monasteria, & Collegiatae Ecclesiae atq[ue] etiam Cathedralæ (non solum omisis, sed etiam publica uiolentia prohibitis & interdictis, Missis & horis Canonicis) desolantur, & à Dei laudibus obmutescunt die noctuq[ue], et ab omni cultu solennitateq[ue] ueteri cessant. Quid uero illud, quod ab ipsis rogatus Comitibus, ut ante prandium à prophanis causarum tractationibus abstineret ac quiesceret, in prandijs tamen et coenis eorum, in suo (uelut proprio et insigniori) sedili semper accubuit? Scilicet oportuit eum custodire illud uerbū Christi. Amant primos recubitus in coenis. Non autem in coenis tantummodo, sed etiam in prandijs: à quibus pleriq[ue] sanctorum patrum & Monachorum perpetuo, exceptis Dominicis & festis diebus, abstinerunt. Quid item egregium (ut iactitat Ionas) istud eius Apophthegma. Nos senes ideo tam diu uiuere oportet, ut in Diaboli posteriora respiciamus, ac tot mala, infidelitates, miseriaeq[ue] mundi experientes, testes simus, Diabolum tam malum spiritum fuisse: Item. Genus humanum est sicut ouile ouium occisionis. Item illud, quod in historia omissum, in Ionæ ad Electorem Saxonix epistola maiusculis insertum est literis, Solitarium esse, non affert lætitiā. Quasi uero Monachis à Paulo dictum non sit, Gaudete in Domino semper, iterum dico Gaudete, Aut quasi non ad uitam & salutem, sed ad occisionem & perditionem

Primus re-  
cubitus in  
coenis.

Qualia A-  
pophtheg-  
mata Lut.

perditionem à Deo creatum sit genus humanum: Aut falso dixerit Apostolus. Deus uult omnes homines saluos fieri: Aut quasi non fuerit senior Luthero Moyses, quando dixit ei Deus. Videbis posteriora mea, faciem autem meam uidere non poteris. Ad Dei igitur potius, quam ad Diaboli posteriora, respiciendum est senibus. Quid deniq; dicamus de ultima Lutheri oratione, quam historia maiusculis literis notatam recitat: O mi pater (inquit) celestis, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Deus totius consolationis, Gratias ago tibi, quod mihi dilectum filium tuum Iesum Christum reuelasti, in quem credo, quem prædicaui & confessus sum, quem amaui et laudaui: Quem abominabilis Papa & omnes impij uituperant, persequuntur & blasphemant &c. Interroget hic Ionas patres, excutiat uel diligentissime omnes scripturarū, legum & Canonū, Conciliorumq; angulos, an apud ullum Christianum inuenire queat talē morituri orationē, in qua quispiam ita sese iactitet: ita præ se cunctos, qui sub Papa Christum coluerunt, contemnat & incuset: ita insectetur & calumnietur Ecclesie Pastorem, summū Pontificem. An non potius credendum est, Christum iudicem mox post hæc uerba eius, in ipso exitu raptæ iam de corpore animulæ eius dixisse. De ore tuo iudico te serue nequam: Quia tu ipse antea dixisti & scripsisti, te audire in Papa uocem Christi, in eo loquentis & præsentis. Item Anathema sit & maledictus, qui contra ueritatem Apostolicarum ueniarum loquitur. Item fateor, sub Papatu plurimum esse boni Christianorum, immo omne bonum Christianum: Et sub Papa esse ueram Christianitatem, atq; adeo uerum nucleum Christianitatis. Quid igitur spei de salute potest esse homini sic indurato, & in finem usq; contra charitatem in hæresi, schismate, ac rebellionē, odioq; contra Papam perpetuo persistenti, ac pertinacem & obstinatam animam efflanti: ludicat enim eum non solū Christi, Pauli, Cypriani, Augustini, et similium sententia multipliciter attestata: sed etiam sermo ipsius & oris proprii iudicium. Stulte igitur ac impie laudat eum de hac oratione Ionas. Quemadmodum & Pomeranus, in fine funebris ad populum orationis sue, cacatam iactitat stulte illius prophetiam, hoc carmine.

*Pestis eram uiuus, moriens tua mors ero Papa.*

Non enim tam Papæ, quam Germaniæ, & innumeris animabus pestis fuit uiuus: mortuus quoq; nemini magis quam ihs, qui ei credunt, pestis et exitiū erit: & ipse iam procul dubio scit et experitur, quam læua fuerit sibi metipso pestis, & uiuus & moriens. Quod si

D d iij moriens

Ad Phil. 4.

1. Timo. 2.

Exod. 33.

Ultima Oratione Lutheri.

Quale Christi in animā Lutheri iudicium. Luc. 19.

Cacata propheta Lutheri contra Papam.

moriens mors est summa Pontifici, ut uane gloriatur, Quid enim quæso, quod Elector Saxo. in Edicto suo, nuper 14. die Februarij per omnes terras suas promulgato, tam uehementer sibi suisque confederatis à Papæ practicis (ut ait) timet, & suos domi manere, atque in continuo armorum apparatu persistere iubet? Nunquid mortuus Papa tam magnopere timendus est? At uulgare est Itolorum pro uerbium. Homo mortuus non facit Guerram. Manet igitur Papa, & manebit usque ad consummationem sæculi: Hæretici uero uelut aqua dilabuntur, unus post alium. Vbi nunc sunt magni illi qui oppugnatores Papæ, Zuinglius, Oecolampadius, Carolstadius, Capito, Grynæus, Lutherus, & complures alij? Mors depascit eos nunc secunda usque in æternum: Papa & Sedes Apostolica, supra petram firmiter ædificata, perpetuo permanet. Quid uero prodesse potuit animæ Lutheri, ad tribunal Christi raptæ, uanis summa pompa funeris, quando cadauer eius stanneo inclusum loculo, circumlatum per diuersas Ecclesias, & longa seductorum ab eo populorum processione deductum atque comploratum, & splendido, tam equestri quam pedestri, agmine Vuittenbergam reuectum, uanis complorationibus sepulture traditum est? Imprudentius tamen stanneo, quam ferreo imposuerunt loculo cadauer, non attendentes exemplum & astutiam Sarracenorum, qui ferreum potius, quam stanneum fecerunt Mahumeto suo sepulchrum, quod in ære pendulum à Magnetibus teneri dicitur, in Mesquita Mechæ urbis Arabiæ: Magnes enim lapis, non stannum, sed ferrum attrahere, scribunt Physici, & experiuntur artifices. Quo denique exemplo Catherina Monialis, uxor Lutherina, post funeris curram, carpento uecta, in publica processione, se suosque tres ex Luthero filios, Ioannem, Martinum, Paulum (ut enumerat historia) spectandos præbuit? Nunquid tali modo deductum fuit funus olim B. Martini, aut S. Ambrosij, aut Diui Augustini? O miseros et excæcos homines, quos talium non pudet, qui tam cæcum habent & de rebus humanis, & de religione Christiana iudiciū. Vt autem improbis & impijs laudatoribus illis, qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Considerent autem pii, quid tantis prauæ intentionis laboribus, curisque ac studijs effecerit Lutherus, cuius rebelli ac seditiosa concitatione, tam multa hominum milia & corpore & anima in æternum perierunt, atque deinceps adhuc peribunt: & tota per eum Germania confusa & conturbata, omne decus pristinum, perturbato Imperio, amisit, et ad bella tum externa, tum ciuilia spectans, trepidat, à Generali ac pacifico Concilio abhorrens, & à Papa, à quo fidem Christi

Papa manet, hæretici ut aqua dilabuntur.

Quanta pompa in funere Lutheri.

Infelices & perniciosi labores Lutheri.

Christi suscepit: uelut ab Antichristo per scelerata Lutheri dogmata sibi timet. Stulta enim ista longè historia, refert hanc quoq; Lutheri morituri tam impiam quam ridiculam stultitiam, quod eadem nocte, qua periit, dixerit ipsi Ionæ & Cælio, alijsq; circumstantibus, Orate pro Domino nostro Deo & eius Euangelio, ut ei bene succedat: quia Concilium Tridenti, & abominabilis Papa, grauius ei aduersantur. Quis unquã audiuit, orandũ esse pro Domino nostro Deo? Sunt & aliq; complures in mendaci ac futili hac historia stultitiæ, quæ apud eruditos & cordatos uiros Lutheri famam magis denigrat, quam celebrant: sed hic breuitatis gratia omittuntur. Cochlæus autem pro asserenda & confirmanda contra quoslibet hereticos ueritate Catholice fidei, hoc quoq; anno nonnullos ædidi Latine libellos. Vnũ contra Lutheri articulos, quos Concilio proponendos esse censuit: Alterũ contra XVIII. articulos Buceri. Tertiũ cõtra præfationes & Annotationes Melächtonis. Quartum de Apostolicis Constitutionibus Epitomen Caroli Capellij &c. Cæsar deniq; ad celebrandum hic Ratisponæ more solito Conuentum Imperialem, post longam expectationem, presente iam Rege Ro. &c. fratre suo, & bona Principũ, tum Ecclesiasticorum tum sæcularium, parte personaliter comparente, heri (hoc est Quinta die Iunij, Sabbato post festum Ascensionis Domini) celebrata solenniter in Cathedrali Ecclesia Missa, presens tibus cum Maiestate sua, Rege, cæterisque Principibus, & Statibus Imperij: post imploratum diuinum auxilium, publicam in Prætorio Propositionem super his, quæ hoc in Conuentu agenda sint, exhibuit, ac ea promulgatione Comitia ista foeliciter (ut speramus Deumq; precamur) inchoauit.

Stulta historia.

Libelli Cochlaei.

Inchoatio Conuentus Imp.

Hæc ex Actorum Lutheri Compendio, quod Ratisponæ, post dissolutum & fugacitabitione Lutheranorum desertum Colloquiũ nouissimum, scriptum est, hortatu & petitione R. D. Hieronymi VERALLI Archiepiscopi Rossanensis, Nunciij tunc Apostolici Apud Cæs. Maiestatem: Nunc uero Authoritate PAVLI III. summi Pontificis (exigẽtibus eius meritis) creati & coaptati in Cœtum & Collegium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Anno Domini M. D. XLIX.

*Excusum est hoc Opusculum Apud S. Victorem prope Moguntiam, per Franciscum Behem Typographum, Mense Septembri. M. D. XLIX.*



## AD LECTOREM.



Vanius multorum Lutheri opusculorum in Actis eius mentio sparsim facta sit: tamen non omnium commode fieri potuit commemoratio. Vt igitur habeas generalem per compendium opusculorum eius cognitionem, operæ precii fuerit, exhiberi tibi ipsius Indicem, quem ædidi anno Domini M.D. XXV III. In quo commemorat scripta sua nominatim & distincte, quotquot ædidi ab anno M.D. XV III. usq; ad annum M.D. XXVIII. inclusiue. Ex quo sane Indice conijcere licebit, quam grauis, durus, ferox, laboriosusq; ac uehemens sit iste Catholice Ecclesie Aduersarius, impugnator & hostis. Qui tot exantlatis scribendo laboribus non est defatigatus: Quin potius contentionibus tam multis ac diuturnis, maiores uidetur recepisse ad conuitiandum ac maledicendum uires. In plerisque enim scriptis, quæ post annum Domini M.D. XXVIII. permulta ædidi, multo amarulentiorē ferocioremq; sese exhibuit, quam fecerat antea: Quæ admodum ex Actis & scriptis eius unusquisq; intelligere potest. Cæterum Numeri, qui post recitatos libros cernuntur appositi, non librorum, sed annorum sunt. Ex quibus intelligi debeat, quoto anno unumquodq; opusculorum eius æditum fuerit, secundum minoris numeri annorum à Natiuitate Christi seriem.

INDEX

## INDEX LATINE SCRIPTORVM,

*Martini Lutheri.*

## SERMONES.

- D**E poenitentia.  
 De Indulgentijs.  
 De uirtute Excommunicationis.  
 Anno 19.  
 De Præparatione ad Eucharistiam.  
 De Triplici iustitia.  
 De duplici iustitia.

## LIBELLI.

- E**Xpositio Decem præceptorum. 18.  
 Ratio confitendi. 20.  
 De libertate Christiana ad Leonem X.  
 Tessara decas consolatoria.  
 De Captiuitate Babylonica Ecclesie.  
 De abroganda Missa priuata. (21.  
 De uotis Monasticis Propositiones.  
 Iudicium de uotis Monasticis.  
 De instituendis ministris Ecclesie ad Bohemos. 23.  
 Formula Missæ & Communionis.

## COMMENTARII.

- C**ommētarius in Epistolam ad Galatas, post recognitus. 20.  
 Enarrationes Epistolarum & Euangeliorum, per Dominicas Aduentus. 21.

- Operationes in XX. Psalmos.  
 Enarratio Psalmi XXI.  
 Annotationes in Deuteronomium Moysi. 25.

PRÆFATIUNCULÆ ET  
 Epistole aliorum scriptis præfixæ.

- E**pistola ad Vuolfgangum Capitonem.  
 Epistola in meditationem Sa uonorolæ.  
 Epistola ad Ionam, affixa Apologia contra Fabrum.  
 Epistola ad Briefsmannum, contra Schatzgeyrum.  
 Epistola præmissa mandatis duorum Episcoporum.  
 Epistola ad Heruagium, aduersus Bucerum.  
 Epistola quædam ad Carolum Sabaudie Ducem.  
 Octonarius Dauidis uersus.  
 Præfatio in commentarium suum per Apocalypsim.

## APOLOGETICA.

- R**esolutiones Propositionum de Indulgentijs. 18.  
 Responsio ad Syluestrum Prælatum.  
 Acta Augustæ in Comitijs.  
 Disputatio Lypsica excepta a Notarijs. 19.  
 Resolutio propositionum Lypsie disputatarum.  
 Resolutio

- Resolutio propositionis Tertix  
Decimæ, de potestate Papæ.  
Apologia super quadam Eckia  
na purgatione.  
Aduersus malignum Eckij iudi  
cium.  
Ad Agocerotem Emseri.  
Ad schedulam inhibitionis Epi  
scopi Misnensis. 20.  
In Epitomen Syluestri.  
Responsio ad cōdemnationem  
Colonienſium, et Louanien  
ſium.  
Apellatio repetita & renouata.  
Aduersus execrabilem Bullam  
Antichristi.  
Assertio Articulorum damna  
torum.
- Responsum Cæsari Vuorma  
ciæ. 21.  
Aduersus Ambrosium Catha  
rinum responsio, cum uisio  
ne Danielis.  
Confutatio Rationis Latomia  
næ.  
Aduersus Henricū Regem Ang  
liæ. 22.  
Aduersus falso nominatum or  
dinem Episcoporum.  
Aduersus Cochlæum. 23.  
De seruo arbitrio ad Erasmus.  
(26.  
Propositiones de Digamia Epi  
scoporum. 28.

## INDEX TEVTHONICE SCRIPTO-

rum, Martini Luthert.

## EXPOSITIONES.

- O**rationis, Dominicæ, Pa  
ter noster, pro Laicis. 18.  
Septem Psalmorum Pœnitent  
tialium Anno 19, quæ postea  
correcta est anno 25.  
Psalmi Centesimi Noni, Dixit  
Dominus Domino meo.  
Psalmi LXXVII. De ascensione  
Domini. 21.  
Psalmi XXXVI, ad Vuitten  
bergenſes.  
Cantici Mariæ, Magnificat.  
Euangelij de Decem leprosis.  
Euangeliorum & Epistolarum  
Aduentus.  
Item à Natiuitate Christi, usq;  
ad Epiphaniam.
- Septimi capitis Primæ ad Cor  
inthios. 23.  
Psalmi Centesimi Viceſimi ſes  
ptimi Ad Liuonienſes. 24.  
Postillæ ab Epiphania, usq;  
Pascha. 25.  
Ionæ Prophetæ. 26.  
Habacuc Prophetæ.  
Epistolę Natiuitatis Christi Eſa  
iæ. IX.  
Quatuor Psalmorum consola  
toriorum, ad Reginam Vn  
gariæ. 27.  
Zachariæ Prophetæ.
- SERMONES.  
**D**E Indulgentijs, cum con  
futatione Tetzellij. 18.  
De

De præparatione ad Sacramen-  
tum,

De statu Coniugali. 19.  
Sermo in Disputatione Lypsi-  
ca.

De oratione ac diebus Rogat-  
ionum.

De Sacramento Pœnitentiæ.

De Sacramento Baptismi.

De Venerabili Sacramento al-  
taris.

De Excommunicatione. 20.

De meditatione Pafsionis Chri-  
sti.

De præparatione ad mortem.

De digna sumptione Sacramen-  
ti. 21.

De sancto Ioanne Baptista. 22.

De iniquo Mamnone.

De Diuite & Lazaro.

LIBRI DOCTRINALES, ET  
admonitorij.

DE bonis operibus. 20.  
De nouo Testamento.

De libertate Christiana.

Informatio Consitentium super  
libris uetitis. 21.

De confessione cum expositione  
Psalmi CXVIII.

De utraq; specie, alijsq; innoua-  
tionibus. 22.

De hominũ doctrinis uitandis.

De uita Coniugali.

De abusu Missæ.

De seculari potestate. 23.

Orationale, postea emēdatum.

Liber Baptismalis.

Causa, propter quam Virgines  
possunt pie Monasteria de-  
serere.

Quod Iesus Christus sit Iudæus  
natus.

De ordinatione cultus diuini in  
genere.

Christianæ Communitati pote-  
statem esse iudicandi doctri-  
nas, & instituendi ministros.

Institutio Cistæ Communis.

Epistola super hac quaestione,  
An quispiam, sine fide mor-  
tuus, saluari queat.

Quod parentes non debent li-  
beros suos ad Matrimonium,  
uel cogere uel impedire. 24.

De Negotiationibus & usuris.

De Missis Teuthonicis, & cultu  
diuino. 26.

An milites queant esse in statu  
salutis.

An propter pestem fugiendum  
sit. 27.

EXHORTATIONES.

AD Nobilitatem Germanis  
cam, pro Reformatione  
Christianæ religionis & sta-  
tuum. 20.

Epistola ad Papam Leonem X.  
cum libello de libertate Chri-  
stiana.

Epist. ad Status Imperij Vuora-  
maciæ. 21.

Exhortatio ad præcauendas se-  
ditiones.

Epistola seu Informatio ad Er-  
phordiensis de sanctis.

Interpretatio monstrorum, Vi-  
tuli Monachalis, et Asini Pa-  
palis. 22.

Epistola ad Ianũ à Schleynitz,  
in

in causa Matrimoniali.  
 Epistola ad Tres Virgines, pro  
 pter Euangelium relegatas.  
 Ad Christianos in Hollandia  
 & Brabantia.  
 Ad Christianos in Liuania. 23.  
 Ad Dominos Teuthonici Ors  
 dinis, ut Matrimonium ineant.  
 Epistola Consolatoria ad Au  
 gustenses.  
 Ad Comites de Mansfeldia,  
 quomodo Deus Monialē quā  
 dam eripuerit è Monasterio.  
 Epistola Consolatoria ad Mil  
 tenbergenses, cū expositione  
 Psalmi. CXIX.  
 Ad ciuitates Germaniæ de scho  
 lis Christianis. 24.  
 Epistola ad Duces Saxonie, De  
 spiritu seditioso.  
 Epistola ad Argentinenses, De  
 spiritu Suermerico.  
 De fratre Henrico in Ditmaria  
 combusto, cum expositione  
 Psalmi Noni. 25.  
 Exhortatio pro pace, ad Agri  
 colas.  
 Terribile factum atq; iudicium,  
 super Thomā Muncerum.  
 Ad Præceptorem Liechten  
 bergensem, ut se in statum  
 conjugalem recipiat.  
 Exhortatio ad Liuanenses, de  
 cultu Dei externo.  
 Epistola ad Christianos Antu  
 erpiæ.  
 Epistola Consolatoria ad Hal  
 lenses, super interitu eorum  
 Concionatoris. 27.  
 De obitu Leonardi Keyseri fœ  
 lix historia.

LIBRI IN TEVTHONICVM  
 translati per Martinum Lutherum.

**N**ouum Testamentum pri  
 mo editum, anno 21.  
 Quinq; libri Moyfi.  
 Historiæ Iosue, Iudicum, Regū,  
 Chronica, Esra.  
 Iob, Psalterium, Solomo.

PRÆFATIONES IN LIBELLOS  
 quosdam aliorum et Epistole.

**P**ræfatio super Nouum Tes  
 tamentum.  
 Præfatio in Epistolam Pauli, ad  
 Romanos, & in alias subse  
 quentes.  
 In Quinq; libros Moyfi.  
 In Psalterium, Iob, & Solomo  
 nis libros.  
 In descriptionem cōcordiæ cum  
 Agricolis.  
 In Carolstadij excusationem ac  
 declarationem.  
 In libellum Syngramma dictū,  
 Concionatorum in Sueuia.  
 In Visionem fratris Nicolai,  
 apud Heluetios.  
 In Papatum cum membris suis.  
 De nequitia mendicorum.  
 In ordinationem Visitatorum.  
 Libelli Canticorum.

EPISTOLÆ.

**A**D Eslingenses.  
 Ad Dominū Vuolfgan  
 gum à Salhusen.  
 Ad Communitatem Vuorma  
 ciensem.  
 Ad Reutlingenses.

Ad

Ad Dominum Bartholomeum á Starrenberg.	Aduersus falso nominatum sta- tum spiritualem. 22.
Ad Ducem Georgium.	Responsio in librum Regis An- glia.
LIBRI CONTENTIOSI.	In Breue Apostolicum Adria- ni Papæ. 23.
<b>L</b> ibertas sermonis de Indul- gentijs. 18.	Contra peruersores & deprava- tores Cæsarei mandati.
Declaratio in sermonem de Sa- cramento altaris. 19.	Contra cæcam & insanam con- demnationem Vniuersita- tis Ingolstadiensis.
In Schedulam Officialis Stol- penſis. 20.	Contra nouum Idolum, Misnæ eleuatum. 24.
Beneuola exhibitio.	Duo discordia & cõtraria man- data.
Appellatio renouata.	Manifestatio Antichristi.
Aduersus Bullam Antichristi.	Aduersus coelestes prophetas prima & secunda pars.
De Eckianis Bullis & menda- cijs.	Epistola de duro libello contra Rusticos. 25.
Fundamentum & ratio omniũ articulorum, per Romanam Bullam damnatorum. 21.	De abominatione Canonis Missæ.
Cur combusti sint libri Papæ.	In titulum Calumniosi scripti Regis Angliæ. 27.
In Caprum Lypſensem.	Quod uerba Christi de Sacra- mento, firmiter stent contra Suermeros.
In Responsum Capri.	De Anabaptismo. 28.
In superexcellentem librum Ca- pri Emseri.	De Coena Christi Confessio.
Responsum corã Cæsarea Maie- state Vuormaciæ.	
Reuocatio ad Caprum Emse- rum.	
Apologia contra Theologos Parisienses.	
De Coena Domini, De coena uoratrice cum Psalmo Decis- mo.	

SEQVENTES SERMONES, ET ENAR-  
*rationes Vutttembergæ Impressæ.*

Prima Epistola Petri.  
Secunda Epistola Petri, & una Iudæ.

Ec Pars

Pars Æstiuæ Postillæ super Euangelia.  
 Postilla Euangeliorum, in festis præcipuis.  
 Expositio Cantici, Benedictus.  
 In primum librum Moyfi.  
 Decem Præcepta Exod. 20. exposita.  
 Quomodo legendi sint libri Moyfi.  
 Expositio Psalmi CXII. Beatus uir.  
 Epistola Hieremiæ, de regno Christi.  
 Sermo de fine regni Iudaici & mundi, Matth. 24.  
 In Euangelium Matth. XI. Confiteor tibi pater &c.  
 De uirtute Ascensionis Christi in cœlum.  
 De mandato maximo, Matth. 22.  
 De summa principali, ac uero usu legis 1. Timo. 1.  
 De robore & augmento fidei, Ephes. 3.  
 Sermo de funere Electoris Principis.  
 Super XV. & XVI. Capita Actorum.  
 Sermo de Sacramento contra Suermericos spiritus.

FINIS REGISTRI, ADITI ANNO  
 M. D. XXVIII.

CAROLI

# CAROLI QVINTI ROMANORVM IMPERATORIS, SEM-

*per Augusti, Edictum, contra Nouatores Orthodoxæ &  
Catholicæ Religionis.*



**C**AROLVS Quintus, diuina fauente Clemen-  
tia electus Romanorum Imperator, semper Au-  
gustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusq; Sici-  
liæ, Hierusalem, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiae,  
&c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ,  
Brabantia, Styriæ, Charinthiæ, Carniolg; Comes  
Habsburgi, Flandriæ, & Tyrolis &c. Vniuersis & singulis sacri  
Romani Imperij Electoribus, alijsq; Principibus, tã Ecclesiasticis  
quã Secularibus: Archiepiscopis, Episcopis, Prælatibus, Ducibus,  
Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus,  
Clientibus, Præfectis, Præsilibus, Iudicibus, Scultetis, Burgima-  
gistris, Consulibus, Scabinis: Ciuitatum, Oppidorum, Villarum,  
Terrarum, & quorumuis aliorum locorum Communitatibus:  
necnon Vniuersitatum Studiorum siue Gymnasiorum Rectori-  
bus, & locum tenentibus, seu Officialibus eorundem, ac cæteris  
quibuscunq; nobis, tam iure sacri Imperij quam hæreditario, aut  
alio quocunq; modo subiectis: & fidelibus dilectis, cuiuscunq;  
status, gradus, aut conditionis sint, & ad quos præsentibus, uel ea-  
rundem exemplum, nostro, uel alicuius Prælati Ecclesiastici sigillo,  
siue etiam publici Notarij manus subscriptione, communitum  
peruenerit, gratiam Cæsaream, & omne bonum.

Consydera  
pie Lector,  
ex uerbis  
Pauli Ro.  
13. quanta  
per tot an-  
nos subse-  
cuta sit ani-  
marum per-  
ditio, quæ  
huic Edi-  
cto parere  
neglexerūt.

Ad ueri Romanorum Imperatoris officium pertinet, non solum  
fines huius sacri Imperij: quod prædecessores nostri, Germaniæ  
Principes, ob defensionem sanctæ Romanæ & Vniuersalis Eccle-  
siæ, suo suorumq; sæpius effuso sanguine, per diuinam gratiam, sibi  
quæserunt, ad Orthodoxam uiam adductis, uel expulsis infidelis-  
bus, propagare: Verumetiam, ne qua hæreseos labes aut suspitio,  
in iam sibi subditis Nationibus sacrosanctã Religionem nostram  
commaculet, summo studio prouidere: At si qua iam oriri coepe-  
rit, eam omni ope, omniq; cura, iuxta Normam, à Sancta Ro-  
mana Ecclesia hætenus obseruatam, delere penitus & extinguere.  
Quod si quis alius e Maioribus nostris, tanto nos magis præstare  
debemus, quanto Dei Opt. Maximi immensa benignitas Nobis

Officium  
Ro. Impe-  
ratoris &  
Germaniæ  
Principū.

Maior Cas-  
roli V. quæ  
aliorum an-  
tea Impera-  
torū ad hie-  
dem obli-  
gatio.

E e ij plura



plura Regna & Dominia, pluresq; & magis bellicosos populos, maioresq; vires, quam iam multis seculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus, ad suæ sanctæ fidei tutelam & incrementum, elargiri dignata est. Accedit, quod quum ex paterno genere, è Christianissimis Imperatoribus & Archiducibus Austria, Ducibusq; Burgundiæ: Ex materno uero, Catholicis, Hispaniarum, Sicilia, & Hierusalem Regibus, simus orti: quorum omnium, pro fide Christiana, res præclare gestas, nulla unquam delebit obliuio: Non sine graui conscientia nostræ onere, & perpetua nominis nota, quadamq; ueluti nebula, foelicibus ineuntis Principatus nostri auspicijs offusa, factum crederetur, si, quæ iam ab hinc trienniũ pullulare in Germania cœperunt, nouas quasdam hæreses, immo uerius iam sæpe olim per Concilia, & summorum Pontificum decreta, approbante Ecclesia, damnatas, & nunc denuo, ueluti ab Inferis erutas, altiores iacere radices, ulla nostra negligentia passis esse uideamur.

**Lutherus à Leone X. Pont. & à Carolo V. Imp. hæreses notatus.**

Sane, uestrum neminem ignorare existimamus, quibus erroribus & hæresibus, ab Orthodoxa fide longe alienis, quidam frater Martinus Lutherus, Ordinis S. Augustini, Religionem Christianam, in hac præsertim Inclyta Germanica Natione, omnis infidelitatis & hæresum perpetua oppugnatrice ita inficere conetur, ut nisi maturè occurratur, tota hæc Natio, & deinde serpente contagione uniuersa Christiana Respublica, in abominandum schisma, & bonorum morum pacisq; ac tandem detestandam sui perniciem, prolapsura uideatur. Quapropter, non immerito commotus Sanctissimus in Christo Pater, Dominus Leo X. Sacrosanctæ Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Summus Pontifex ad quem fidem Catholicam, & Ecclesiæ Sacramenta curare spectat, prædictum Martinum à principio clementer et paterne monuit, & hortatus est, ut à nephandis huiusmodi inceptis desisteret, et iam sparsos errores reuocaret. Quod cum ille neglexisset, & peiora semper prioribus adderet: idem Beatissimus Pater, ad opportuna, neq; tamen insueta remedia procedere statuit. Itaq; conuocatis sæpius Reuerendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Episcopis, ac alijs Prælati, necnon Regularium ordinum Prioribus seu Ministris generalibus, accersitisq; pluribus scientia & probitate præstantibus uiris, & in omni doctrinarum & linguarum genere eruditis, ac diuersarum Christianorum Nationum Doctoribus & Magistris: Prædicto tamen Martino prius uocato ac citato, ac in contumacia persistente, ipsius scripta, tam Alemanico quam Latino sermone ædita & ædenda, ut perniciofa, & fidei unitatiq; Ecclesiæ

**Processus iuris cōtra Luth.**

clesiae contraria, Authoritate sua Apostolica, praefatorumque ad hoc accedente Cardinalium consilio & assensu, ac Episcoporum & Praefatorum, Doctorumque & Magistrorum matura deliberatione, damnauit, & ubique locorum comburenda, prorsusque abolenda censuit & decreuit. Martinum uero ipsum, nisi infra certum expressum terminum, a publicatione Decreti sanctitatis suae, mutata sententia, se errores suos reuocasse, & ad poenitentiam rediisse, docuisset: ut inobedientiae & iniquitatis filium, ut schismaticum & hereticum ab omnibus euitandum, & pro ut iura postulant, puniendum declarauit, sub poenis & censuris, quae in Apostolicis literis, Bulla plumbea communitis, & super hac re aeditis, latius continentur. Quas ad Nos, utpote Christianae fidei uerum & supremum propugnatorem, & Sedis Apostolicae, sanctaeque Romanae & Vniuersalis Ecclesiae Primarium filium, & Aduocatum, per suum, & dictae Sedis spirituales Nuncium & Oratorem, honorabilem uirum nobis dilectum, Hieronymum Aleandrum, eiusdem Sedis Protonotarium, & Apostolicae Bibliothecae Praefectum, de data ad hoc opera, misit: petens atque requirens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis, in uniuerso primum Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum Principem decet) in caeteris etiam Regnis, Dominijs, & Prouincijs nostris, & praesertim in Germania, praestito in auxilium fidei Catholicae brachio seculari, omnia & singula in iam dictis literis Apostolicis contenta, inuiolabiliter obseruari, & executioni mandari iuberemus. Post quas quidem praedicto Martino factas a Summo Pontifice, Monitione, Vocatione, Citatione, & ipsius tandem Condemnationem, nec non presentatas Nobis eiusdem Beatissimi Patris literas, Bullaque Apostolicam, per uaria & diuersa loca Germaniae publicatam, & nostro iussu & mandato, non solum Louanij in Inferioribus Dominijs nostris: Verum & Coloniae, Treueris, Moguntiae, Leodij, executioni demandatam, tantum abfuit, ut idem Martinus resipisceret, errataque sua reuocaret, & petita absolutionis uenia, in gratiam cum Summo Pontifice & sancta Ecclesia redire procuraret, ut etiam detestabiliores peruersi ingenij sui fructus indies aederet, & perinde, ac in manifestam Ecclesiae perniciem, furens rueret, complures aceruatim libros, non modo nouarum, sed etiam a sacris Concilijs olim condemnatarum haeresum plenos: nec solum Latino, uerum etiam, ut facilius uulgus peruerteret, Alemanico sermone a se compositos, uel saltem suo nomine aeditos, ferè quotidie diuulgaret. In quibus (bone Deus) obseruatum ab Ecclesia iam tot saeculis, septem Sacramentorum numerum, ordinem, usum,

Aduocatus Ecclesiae Romanae Imperator.

Hier. Aleander Nuncius Apostolicus.

Executio contra libros Luth.

Maior inde contumacia Lutheri.

Et in dissipat,

dissipat, confundit, deturpat: inuolatas Matrimonij leges, miris  
 modis foedissime inficit: Extremam Vnctionem cum Vuiclepho  
 fictionem dicit: Communicandæ sacratissimæ Eucharistiæ ritum,  
 Luth. con. ad damnata Bohemorum reuocat instituta. At saluberrimam  
 tra Confes- sionem pec- catorum, catorum, contaminatis peccato mentibus Confessionem primum ita inuoluit,  
 ut confusionem eam è Confessione fecerit, mox etiam magna in  
 parte conuellit: postremo, adhuc peiora se de ea scripturum mina-  
 tur. Vnde nonnulli iam (ut accepimus, quod uel auditu est intole-  
 rabile) sumpta hinc occasione, de Confessionis instituto & modo  
 coeperint subdubitare. Alij mutilatam & truncam fecerint: Alij  
 uero (proh scelus) & confiteri ipsi destiterint, & nequaquam esse  
 Con- tra Or- dinem sacer- dotalem. ditandum publice asserere sint ausi. Porro sacerdotalem ordi-  
 nem, & per quod sacrosanctum Christi corpus sanguisq; confis-  
 citur, diuinum illud munus clauiumq; coelestium potestatem, non  
 solum uilissimi pendit Lutherus, & Laicis puerisq; atq; adeo fec-  
 minis ipsis, communia facit: sed & eisdem Laicos, ad lauandas sibi  
 in Sacerdotum sanguine manus, incitat. Ipsum uero summum no-  
 stræ Religionis Sacerdotem, diui Petri successorem, & uerum in  
 terris Christi Vicarium, non nisi infamibus & probrosis nominat  
 uerbis, & frequentissimis atq; inauditis Inuectiuis contumelijs, &  
 blasphemijs infectatur. Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed  
 omnia certa lege stare, ex Manichei quidem & Vuiclephi penu  
 depromit: Sed tanquam irrefragabili argumento Ethnicorum  
 Poëtarum carminibus confirmat. Missæ uenerabile Sacramentum  
 neq; defunctis, neq; uiuis alijs, quam soli celebranti suffragari scri-  
 bit. Ieiuniorum & Orationum institutionem, & consuetudinem,  
 ab Ecclesia obseruatam, inuertit & corrumpit. De Purgatorio, &  
 Animarum, quæ in eo expiantur, statu, deq; diuini sacrificij &  
 ueniarum suffragijs, quæ à nobis fideles defuncti expectant, cum  
 Vualdensibus & Vuiclephistis contra Ecclesiam sentit: De Eccle-  
 sia uero ipsa militante, cum Pelegianis & Husitis. At Sanctorum  
 Patrum authoritates & scripta, ab Ecclesia recepta, pro nihilo ha-  
 bet. Est ubi etiam sæpe deridet, debitumq; illis cultum & deuotio-  
 nem deterit & diminuit. Obedientiam, & Regimen omne prorsus  
 tollit. Vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis, tam spi-  
 ritualibus quam temporalibus Dominis faciendam, ad rapinas,  
 cædes, incendia, cum magno & manifesto Christianæ Reipublicæ  
 discrimine, prouocentur. Quinimmo, quum uitam quandam solutã,  
 licentiosam, atq; ab omni lege explicitam, & uere ferinam inducere  
 re conetur, ita exlex homo, leges ipsas omnes damnat & contem-  
 nit, ut Decreta sanctorum Patrum, & sacros Canones, publico igni  
 combure

comburere non formidauerit: facturus peiora Ciuili iuri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.

Iam uerò sacrosanctis Concilijs palam contradicere, & pro suo arbitratu detrahere, non erubescit. E quibus potissimum Constantiense illud, quod cum perpetua Inclytæ Germanicæ Nationis gloria, pacem & tranquillitatem disidenti Ecclesiæ dedit: ita ubiq; mordet, & impuro sceleratoq; ore lacerat, ut in magnum uniuersalis Ecclesiæ dedecus & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis opprobrium & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessime omnium errasse scribat: nunc Synagogam Sathanæ quæ in eo conuenerant, & Ioannem Husitam hæresiarcham comburi iusserant. Sigismundum utiq; scelicis recordationis Imperatorem, & Sacri Imperij Principes, Antichristum, & suos Apostolos, homicidasq; & Phariseos, uocet. Quid, quod damnata in eodem Concilio omnia Ioannis Husitæ errata, Euangelica & Christiana esse, & se recipere, probaturumq; profiteretur: Approbatos uero eiusdem Husitæ articulos, nequaquam admittit. In tantamq; prorupit mentis uæsaniam, ut si semel Ioannes Husita fuerit hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus gloriatur: homo usq; adeo nouarum rerum ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, uel saltem suo nomine diuulgauerit, cui non alia qua pestis, aliquis lethalis insit aculeus: præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamen titulo æditos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula uerba, singula uenena merito quis dicat. Et ne omnia, quæ innumerabilia sunt Lutheri errata, singulatim percenteantur, tanquam si hic unus, non homo, sed Diabolus ipse, sub hominis specie, ad perniciem humani generis, assumpta Moysi cuculla, quam plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, iamdiu sepultas, in unam sentinā congefferit, & aliquas etiam nouissime de suo excogitauerit, sub simulata prædicatione fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sepe, tantoq; opere obicit: Fidem ueram prorsus destruit, sub libertatis, quam promittit, specie: Diaboli iugum & seruitutem inducit, & sub Euangelicæ professionis nomine, omnem Euangelicam pacem & charitatem, omnemq; rerum ordinem, & pulcherrimam deniq; totius Ecclesiæ faciem inuertere, labefactare, & penitus pessundare molitur.

Quibus omnibus per Nos, & consilia nostra omnium Nationum nobis subditarum, sæpius & diligenter attentis & Consyderatis,

Ec iij ratis,

Lut. contra  
Concilium  
Constantiense.

Pestilens  
Luth.

Luth. non  
homo, sed  
Diabolus,  
sub specie  
hominis.

Edictum 332

Vuormacienſe, om- ratis, & præſertim in hac parte ab eodem Beatiffimo Patre requi-  
 nium & ſin ſiti: abſq; inſigni macula noſtra, atq; Orthodoxæ Religionis iniu-  
 gulorum ria & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam po-  
 Principum tuimus, ut etiam non debuimus, neq; uoluimus: Sed potius præ-  
 ac Statuum deceſſorum noſtrorum, Romanorum Imperatorum, ueſtigijs inſi-  
 Imp. conſ- ſtentes, eorumq; pro libertate Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ  
 ſenſu con- perpetuo laudabilia facta, acpias & ſanctas, ſuper puniendis &  
 ſtitutum, exterminandis hæreticis, conſtitutiones obſeruantes, conuocatis  
 ſæpius ad præſentiam noſtram, propter hoc præcipue, Electoribus:  
 necnon uniuerſis ſacri Romani Imperij Ordinibus & Statibus, in  
 hoc Vuormacienſi Conuentu congregatis, de eorum omnium  
 & ſingulorum unanimi conſilio, matura deliberatione & conſenſu,  
 in hanc tandem deuenimus ſententiam & conluſionem, Vt  
 ſententia & Conclu- quamuis hominem, ita à Summo Pontifice & Sede Apoſtolica  
 ſio Edicti. condemnatum, & in ſua obſtinata peruerſitate obduratum, atq;  
 ab uſu Catholicæ Eccleſiæ alienum, & Notorium hæreticum au-  
 dire, omni iure exceptum eſſet: tamen ad tollendam omnem cauſa  
 landi anſam (Idēq; quia nonnulli pleroſq; libros Martino aſcrip-  
 tos, ipſius eſſe apertiffime inſiciebantur) complures audiendum  
 à Nobis prius hominem, quam in eum ad executionem Pontificij  
 Decreti ulterius procederemus, aſſeuerabant, Martinum ſæpedit-  
 ctum, miſſo ad ipſum, dedita opera, uno è Caduceatoribus ſeu  
 Præconibus & Heraldis noſtris, ſub libero huc ueniendi &  
 hinc recedendi ſaluo conducto, accerſiri iuberemus: Quod & ſas-  
 ctum fuit. Non ut nos de hoc negotio iudicaremus, aut cognosce-  
 remus (quum id dubio procul ad Romanū Pontificem, & Sedem  
 Apoſtolicam pertineat) neq; ut res ſacroſanctæ fidei noſtræ, nunc  
 tandem, poſt tot ſæcula, per nouas altercationes, cum magno fide-  
 lium ſcandalo & perturbatione, ac infideliū deriſione, in contro-  
 uerſiam reuocari pateremur: Sed ut cum uulgi & plurimorum ita  
 petentiū ſatisfactione, hominis animū percontantes, cum bonis  
 monitionibus & ſuaſionibus, ad rectam ſemitam (ſi fieri poſſet) res-  
 duceremus. Itaq; Lutherū in noſtra, & ſacri Imperij Electorū,  
 Principum, Prelatorum, & Statuū, præſentia conſtitutū, iuxta for-  
 mam Imperialis mandati, ſuper hac re nuper æditi, interrogari  
 iuſſimus. Primum, Nunquid ipſe multos libros ſibi ob oculos ad-  
 ductos, & titulatim nominatos, & alios item, qui ſub ſuo nomine  
 circumferuntur, cōpoſuiſſet. Deinde, an ea, quæ in ipſis libris con-  
 tra ſacra Concilia, Decreta Patrū, ritus & conſuetudines, à noſtris  
 maioribus ad hunc uſq; præſentē diem obſeruatas, ſcripſerit: reuo-  
 care uellet, & ad ſinū & unitatē uniuerſalis Eccleſiæ redire, adhibitis  
 ad hoc

Euocatio  
 Luth. ſub  
 ſaluo con-  
 ductu.

Interroga-  
 tus Luth. in  
 publico cō-  
 ſeſſu Cæſ.  
 & Prin. Im-  
 perij.

ad hoc nostro & Imperij nomine admonitionibus & adhortationibus, quæ obstinatissimum hominem (etiam lapide duriores) emollire, & conuertere potuissent. Qui sane statim libros ipsos antedictos ut suos agnouit, & confessus est, & nunquam se id negaturum protestatus: Immo & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia, cum nobis non fuisset facta, idcirco in medium non fuerant allati. Quantum uero ad reuocationem attinet, terminum sibi ad respondendum dari petijt, qui quamuis merito negari potuisset, tum quia nouitates & errores in fide nulla sunt dilatione tractandi, sed statim penitus refecandi: Tū quia ex mandato nostro sibi legitime insinuato, necnon etiā literis, quas ad eū dederamus, optime admonitus, quam ob causam uocaretur, non nisi statim respondere paratus, ad tantum Imperialis Conuentus confessum uenire debuisset: Tamen ex nostra Clemētia & benignitate, unius adhuc diei terminum ad respondendum sibi dedimus. Quo elapso, rursus coram Nobis, & prædictis Ordinibus Imperij comparens, & similibus adhortationibus sapius, ut ad cor rediret, efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, si resipisceret, errores suos agnosceret, & quæ in suis libris damnata & mala essent, reuocaret: facile nos impetraturos, ut à Beatitudine Pontificis in gratiā benigne reciperetur, & adhibito fideli, æquo, & diligēti examine, ex ipsius libris, quæ mala scripserat, secernerentur: quæ uero bona, Authoritate Apostolica approbarentur. Sed ne uerbum quidem in suis libris mutaturum, imprudentibus simul & impudentibus uerbis, orisq; & corporis gestu, quoduis potius, quam religiosum aut sanum hominē præ se ferente, apertissime negauit. Quinimmo, in nostram & sacri Imperij faciem, Summorum Decreta Pontificum, & Concilia ipsa sacrosancta, errasse sapius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore, asseuerauit: seq; nihil ex his, quæ scripserat, reuocaturum, nisi euidenti sibi ratione, & sacræ scripturæ autoritatibus, ad suæ conscientiæ animiq; satisfactionem & assensum fuerit conuictus: Illud subinde repetens & inculcans (quo fraudum suarū uirus, iam multis detegi coeptū, occultaret) conscientia sibi illęsa & integra necq; uelle se, nec posse uerbum Dei immutare: Mala mens, malus animus. Quasi uero Nos id ab eo peteremus, ut uerbum Dei immutaret, ac non potius, ut iuxta uerbum Dei uerum, ad gremium sanctę matris Ecclesię, à qua tam impie quam turpiter defecerat, rediret. Cuius Authoritatē, quum tantā uoluerit esse Dominus, idēq; Deus noster Iesus Christus: Vt qui Ecclesiā non audierit, tanq; Ethnicus & Publicanus sit habendus. Idcirco non immerito uel eā solam omnibus inuentionibus, &

De reuocā  
do peij  
Luth. termi  
num deli  
berandi.

Proteruū  
responsū  
Lutheri de  
non reuo  
cādo.

Mala mens  
malus ani  
mus.

Matth. 18.

uafragmentis hereticorū longe anteferendam nemo nunquam, nisi perditissimus & uere hereticus, et Lutherus iudicauit, qui ut tandē egregia sua hic acta condigno sine clauderet, & quod pessime incoeperat, peius terminar, et quid animi habeat, et quā fidelium clade exultet, uel in nostro & sacri Imperij conspectu dissimulare non potuit. Nam detorta (ut hæreticis mos est) a uero sensu ad suam impietatem Euangelica illa sententia: Non ueni mittere pacem, sed gladium. Omnium sibi, dixit, iucundissimam istam in rebus faciem uideri, ob uerbum Dei, studia, & dissensiones fieri: Id est (quod utinam ne experientia uideremus) ob dissidentes ab Ecclesie ritum Lutheri opiniones, quas uerbi Dei falso titulo prætexit, uere studia contraria, & dissensiones, & dissidia, & schismata, & bella, & cædes, & rapinas, inter Christianos concitari. Tali igitur, & tam subdola, atq; hæreticis omnibus peculiari, responsione, Nobis, & sacro Imperio a Luthero data, etsi decreueramus, ipso statim remisso, ad ulteriora progredi (id quod ex sententia nostra, manu nostra scripta, et postera die publicata, nemini non cōstare potest) Tamen ad preces omnium Imperij Ordinum inclinati, adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus. Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes seculares, duosq; Ciuitatum nomine, Vniuersos Ordines, & Status sacri Romani Imperij representantes, & ad hoc communi omnium iussu & nomine deputati, uocato ad se Martino prædicto, nullum non admonendi & adhortandi eum, ut tandem resipisceret, & nisi id faceret, quæ ipsum a Nobis, & sacro Imperio, legumq; constitutionibus poenæ manerent, declarandi officium frustra insumpserunt. Vnus etiam eiusdem sacri Imperij Elector, adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientia præclaris, non solum adhortationibus: sed etiam multorum errorum euidentibus redargutionibus, ad ipsius usq; obmutescentiā factis, mox seorsim ipsum prudenter & humane cōmonefecit, ut ad Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ, Nostrumq; & sacri Imperij Statum, & cæterarum fidelium Nationum, sanam sententiam, iuxta continuatum tot sæculis Ecclesie ritum, potius, quam ad suam unius opinionem, respiceret. A qua si recedens, in ordinem redire uellet, id se primū nonnullorum sanctorum patrum, qui & ipsi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde saluis, anima, corpore, & honore, facturum cognosceret. Ad quæ Martinus antedictus, etsi uaria plæraq; & diuersa, cumq; eis, quæ scripserat, pugnantia: nihilo tamen meliora, aut saniora, priuatim respondit, quam publice, coram Nobis, & sacro Imperio, fecerat. Atq; adeo se, nō omnes modo supra memoratos, sed

Detortum  
ad dissidia  
uerbum  
Christi:  
Non ueni  
pacem  
mittere, sed  
gladium.

Admonitio,  
per  
Principes  
Imperij ha  
bita cū Lu  
thero.

Proteruū  
responsum  
Lut. contra  
Cōsiliū.

sed & Concilium ipsum generale (si quod fieret) suspectum habere protestatus est. Et (ut certissimo, & omni exceptione maiori, testimonio nobis constat) pollutissimo et sceleratissimo ore profari non est ueritus, res Euangelij & Catholicæ fidei, nunquam fuisse in Concilijs generalibus bene tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari subiret, cur nã a Summi Pontificis sententia, ad generale Concilium nuper prouocarit, quum tam impie de Concilijs ipsis loquatur & scribat, nisi manifeste sciremus, ut nihil est hæreticis equè formidabile, atq; œcumenicū Conciliū: ita nihil illis ipsdē magis proprium esse, quàm ut dictis factisq; & scriptis, secum ipsi dissideant. Quod si usquam alibi, præcipue in Lutheri libris (diuina prouidentia sic operante, quo ipsius uana ædificia per se ruant) passim legere & uidere est.

His omnibus & singulis, sic omnino, ut præmittitur, se habentibus, quum prædictus Martinus, tam peruerse & obstinate, in suis adeo manifeste hæreticis opinionibus persisteret, ut ab omnibus ijs, qui sapiūt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu, iudicaretur. Nos, iuxta tenorem salui conductus, ipsum statim a conspectu nostro missum fecimus, datoq; sibi in comitatu uno ex Heraldis nostris, & præscripto termino, a die uicesima quinta mensis Aprilis, qua ex Vuormacia discessit, ad uiginti deinde proxime futuros dies, quibus peractis, unã saluus conductus peractus & extinctus censeretur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas, huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum, procedere decreuimus.

Primum omnium, ad honorem Dei omnipotentis, Romanicq; Pontificis, & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, necnon zelo & studio, quo nostrorum maiorum more, & ingenita etiam Nobis ui, ad defensionem Catholicæ fidei, sanctæq; Romanæ & uniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes nostras uires et facultates, Imperium, Regna, Domina, amicos, uitã deniq; & animam ipsam nostram, exponere sumus parati. Ex Imperiali et Regia auctoritate, necnon consilio & assensu Electorum, & omnium sacri Ro. Imp. Principum, Ordinum, & Statuum, in hac celeberrima & frequentissima Imperiali Dieta Vuormaciæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, exequendo sanctissimi domini nostri Pape, ueri in hac parte iudicis, sententiam, decretum et condemnationem, in literis Apostolicis (ut supra dictum est) ad Nos directis, contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum schismaticum & Notoriū hæreticū, a

Remissus  
Luth. in sal  
uo condu  
ctu.

Sententia  
Cæs. ad exe  
quendum  
processum  
iuris cōtra  
Luth.

Luth. pro  
hæretico  
ab omni  
bus haben

Nobis dus,



Nobis haberi declaramus, & ut talem à uobis omnibus & singulis  
 habendum decernimus et edicimus: Mandantes de eorundem Sta-  
 tuum consilio & consensu, sub criminis læsæ Maiestatis, Nostræq;  
 & sacri Imperij grauissimæ indignationis, ac etiam amissionis feu-  
 dorum, Dominiorum, & honorum omnium, gratiarum quoq; &  
 omnium Priuilegiorū, à Nobis, et sacro Imperio dependentiū, que  
 obtinuistis hætenus, aut prædecessores uestri quomodolibet ob-  
 tinuerunt: necnon proscriptionis ac Banni, et interdicti Imperialis,  
 poenis: ne quis uestrum præfatum Martinū Lutherum, receptare,  
 defendere, sustentare, fouere, dicto, facto, aut scripto præsumat.  
 Quinimmo post elapsū supradictū uiginti dierū terminū, contra  
 eum, ubicunq; deprehensus fuerit, & in manu, aut facultate uestra  
 erit, iuxta formā Imperialis Banni procedatis, uel saltē personaliter  
 captum, tam diu custodiatis, donec Nos, à uobis de hac re certiores  
 facti, de legitima in eū prosecutione facienda uobis significemus,  
 & uos tā sancti operis & laboris debita præmia, & mercedem etiam  
 uberem, cum impensis ob hanc causam factis, reportetis. Et nihilo-  
 minus eiusdem Martini cōplices, adherentes, receptatores, & quo-  
 modolibet fautores & sectatores (nisi se iniquitatis semitā deseruiss-  
 se, & Authoritate Apostolica absolutionis remedium consecutos  
 esse, fidem condignā fecerint) necnon eorū omnia & singula bona,  
 mobilia & immobilia, iuxta sacras constitutiones, ac interdicti &  
 Banni Imperialis legē & ordinem, libere et absq; ulla cōtradictio-  
 ne prosequamini, illosq; et illa capiatis, et in usus uestros, optimo et  
 pleno iure cōuertatis. Mandamus insuper uobis omnibus & sin-  
 gulis præfatis, sub eisdē prænominatis poenis, ne quis Martini Lu-  
 theri scripta, à Sūmo Pontifice Authoritate sua Apostolica (ut præ-  
 mittitur) damnata, aut alia quęcunq; tā Latino quàm Alemanico,  
 seu alio quouis Idiomate, ab eo hætenus cōposita, uel in posterū  
 cōponenda, utpote mala, suspecta, & à Notorio & peruicacissimo  
 heretico proueniētia, emere, uendere, tenere, legere, describere, im-  
 primere, aut describi uel imprimi facere: asserere, sustentare, prædica-  
 re, defendere, præsumat: non obstāte, quod in illis etiā aliqua bona  
 (ad fallendas simpliciū mentes) immixta essent. In quo præter iustā  
 Sedis Apostolicę sententiā, etiā laudatissimā ueterū Patrum institu-  
 tionē et consuetudinē omnino exequendam duximus: Qui Arria-  
 norū, Priscillianistarū, Nestorianorū, Euthychianorū, & aliorum  
 hæreticorū libros, & in illis contenta omnia, tā bona quam mala,  
 promiscue exusserunt, & ad nihilarunt. Neq; id immerito. Nam si  
 optimi quicq; cibi, unius tantū guttæ ueneni (quo humanū corpus  
 lederetur) infusione suspecti, penitus sunt abijciendi: quanto magis

Crimen læ-  
 sæ Maiesta-  
 tis in Rece-  
 ptatores  
 Luth.

Damnata  
 Lutheri  
 scripta, ut  
 aboleātur.

Vetus con-  
 suetudo  
 contra li-  
 bros hære-  
 ticorum.

ea scripta, quibus tanta & tam noxia animabus uenena passim inserta sunt, nō solum nobis cauenda sunt, sed etiam (ne alijs noceāt) prorsus destruenda & corrumpenda, atq; ab omni hominum memoria ueniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à sanctis Patribus, quos Ecclesia recepit & approbavit, sæpe dictum & sæpius repetitum, absq; ulius periculi aut mali suspitione, legi, & haberi potest.

Ea propter, sub eisdem pœnis omnibus & singulis supradictis, uos omnes, & quilibet uestrum, tam Principes quam alijs, ad quos iustitiam quomodolibet pertinet ministrare: & alijs quicunq; in uniuerso Imperio, Regnis, & Dominijs nostris constituti, huiusmodi pestiferos Martini libros, tam Alemanicos quam Latinos, impressos & imprimendos, aut etiam manu scriptos, ubicunq; reperiantur (utpote magnæ seditionis, schismatis, hæreseos, in Ecclesia Dei fomites) diripiendos, & publico igni consumendos, penitusq; abolendos cum effectu curetis, Apostolicisq; Nuncijs, seu eorum Commissarijs, si operam uestram ad hanc rem requisierint, fideliter & diligēter assistatis: Et nihilominus in eorū absentia, per uos ipsos hæc sic fieri, nostro nomine & iussu, omnino & reipsa faciatis. In quo omnibus fidelibus, dilectis, subditis nostris, ut uobis ac Nobismetipsis assistant & pareant, tenore præsentium sub eisdem pœnis iniungimus & mandamus. Verum, quia maxime cauendū est, ne Martini libri, aut ex illis <sup>†</sup> incerta mala, suppressio aut etiam mutato authoris nomine, publicentur. Quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quotidie uidemus & audimus, cum alibi, tam maxime in Germania, componi & imprimi libros, pluribus malis traditionibus et exemplis repletos: & ne non omni astu & dolo, humane nature hostis, Christianis laqueos tendat multos, passim diuulgari picturas & imagines, non in opprobrium modo priuatarum personarum, sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas. Ex quibus omnibus libris et picturis, Christi fideles in maximos, tam in fide q̄ in uita & moribus, prolabūtur errores, et non solum priuata odia, scandala, & simultates (pro ut experientia docet) multis in locis exorta fuerunt: Verum etiam seditiones, tumultos, rebelliones, schismata, in Regnis, Prouincijs, & populis, atq; uniuersa Dei Ecclesia (nisi prouideatur) iam iam excitanda formidantur. Idcirco, ad hanc perniciosissimā pestē extinguedā, ex supradictorū Electorū & Statuū concordii animo & sententia, omnibus et singulis supradictis, tā Imperiali quā hereditario iure nobis subditis, sub iam sepeditis omnibus pœnis præcipimus & mādamus, ne quis huiusmodi

Mandatū  
Imp. de cō-  
burendis  
lib. Luth.

† excerpta

Cōtra scan-  
dalosas scri-  
pturas &  
picturas.

famosos

famosos et pestilētes libros, seu quascuncq; alias schedas, scripturas, imagines, picturas, contra Orthodoxam fidem, bonos mores, et id quod sancta Romana Ecclesia haectenus obseruauit: Atq; etiā inuectiuas criminationes & ignominias, contra Summum Pontificem, Sedem Apostolicam, Prælatos, Principes, Vniuersitates Studiorum, & eorum facultates honestasq; personas, componere, scribere, imprimere, depingere, uendere, emere, tenere, habere: aut imprimi, describi, depingi, uel uendi facere, quauis arte aut dolo audeat, aut attentet. Quinimmo sub eisdē poenis iubemus omnibus & singulis supradictis, & præsertim ijs, qui iustitiæ ministerio præsent, ut eiusmodi libros quoscuncq; antehac impressos, uel posthac imprimendos, necnon etiam manu scriptos, cuiuscuncq; sint authoris, aut ubicuncq; locorum per sacrum Imperium, atq; etiam nostra hæreditaria Regna & Dominia, inueniātur: similiter etiā picturas huiusmodi & imagines, nostro iussu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant. Et

Contra Impressores et Bibliopolas Luth.

nihilominus huiusmodi detestabilium librorum, codicum, schedarum, scripturarum, & picturarum, authores & inuentores, ac etiam post præsentis mandati publicationem, Impressores, Emptores, & Venditores, qui contra iussa nostra facere presumpserint (si modo id legitime constiterit) necnon eorum iura, & bona omnia & singula capiant, apprehendant, & detineāt, ac iure bono quicquid sibi libitū fuerit de illis disponant: ita, quod de hoc nulli hominum, tam in iudicio quam extra, respondere sint obligati.

Atq; ut omnis eiusmodi & aliorum errorum occasio tollatur, & ne talia scribentium uenena longe lateq; diffundantur, sed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantum, & laudabiles usus exerceatur: ex certa nostra scientia, animoq; deliberato, ac Imperiali Regiaq; autoritate, de maturo supradictorum Electorum, & aliorum sacri Ro. Imp. Statuum, consilio, deliberatione, & unanimitate cōsensu, uolumus et sub Banni, & Interdicti Imperialis, ac alijs antedictis poenis præcipimus & iubemus, tenore præsentis Edicti, quod uim inuiolabilis legis habere decernimus, Ne quis de cætero Chalcographus, & librorum Impressor, aut alius quiuis ubilibet per sacrum Imperium, atq; nostra prædicta Regna & Dominia constitutus, libros ullos, seu aliam quamcuncq; scripturam, in quibus de sacris literis, aut fide Catholica aliquid uel minimū tractatur, non habito prius consensu & uoluntate Ordinarij loci, aut eius ad hoc substituti & deputati, cum Auctoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius propinquæ Vniuersitatis, pro prima uidelicet impressione: Alios uero cuiuscuncq;

Mandatū de examinandis libris antequam excudantur.

rei, & facultatis libros, schædas, & picturas, de consensu saltem ordinarij, aut eius ad hoc substituti, ullo pacto imprimere, uel uendere, aut imprimi, uel uendi facere, directe uel indirecte, quoquo modo præsumat aut attētet. Quod si quis cuiuscunq; sit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc nostram mentem, decretū, statutum, legem & ordinationē, in omnibus et singulis supradictis, tam Lutheranam, quam impressoriam materiam concernentibus, inuiolabiliter obseruandam, ullo pacto, aut quouis quæsito colore uel ingenio, contrafacere, aut uenire, ausu temerario præsumpserit: Præterquàm quod illud irritum decernimus & inane, etiam in læsæ Maiestatis crimen, ac nostram, & Sacri Imperij grauissimam indignationem, proscriptionisq; & Banni, ac Interdicti Imperialis, necnon alias sepe dictas poenas, se, ipso facto, incurrisse cognoscat.

Harum testimonio literarum, Sigilli nostri munimine roboratarum. Datum in Ciuitate nostra Imperiali Vuormacia, die Octaua Mensis Maij, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Vicissimo Primo Regnorum nostrorum: Romani secundo: Ceterorū uero omnium Sexto.

FINIS EDICTI VVORMACIENSIS.



Exemplum ueri Pelicanum cernis amoris,  
 Qui reficit pullos ipse cruore suos.  
 Sic amor est Christi, qui nobis sanguine fuso  
 Restituit uitam, ac in cruce regna dedit.



